TACTICA SACRA,

Sive

De milite Spirituali Pugnante, Vincente, & Triumphante

DISSERTATIO,

Tribus Libris comprehensa;

Per

JOANNEM ARROWSMITH,

Doctorem, & Exprofessorem S. Theologiæ, Præfectum Collegii Sanctæ & Individuæ Trinitatis, quod est *Cantabrigiæ.*

Accesserunt

Ejusdem *ORATIONES* aliquot *Anti-Weigelianæ*, Et pro Reformatis Academiis *Apologeticæ*, quas ibidem è Cathedra nuper habuit in Magnis Comitiis.

CANTABRIGIÆ,

Excudebat JOANNES FIELD, celeberrimæ Academiæ Typographus,

Anno Dom. MDCLVII.

Impensis *Joannis Rothwell* Bibliopolæ, apud quem prostant *Londini*, infra plateam quæ vulgò dicitur Cheapside, ad Signum Fontis in Aurifabrorum vicinia. 1657.

Commilitonibus longè charissimis.
Vicemagistro, Senioribus, reliquisque
Sociis & Alumnis Collegii S. Trinitatis,
Sub Christo duce Cantabrigiæ merentibus,

D supplendum utcunque desiderium
SACRARUM CONCIONUM,
Quas illîc intra privatos Sacelli parietes habuisse
Animus erat, modò per valetudinem licuisset,
Hosce *SACRORUM TACTICORUM* libros tres
(Pietatis scilicet Evangelicæ proxenetas,
Orthodoxiæ custodes & vindices,
Oraculorum Dei quorundam interpretes,
Plurimarúmque difficultatum averruncos)
In quibus pastorali Theologiâ Polemicam,
Utramque philologiâ temperare conatus est,
Unà cum *ORATIONUM* Appendice,
Ut fraternæ dilectionis testes sint,
Atque communium officiorum monitores,
L. M. Q.
Offert, Dicat, & dedicat

Joannes Arrowsmith.

Syllabus Capitum Dissertationis.

Lib. I.

Cap. 1. *De congruentia Religionis Christianæ cum militia spirituali.*

2. *De adversariis quorum meminit* πρωτευαγγέλιον, Gen. 3. 15.

3. *In quo exhibentur inimicitiæ, cujus ibidém mentio fit, Specimina varia.*

4. *Alibi memoratos hostes recensens.*

5. *Ubi quinam milites spirituales, quænam eorum officia sint, & quisnam Imperator ostenditur.*

6. *Demonstrans Panopliæ necessitatem, & Artes Diaboli patefaciens.*

Lib. II.

Cap. 1. *De Balteo Veritatis in Intellectu, id est Orthodoxiæ.*

2. *In quo grassantis in Anglia Heterodoxiæ origo & causæ speciales declarantur.*

3. *De Veritatis in Voluntate, sive sinceritatis Balteo.*

4. *De Thorace Justitiæ habitualis & actualis.*

5. *De nexu Veritatis & Justitiæ.*

6. *De Ocreis Evangelicæ præparationis.*
7. *De Scuto Fidei aſſumendo ſuper omnia.*
8. *De ignitis diaboli telis quæ per Fidem extinguuntur.*
9. *De Galea ſalutis, ſive certitudine Spei.*
10. *De Machæra Spiritûs Verbo Dei.*

LIB. III.

CAP. 1. *Exhibens apparatum ad victoriam per Alloquia ſacra.*
2. *De authore victoriæ ſpiritualis, déque ejuſdem adminiculis & præmiis.*
3. *Explicans* Ἐπινίκια *quædam Apoſtolica.*
4. *Continens cœleſtis Triumphi qualemcunque* σκιαγραφίαν.

Trium

Trium Orationum Summaria.

I. Cantabrigiæ *suam incolumitatem gratulatur. Academiarum hostes perstringit. Earum demonstrat antiquitatem apud* Judæos *pariter & Gentes.* Anglicarum *ponit encomia. Ipsas introducit causam propriam agentes ; captantes undiquaque benevolentiam ; & pro tuendis Reditibus suis differentes.* Caroli Magni *dicta quædam & facta recitat. Nostratium denique mores perpendit.*

II. *Scholasticæ Theologiæ, quæ nunc obtinet in Academiis reformatis, patrocinium in se suscipit. Ostendit quanti facienda Disputatio legitima. Quis Scholasticæ usus fuerit apud* Hebræos, *quis apud* Patres, *deinde quis apud Treologos qui specialiter audiunt* Scholastici. *Illorum plerisque vitio vertit neglectum sacrarum literarum, rixandi studium, styli incuriam, morum improbitatem, & abusum philosophiæ. A quibus omnibus immunes ut plurimùm esse Scholas reformatas; earúmque Professores asserit, & probat.*

III. *Defendit humaniores literas, earúmque usum in Theologia; atq; unà tuetur Gradus Scholasticos. Errores comparat Fermento, utpote quod in causa*

causa est cur massa fervescat, cur tumescat, & cur acescat; quibus respondent heterodoxorum animositas, fastus, & ad hominum lubentiam attemperatio. Monstrat quorundam Lutheranorum intemperiem; superbiam Eunomianorum, Jesuitarum, Paracelsi *&* Henrici Nicolai; *necnon diversarum Sectarum cum natura depravata Syncretismum.* Weigelii *paradoxa barbara de literis & gradibus Academicis palàm facit;* Lutheri *verò*, Melancthonis *&* Zanchii *de iisdem sententiam planè contrariam.* Georgii Fiscellini *&* Martini Martinii *facta proponit, atque fata discrepantia. Authoris voto terminatur.*

Oratio I. *Anti-Weigeliana.*

QUin agamus ſultis ocyùs, ***Florentiſſimi Academici, Chariſsimi Hoſpites***, petatur illico lapidicina, dolentur ſaxa, ſtruatur ara, parentur ligna, offerantur holocauſta in luculentiſſimum gratiarum teſtimonium. Si quid enim valuiſſent minæ, vota, conatus quorundam maleferiatorum; noſtra jamdudum *Troja in ſegetem*, Alma Mater vel in umbram, vel in Novercam tranſiiſſet; quæ tamen hodie per ſingularem Dei gratiam, Ordiniſq; Senatorii benignitatem, antiquis gaviſa latifundiis, novâque diteſcens bibliothecâ *Vaticanæ, Bodleianàve* æmulâ, magnorum inſuper Comitiorum celebritate ſplendeſcit; & advenas amicis ulnis, gremiales materno complectens ſinu, de formoſa quidem ſobole, licèt parùm fortaſſe numeroſâ, non immodeſtè gloriatur.

Utinam verò ea jam eſſet temporum hominúmque conditio, ut encomiis & gratulationibus, præceptis ſaltem & monitis, potiùs quàm Apologiis abſolvi poſſent Orationes profeſſoriæ!

Sed aliò Me trahi ſentio ab importuna nonnullorum garrulitate, quibus ſordeſcit tota illa, quâ hîc fruimur, educatio liberalis, & ipſum nomen Academiæ, non minùs quàm *Ludovico undecimo* Gallorum Regi, cùm decubuit, nomen Mortis exoſum eſſe videatur. Horum ego cavillationibus, non per figmenta vel dicteria (*Spiritus enim Dei nec eſt mendax nec mordax*) ſed per ſola Scripturæ, Rationis & Experientiæ dictamina reſponſurus; unde potiùs exordiar, quàm ab illo Naturæ lumine, quod ingeniorum culturæ impendiò conſulendum eſſe imprimis monet; nullibi verò meliùs conſuli, quàm in publicis gymnaſiis ubi ad doctrinæ ſerperaſtra, diſciplinæ frænum, æmulationiſque calcaria ſolent accedere?

Hinc enatæ ſunt apud omnes gentes, quas non obruiſſet

barbaries, præter *pædagogia* pueris informandis instituta, *Scholæ* etiam *illustres*, & *Academiæ* ad erudiendos adultiores. Inter has illæ censentur meritò, quarum sacri Regum Annales meminerunt. In *Schola* siquidem *Gilgalensi* centum fuisse perhibentur Prophetarum filii; & è *Jerechuntina* prodierunt quinquaginta, non pueri, sed Viri, filii roboris אֲנָשִׁים בְּנֵי־חַיִל ad *Eliæ* exuvias investigandas paratissimi. Habuit olim *Palæstina* Kirjath-Sepher, hoc est, Civitatem literarum, *Persia* forum liberale (de quo copiosè & doctè *Brissonius*) Græcia suas *Athenas*, ibíque Platonis *Academiam*, Aristotelis *Lyceum*, Zenonis *Stoam* & Antisthenis *Cynosargen*. Habuerunt *Indi* Gymnosophistarum, *Chaldæi* Magorum, *Ægyptii* Sacerdotum, *Galli* Druidum, *Romani* Philosophorum & Rhetorum, *Judæi* Pharisæorum, Sadducæorum, & Essenorum phrontisteria. Sed & ipsum Dei populum ista præ aliis exercuit solicitudo, nè deessent alumnis suis vel auctoramenta studendi, vel studiorum adminicula. Priusquam *Eliæ* corpus è medio sustulit igneum curriculum, illius animam igneus zelus erga Scholas Prophetarum occupaverat. Illas proinde jam jam terris valedicturus invisit sedulò, & supremis armavit monitis; ac si tum suavissimè peti cœlum posset, postquam eis, qui illîc in spem Ecclesiæ enutriebantur, ultimam curam impendisset. Hebræorum veterum ut ut alias degeneres posteri, in hac tamen re scholastica se patrum suorum hæredes ex asse præstiterunt. Exemplo sit *Academia Tiberiensis*, quam duo reddunt commendatissimam; Unum incomparabile *Masoretharum* opus criticum, quod vulgò *Septum legis* dicitur; alterum liber ille *Misnah*, quem *Buxtorfius* in urbe Tiberiade confectum existimat à Rabbi Jehuda, & cujus hoc apud Judæos recentiores extat encomium, politum quidem, sed valde profanum; *Similis est Textus Biblicus aquæ: Mischnah* Vino, *Talmud condito*.

De Regno Persico lib. 2. p. 240, &c.

Buxtorf. Tiberias cap. 5. p. 23.

Alsted. Chronolog. p. 415.

In orbe pariter Romano, simulac florere cœperat Evangelium, cernere erat erectas in singulis fere Monasteriis

riis bonarum literarum officinas: poſtquam verò decoxerant Cœnobitæ, pietáſque & eruditio Monachorum decollâſſent, aperta ſunt alibi Gymnaſia quæ ruinam hanc ſarcirent. Facile eſſet cuivis volenti compilare *Middendorpii* vel *Hoſpiniani* ſcrinia, & ex eis de celeberrimis per univerſum terrarum orbem Academiis ad clepſydram uſq; declamitare. Nobis non licet eſſe tam prolixis, & amplam ſatìs dicendi ſegetem ſolæ Anglicanæ ſuppeditabunt, *Cantabrigia & Oxonium*, *Oxonium & Cantabrigia*, (neq; enim moror inutilem illam de *Antiquitate* controverſiam; faxit Deus ut *antiquetur*, útque omni præcisâ ſimultatis materiâ, utraque ſit tum ipſis mutuò, tum bonis omnibus *antiquiſſima.*) Sunto gemellæ, ſorores ſaltem uterinæ, de quibus meritò dicatur ut olim de Lea & Rahele, *Extruxerunt ambæ domum Iſraelis.* Eccleſiæ ſimul & Reipublicæ ornamenta pariter audiant & fulcra; non minùs quàm Templi Solomonis duæ columnæ *Jachin & Boaz.*

Enimvero hîc & illîc quot collegia, tot virtutis & eruditionis ſeminaria; quot Cathedræ Theologicæ, tot veritatis propugnacula; quot oratoria, tot officinæ pietatis; quot ferè Muſæa, tot incudes bonæ mentis. Eant itaque qui exemplo quidem peſſimo, candore minimo, furore maximo ſoliti ſunt ad Academias reformatas ea transferre, quæ Viri magni de Judaicis & Pontificiis tradiderunt. Illas Theodorus Beza *Flabella Satanæ*, has Lutherus *Cathedras peſtilentiæ*, & *Antichriſti luminaria*; eaſdem author diſſertationis de veteri & novitio Deo *ſynagogas* appellat *perditionis*, & *puteos abyſſi* cujus fumo Sol Evangelii obſcuratur. Perinde fecerit qui de noſtris iſta deprædicaverit, ac ſi quis ex eo colligeret libros omnes igni tradendos, quòd *Epheſi* magicos comburebant Chriſtiani. Eant, inquam, & res ſuas ſibi habeant quorum oculis utpote morbo laborantibus inviſa ſunt adeò *firmamenti Anglicani duo luminaria*, ut eclipſin illis minitentur, nullâ unquam lucis uſurâ repellendam.

Beza in Act. 6. annot. marg.

Witemb. An. 1522. fol. antepen. & ult.

Adversùs ejusmodi obtrectatores audire mihi videor ipsas Academias hunc in modum causæ suæ, longè quidem optimæ, justissimæque patrocinantes. Fidem vestram O boni! Quid tantis odiis dignum præstitimus? Imò quid non præstitimus amore dignum & favore nostrorum popularium? Christi Domini quæstionem usurpare nobis liceat, *Multa vobis ostendimus opera bona, ecquid illorum, quæsumus, est propter quod nos lapidibus prosequimini?* Nondum agnoscitis quænam fuerint, hodiéque etiam sint nostra utriusque opera? Paucis accipite. Conatæ sumus Anglos à Barbaris ingenti quodam intervallo disterminare, filios nimirum vestros ad animi cultum morúmque probitatem efformando. Virtuti siquidem Eruditio rudimenta præstat & incunabula, quibus innutrita grandescit; nec solet pannus colorem exuere quem lana imbibit. Curavimus nè Papismi diluvium, aut recocti Pelagianismi torrens patriam nostram inundaret; emittendo scilicet *Whitakeros, Abbotios, Davenantios, Amesios, Twissios*, aliósque id genus heroas, qui illis obicem felicissimè posuerunt. Fecimus (absit verbo invidia, cui abest falsitas) nè in *demagoriis* lapis sederet super lapidem, nè deessent *in templis* Theologi, *in foris* Jurisperiti, *in oppidis* Medici; Rempublicam, Ecclesiam, Senatum, Exercitum viris doctis replevimus, eóque meliùs bono publico inservire comparatis, quò magìs eruditi fuerint. Neque enim per studia literarum emasculantur mentes hominum, aut redduntur vel ineptæ rebus agendis vel gloriæ militaris incapaces, prout imperiti clamitant, reclamante licèt omnium seculorum Historiâ.

Joan. 10. 32.

Ponite vobis ante oculos *Mosen* Israelitici populi ducem longè celeberrimum, in omni tamen tum *Hebræorum* sapientia, tum *Ægyptiorum* literatura instructissimum. Ponite *Catonem* illum, cujus hoc erat elogium *Optimus Orator, optimus Imperator, optimus Senator*; ponite *Julium*, qui librum simul ostentans & gladium se *in utroque Cæsarem* esse gloriabatur. *Alphonsum* Regem Arragoniæ prudentissimum, qui cùm

cùm aulici ſtudiis eum nimìs deditum immersúmque querebantur, *Mallem Me*, inquit, *Regno excluſum quàm Muſæo.* *Ludovicum* denique *Haſsiæ* principem, qui ob ſingularem manſuetudinem *Mitis* cognominatus eſt. Is oblatum Romani Imperii ſceptrum ideò repudiâſſe dicitur, quòd ſe commodè Reipublicæ Chriſtianæ gubernaculo præeſſe non poſſe judicabat, utpote literis deſtitutum, teſte *Sylvio.*

Hæc cùm ità ſe habeant univerſa, non eſt quòd mirentur æqui rerum æſtimatores ſi viri fœminæque principes, unà cum aliis benefactoribus (in quorum egregia munificentia ſumma Dei relucet bonitas) non modò linguarum & ſcientiarum Profeſſoribus honeſta ſalaria, ſed & Collegiorum (quæ vel ipſi fundârunt vel auxerunt) Præfectis, Sociis & Scholaribus alimenta ſuppeditârunt; nósq; adeò ſtipendiis & prædiis locupletârunt, nè indotatæ negligeremur, & in bene natis ingeniis diſcendi cupido intepeſceret.

Cæterùm hinc fundi noſtri calamitas, quòd etiam nobis fundi ſint. Abſque reditibus ſi fuiſſet, faciliùs nobiſcum redirent in gratiam adverſarii. Cenſus eſt qui cenſuras peperit, ut in *Pariſienſi* laniena Nummus erat pro hæreſi, fecítque *Hugonotas* non Religio ſed opulentia. Pedem hîc ſi placet figamus, & Muſis noſtris dicamus anathema, niſi probatum liquidò dent conſultius eſſe reipublicæ ut dotentur Academiæ, quàm ut propriis quiſque ſumptibus, non aliunde petitis ſuppetiis literarum indaginem proſequatur: & alienari non poſſe latifundia, quæ in nos ab aliquot retro luſtris, imò ſeculis collata ſunt, abſque ſummo totius gentis detrimento ſimul & dedecore.

Certè famam *Juſtiniani* principis aliàs laudatiſſimi, nihil apud poſteros magìs imminuit, quàm quòd in templis ædificandis occupatiſſimus, nè deeſſent pecuniæ ad tantos ſumptus neceſſariæ, ſtipendia liberalium artium Magiſtris olim conſtituta ſuſtulit; unde factum eſt ut paſſim vacantibus per oppida Scholis ſola ruſticitas dominaretur. Sic Hiſtoricus verbis diſertiſſimis, ὥς τε τῶν ἐν ταῖς πόλεσι διδασκαλείων Zonar.

ἐσχολακότων ἀγροικία τῆς ἐν αὐτοῖς κατεκράτησε. Celebratur ex adverſo *Leonis primi* Imperatoris dictum nobile. Dandum erat ipſo jubente ſalarium *Eulogio* philoſopho; obmurmuravit Eunuchus quidam, pecuniam iſtam militibus impendendam eſſe dictitans: Cui *Leo* repoſuit, *Utinam meis temporibus eveniat, ut ſtipendia militum in Doctores artium conferantur.*

Lipſ. monit.& exemp. politica p. ult.

Iterum fidem veſtram, ô boni!

Si *Tranſylvanis* in gloriam cedat *Albam Juliam* nuper fundâſſe, *Belgis* illuſtrem Scholam & *Collegium Auriacum Bredæ* erexiſſe, *Germanis* Academiæ *Heidelbergenſi* reſtituendæ incubuiſſe; Num *Anglis* honorificum ſatis eſt eodem ſeculo currente, ſuis Athenæis nervos incidere? Num ſatìs commodum eruditione poſthabitâ, quæ mores emollit animóſque reddit ad imperia juſta faciles & cereos, introducere barbariem, quâ ad rixas, cædes, ſeditiones, & omne genus motus politicos via ſternitur? Utique nullibi vilior eſt bonarum literarum æſtimatio, quàm, ubi poſt emolumenta per longi temporis curriculum ſtudioſis exhibita, cenſus ex improviſo ſubducitur. *Quis enim doctrinam amplectitur ipſam, præmia ſi tollas? -- Vel duo vel nemo.* An ſatìs æquum ut qui nullo tenentur crimine flagitioſo, bonis ſuis exuantur, ac ſi graviſſimè deliquiſſent? & benefactores optimè meriti donorum ſuorum in immerentes collatorum oblivione mulctentur? An ſatìs tutum ut Eccleſiarum reformatarum facilè princeps gymnaſia ſua demolitum eat vel imminutum, cùm ſurgunt ubique per ditiones pontificias collegia *Jeſuitarum*, quibus abundè ſuppetere ſolent lenocinia (quoniam ut ait ille, *Credula res puer eſt*) ad juvenes noſtros, ſi quando domi frangantur animo, quà præceptis quà præmiis in caſtra ſua pertrahendos?

Hoc Ithacus velit & magno mercentur Atridæ.

An ſatìs denique pium eſt tollendo ſubſidia ſolis ferè pauperibus aſſignata, deinceps efficere ut Academiæ ſolis ferè divitibus pateant; qui cùm de ſuo vivant in ſolidum, intra

diſci-

disciplinæ cancellos non ità facilè continentur: quin & aliis plerumque negotiis addictiores, quæ magìs quæstuosa sunt & minùs ardua, post salutatam hanc vel illam insignem Academiam, tanquam *Canis ad Nilum* lambunt & abeunt, non ut *Cygnus ad Thamesin* in aquis se proluunt, & in ripis ejus nidulantur.

Ut huic argumento robur & lucem fœneremus, libet ex historiis fide dignis, quid expertus & quid molitus sit *Carolus Magnus*, quàm fieri potest compendiosè recitare. *Claudius Clemens & Joannes Rabanus* duo Venerabilis Bedæ discipuli transfretârunt in *Galliam*, & dum institores, quibuscum navigâssent, in foro merces exposuerunt, illi *se venalem habere sapientiam* professi sunt. Re ad Imperatorem delatâ is ex consilio *Alcuini* nostratis, qui ex eadem *Bedæ* schola prodiisset, *Lutetiæ Parisiorum* condidit & extruxit illustre Gymnasium, quod *Joanni & Claudio* regendum tradidit. Huic provinciæ postquam sedulò per aliquot annorum spatium incubuissent, rediens in *Galliam* Imperator, ut de singulorum indole certior fieret, juvenes illîc educatos coram se sisti voluit, & examen subire. Quo peracto facilè constitit tenuioris fortunæ adolescentes præter spem multùm profecisse; nobiles verò & ditiores in cute curanda plùs æquo operosos, cultum animi súsq; déq; habuisse. Quocirca *Carolus* (ut quod reliquum est prosequamur verbis non nostris sed *Aventini*) illis ad dexteram segregatis, "Vos quidem macti virtute, inquit, estote filioli pientissimi qui nostro imperio gnaviter defuncti estis; vestra erunt "sacerdotia locupletissima, & pontificatus maximi. Ego "vos in Aulam asciscam, ex vobis Senatores cooptabo, "vos in album prætorum & in curiam patrum allegam. De"inde ad nobilium liberos quos à læva collocaverat, vultu "haud iram dissimulans, ait; At vos comatuli & delicatuli, "freti opibus & splendore parentum, nostram majestatem "consprevistis, vitia, otia, luxum & inertiam bonis literis "virtutibúsque contempto decreto nostro, prætulistis. Ju-"beo,

Vid. *Osiandri* Centur. 8. p. 123. & *Hospinian.* de Templis, &c. p. 426.

Annal. 4°.

" beo, & Deum immortalem teſtor, nihil penitus honoris " aut commodi, nè obolum quidem, ab Imperatore veſtro, " cujus juſſa aſpernati eſtis, expectate. Faxim ut omnibus " mortalibus ludibrio vivatis, & in vos exempla edam, niſi " veſtrâ deinceps diligentiâ priorem negligentiam expietis. Sic *Carolus* ille quem novo titulo, & neſcimus an cuiquam alteri unquam tributo, *Patrem Orbis* appellârunt ſcriptores minimè contemnendi. Perpendite ſultis quorum intereſt.

Sin autem inſtituant adverſarii, quod eis in ore ipsâ pene ſalivâ frequentius eſt, de noſtratium moribus querimoniam; cogitent ſeriò, Nunquam ſe tam bene habuiſſe res humanas ab orbe condito ut pluribus placerent meliora, nedum omnibus optima; & de univerſorum genio minimè ferendam eſſe ſententiam ex paucorum intemperie. Ultro fatemur aliquoties erupiſſe malæ frugis adoleſcentes, Academiarum vomicas & carcinomata, de quibus dici fortaſſe poterit, quod *Lutherus* de quibuſdam *Wittenbergenſibus*, *tantam illorum extitiſſe contumaciam*, *ut eam quatuor elementa ferre nequeant*. Nihil autem iniquius, quàm ut horum indoles fiat decempeda, quâ reliquorum omnium ingenia metiamur. Quid expectandum nobis ſit in *Republica Platonis*, dicant qui noſcunt, modò noſcant quod dicunt; certi interim ſumus in *fæce Romuli* non dari ſegetem abſque vanis ariſtis, nec malum punicum abſque granis putridis, nec cœtum mortalium abſq; vitiis; præſertim ſi conflatus ſit ex juvenibus ferè ſolis, quibus abundè ſanguinis in venis, & in oſſibus medullæ. E tot ollis ferventibus fieri vix, & nè vix quidem poteſt, quin ebulliat aliquid ſpumæ: in tam magno ægróque corpore, quin aliquando pus aut ulcus aut ſimile quid exoriatur.

Apud Contren politic. lib.4. cap,14. p. 245.

Quocirca malè feriatis ex adverſo ponendi ſunt pii, ſobrii, eruditi: de quorum numero ſi non agat Deo gratias, ſibi ſi non gratuletur *Anglia*, næ illa gentium habeatur ingratiſsima. Nunquam inter adultiores precibus, ſermonibus,

bus, & sanctis colloquiis magis indultum: Nunquam alacriùs ad conciones audiendas (utinam non & ad habendas) cursum est à junioribus. Multis equidem *luxus & otium* ascribi possunt, si literarum intemperantia luxus sit, si otium vacare studiis: sed ad istas criminationes non est erubescendum eis, qui chartis solent impallescere, quibus oppidum carcer est, Musæum aut schola paradisus; & à quibus in Christo discendo ut doceant, docendóq; ut discant ætas impenditur. Quid quòd hæreditarius plerumque sit luxus ille, qui nobis impingitur; nec tam collegiis imputandus, quàm parentibus, qui filios suos huc amandant ad capessendum ingenii cultum, sed domesticis exemplis priùs inquinatos? Neq; adeò sanè mirandum est (ut ut dolendum profectò maximè) si nos etiam afflaverint vitia, quæ totam Insulam pervaserunt.

Hactenus Academiæ; quibus si facundior interpres contigisset, næ illæ multò luculentiùs, multóque efficaciùs peroràssent. Quod reliquum est, monendi sunt Academici, & per ipsius Christi viscera exorandi, ut dehinc os obstruerent *Weigelianis* ad unum omnibus, quà domesticis, quà exteris; quorum antesignanus, homo levis, ausus est impudenter profiteri, *Nullam esse in universo terrarum orbe Academiam, in qua Christus inveniatur; In Academiis nè tantillam quidem Christi cognitionem reperiri posse; Noluisse Christum evangelium prædicari per diabolos, ergò non per Academicos.* O fanaticum, ad quem sanandum opus erat helleboro, quantum vix decem *Anticyræ* suppeditarent! Si qui apud nostrates sint ejusdem sententiæ, faciamus (Viri Patres, Fratrésque) ut qui rationi cedere nesciunt credant aliquando tandem suis auribus, cùm nil præter Christum in concionibus; suis oculis, cùm nil præter Christum in vita nostra audire possint, aut conspicere. *Græciam Livius* appellavit *sal Gentium*; sunto sal Angliæ Cantabrigia, & Oxonium; nequis dehinc inveniatur assecla *Pauli* illius *secundi* pontificis Romani, qui (teste *Platina*) hæreticos

Apud *Wendelin.* in epistola dedic. quam præfixit Christian. Theologiæ.

eos pronunciavit, qui nomen Academiæ vel ſeriò vel joco commemorarent; & *Romanos* adhortabatur, nè filios ſuos literarum ſtudiis paterentur incumbere; ſatìs eſſe dictitans ſi legere & ſcribere didiciſſent. Ità *Paulus Pontifex*: verùm non ità *Paulus Apoſtolus*; qui, cùm ipſe docuerit & diſputaverit in *Schola Tyranni*, nos omnes de diſputationibus, & de ſcholis honorificè magìs ſentire docuit.

Oratio

Oratio II *Anti-Weigeliana.*

Viri, Patres & Fratres in Christo Charissimi:


Uando stant in præcipiti vitia, & errores in solio collocantur, dum in deterius vergunt omnia, *difficile est satyram non scribere*, non mereri difficilius. Inter innumeros ævi præsentis *Aristarchos* duo nuperrime prodierunt, quorum alter *in spirituum*, alter *in Academiarum examine* prolixiùs declamitavit adversùs *scholasticam Theologiam*. Videamus hodie si placet, juréne vapulet an injuriâ; & prout officii ratio postulat disquiramus placidè, quænam fuerit in diversis Ecclesiæ periodis scholarum conditio, quænam fata Theologiæ; quàm fieri potest diligenter curantes, nè quid interim detrimenti veritas, aut nostra, quam sustinemus, provincia dehonestamenti capiat.

Extitisse creduntur ab antiquitate quidem ultima literarum officinæ à Patriarchis & Prophetis ibidem docentibus nobilitatæ, quarum tamen nonnullas post aliquot seculorum decursum imposturis suis polluere conatus est Satanas; erigendo, scilicet *Dodonæ* quercum fatidicam eo ipso in loco, quo posteri *Dodonim*, è *Japheti* nepotibus, de Deo, de Messia, de moribus solebant institui: & alibi *Jovis Hammonis* oraculum, ubi *Chami* (aliàs *Hami*) progenies erudiebatur.

Nondum verò devirginatæ fuerunt Scholæ, nondum stuprum passa est sacra Theologia, quamdiu superstites erant Prophetæ. Nullæ enim exortæ sunt hæreses, asserente *Cunæo*, quanquam grassaretur idololatria, antequam è vivis excesserant illi, penes quos judicium erat infallibile. Tunc itum est in Sectas illico, & Hebræorum statim gymnasia versa sunt in curiosorum ingeniorum lupanaria. *Pharisæi* pariter & *Sadducæi* Harpiarum instar fœdârunt omnia:

De Rep. Hebræor. l. 1. c. 16.

omnia: quin & ipsi *Esseni* deviârunt nimio partim solitudinis, partim allegoriarum studio correpti: quorum hoc *Philoni Judæo*, & post eum *Origini* in laqueum cessisse, illud *Monachatum* peperisse dicitur. Aliquid tamen apud Essenos sani mansisse videatur ex eo, quòd Christo Domino in terris agenti nullum ab hac Secta negotium exhibitum, nullam unquam molestiam creatam legimus: adeò ut ipse quanquam sæpius de Pharisæorum & Sadducæorum doctrina & moribus questus sit, Essenorum nullibi meminerit.

Delapsa est utì videtis, Auditores, oratio nostra in illorum temporum mentionem, quibus non tantùm Scholæ, & in eis Theologia; sed & universa Ecclesia, imò totus terrarum orbis παλιγγενεσίαν debuit. Oriente siquidem *Sole justitiæ*, cœperunt errorum umbræ diffugere, nec non humanarum perfectionum astra caput condere, nováque rerum & hominum facies in scenam prodire. Beata virgo Filium longè beatissimum, annum jam agentem ætatis suæ duodecimum, læta reperiit inter Doctores ἀκούοντα καὶ ἐπερωτῶντα *audientem & interrogantem*. Ecce *Jesum Quæstionistam!* Eisdem vestigiis institerunt ipsius assEclæ. En vobis in Actis Apostolorum *Stephanum* contra *Libertinos* & diversarum nationum sophistas disputantem. *Paulum* adversùs *Epicureos* & *Stoicos*, ídq; *Athenis* argumenta vibrantem, & quotidie differentem in *Schola Tyranni*.

Lucæ cap.2. 46.

Act. c.6. c.17. & c. 19.

Jamdudum à viris, quales vos estis, acutissimis observatum existimo, quantùm ista quæ diximus faveant disputatrici Theologiæ; quanquam id nonnullis in more positum sit ut adversùs disputationes nostras, declamationes suas instituant; cum infaceto illo monacho, qui Christum spinis coronatum asseruit, ut pro spinosis disputationibus pœnas solveret.

Scio viris gravissimis altercandi libidinem gravissimè semper displicuisse; adeò ut Eques ille celeberrimus *Henricus Wottonus* Etonensis Præpositus testamento curaverit, nè

nè marmori ſuo aliud incideretur Epitaphium, quàm *Hic ſitus eſt author illius ſententiæ, Diſputandi pruritus fit Eccleſiarum ſcabies:* Et illuſtris vir *Abrahamus Bucholcerus* pertæſus rixarum Theologicarum, receperit ſe ad ſtudium Chronologicum, amicíſque dixerit *Malle ſe computare, quàm diſputare.*

Ord. fratrum Bohem. p. 118.

Opus tamen & uſus eſt harum ſpinarum ad ſtruendum Eccleſiæ ſepimentum, nè irrumpant in vineam Dominicam hæretici ferarum inſtar, & in prædam abeat veritas. Horrent certè Pontificii noſtrorum hominum diſputationes, & ad depromptas è pharetra Scripturarum ſagittas contremiſcunt. Teſtis ſit illa vox *Genevæ* edita Anno Domini 1532, quando in procinctu ſtabant *Farellus* & *Salnerius* è ſacro codice contra fidem Romanenſium dimicaturi, *Si diſputetur, totum noſtrum myſterium deſtruetur*: & illa magni Cardinalis, qui poſt auditam in conventu *Poſsiaceno* Theodori *Bezæ* orationem, apud ſuos dixiſſe fertur, *Utinam aut ille mutus, aut nos omnes ſurdi fuiſſemus.*

Abr. Sculteti Annal. decad. 2. p. 389.

Rivet. Cathol. Orthod. part. 2. tractat. 1. quæſt. 8 § 4.

Vultíſne ut compendifaciam? Rei ſummam paucis accipite. Ad populum phaleris opus eſt & blandimentis oratoriis; ſed ſi coram eruditis agendum ſit, qui palmâ militat lentiùs pugnat; qui pugno ferit palmam fert.

Cæterum, ut ex hoc diverticulo redeamus in viam, ab Apoſtolis deſcendendum ad Patres, è quorum ſcholis prodierunt non tantùm Oratores diſertiſsimi ſed & ſubtiliſsimi diſputatores, atq; adeò Theologi omnibus numeris abſoluti. Quiſquámne tam plumbeus eſt ut *Juſtini, Tertulliani, Athenagoræ*, aliorúmque ſcriptis Apologeticis, *Hieronymi, Chryſoſtomi, Theodoreti* & id genus interpretum exegeticis; *Cyrilli, Cypriani, Lactantii* didacticis, polemicis *Optati* adversùs Donatiſtas, *Athanaſii* adversùs Arianos, *Auguſtini* denique adversùs Manichæos & Pelagianos non capiatur? dicam ampliùs, non rapiatur in quandam extaſin? Quanquam is ego non ſim, qui de Patribus auſim dicere quod *Eraſmus* de Eccleſia, *Tantùm apud Me valet illorum*

In Epiſtola ad *Bilibaldum.*

rum

omnia: quin & ipſi *Eſſeni* deviârunt nimio partim ſolitudinis, partim allegoriarum ſtudio correpti: quorum hoc *Philoni Judæo*, & poſt eum *Origini* in laqueum ceſſiſſe, illud *Monachatum* peperiſſe dicitur. Aliquid tamen apud Eſſenos ſani manſiſſe videatur ex eo, quòd Chriſto Domino in terris agenti nullum ab hac Secta negotium exhibitum, nullam unquam moleſtiam creatam legimus: adeò ut ipſe quanquam ſæpius de Phariſæorum & Sadducæorum doctrina & moribus queſtus ſit, Eſſenorum nullibi meminerit.

Delapſa eſt utì videtis, Auditores, oratio noſtra in illorum temporum mentionem, quibus non tantùm Scholæ, & in eis Theologia; ſed & univerſa Eccleſia, imò totus terrarum orbis παλιγγενεσίαν debuit. Oriente ſiquidem *Sole juſtitiæ*, cœperunt errorum umbræ diffugere, nec non humanarum perfectionum aſtra caput condere, novâque rerum & hominum facies in ſcenam prodire. Beata virgo Filium longè beatiſſimum, annum jam agentem ætatis ſuæ duodecimum, læta reperiit inter Doctores ἀκούοντα καὶ ἐπερωτῶντα *audientem & interrogantem*. Ecce *Jeſum Quæſtioniſtam!* Eiſdem veſtigiis inſtiterunt ipſius aſſeclæ. En vobis in Actis Apoſtolorum *Stephanum* contra *Libertinos* & diverſarum nationum ſophiſtas diſputantem. *Paulum* adversùs *Epicureos* & *Stoicos*, ídq; *Athenis* argumenta vibrantem, & quotidie diſſerentem in *Schola Tyranni*.

Lucæ cap.2. 46.

Act. c.6. c.17. & c. 19.

Jamdudum à viris, quales vos eſtis, acutiſſimis obſervatum exiſtimo, quantùm iſta quæ diximus faveant diſputatrici Theologiæ; quanquam id nonnullis in more poſitum ſit ut adversùs diſputationes noſtras, declamationes ſuas inſtituant; cum infaceto illo monacho, qui Chriſtum ſpinis coronatum aſſeruit, ut pro ſpinoſis diſputationibus pœnas ſolveret.

Scio viris graviſſimis altercandi libidinem graviſsimè ſemper diſplicuiſſe; adeò ut Eques ille celeberrimus *Henricus Wottonus* Etonenſis Præpoſitus teſtamento curaverit, nè

nè marmori suo aliud incideretur Epitaphium, quàm *Hic situs est author illius sententiæ, Disputandi pruritus sit Ecclesiarum scabies:* Et illustris vir *Abrahamus Bucholcerus* pertæsus rixarum Theologicarum, receperit se ad studium Chronologicum, amicísque dixerit *Malle se computare, quàm disputare.* Ord. fratrum Bohem. p. 118.

Opus tamen & usus est harum spinarum ad struendum Ecclesiæ sepimentum, nè irrumpant in vineam Dominicam hæretici ferarum instar, & in prædam abeat veritas. Horrent certè Pontificii nostrorum hominum disputationes, & ad depromptas è pharetra Scripturarum sagittas contremiscunt. Testis sit illa vox *Genevæ* edita Anno Domini 1532, quando in procinctu stabant *Farellus* & *Salnerius* è sacro codice contra fidem Romanensium dimicaturi, *Si disputetur, totum nostrum mysterium destruetur:* & illa magni Cardinalis, qui post auditam in conventu *Poßiaceno* Theodori *Bezæ* orationem, apud suos dixisse fertur, *Utinam aut ille mutus, aut nos omnes surdi fuissemus.* *Abr. Sculteti* Annal. decad. 2. p. 389. *Rivet.* Cathol. Orthod. part. 2. tractat. 1. quæst. 8 § 4.

Vultísne ut compendifaciam? Rei summam paucis accipite. Ad populum phaleris opus est & blandimentis oratoriis; sed si coram eruditis agendum sit, qui palmâ militat lentiùs pugnat; qui pugno ferit palmam fert.

Cæterum, ut ex hoc diverticulo redeamus in viam, ab Apostolis descendendum ad Patres, è quorum scholis prodierunt non tantùm Oratores disertißimi sed & subtilißimi disputatores, atq; adeò Theologi omnibus numeris absoluti. Quisquámne tam plumbeus est ut *Justini, Tertulliani, Athenagoræ*, aliorúmque scriptis Apologeticis, *Hieronymi, Chrysostomi, Theodoreti* & id genus interpretum exegeticis; *Cyrilli, Cypriani, Lactantii* didacticis, polemicis *Optati* adversùs Donatistas, *Athanasii* adversùs Arianos, *Augustini* denique adversùs Manichæos & Pelagianos non capiatur? dicam ampliùs, non rapiatur in quandam extasin? Quanquam is ego non sim, qui de Patribus ausim dicere quod *Erasmus* de Ecclesia, *Tantùm apud Me valet illorum* In Epistola ad Bilibaldum.

rum authoritas, ut cum Arianis & Pelagianis ſentire poßim, ſi probâßent Patres quod illi docuerunt: Veneror tamen, utì par eſt, eorum canitiem, eruditionem ſuſpicio, ſententias amplector, modò ſacris literis conſonæ ſint; ſin ab eis deflectant, ità *Patres* verecor ut agnoſcam *homines.*

Imò, ut quod res eſt fatear, vinum fuiſſet multò generoſius illorum Theologia, ſi eam ethnicâ philoſophiâ, quam vel è Stoa, vel Lyceo, vel Academia priùs hauſerant, non diluiſſent. Qua de re *Tertullianus* indignabundè, *Quid Athenis & Hieroſolymis? Quid Academiæ & Eccleſiæ? Noſtra inſtitutio de porticu Solomonis eſt. Viderint, qui Stoicum & Platonicum & Dialecticum Chriſtianiſmum protulerunt.* Quanto ille dicendi fulmine tonuiſſet, Auditores, utpote vir ſingularis grandiloquentiæ, ſi eum anni fortè Neſtorei perduxiſſent ad ætatem *Scholaſticorum*, quando creverat in proceram arborem illud docendi cacoethes, quod tunc temporis ſurculus erat & tenella plantula?

Lib. de præſcription.

Hiſce Patrum ſucceſſoribus nonnulla vitio vertuntur, quibus hodie recitandis aliquantiſper immorari erit fortaſſis operæ pretium. Meritò familiam ducit neglectus ſacrarum literarum. Siquidem in *ſterquilinio* Gentilium majori cum ſedulitate verſati ſunt, qui dicuntur *Scholaſtici*, quàm in Prophetarum & Apoſtolorum *myrotheciis*; ac ſi *Paulo Platonem*, & univerſis Spiritûs ſancti amanuenſibus unum *Ariſtotelem* prætuliſſent. In toto quidem *Petro Lombardo* non legitur nomen *Ariſtotelis* (obſervante *Danæo*) ſed apud poſteros, tam ſententiarios quam ſummiſtas, implet utramq; quod aiunt, paginam. Et poſtquam eum ad limen Templi *Alenſis* & *Antiſiodorenſis*, *Thomas* verò & *Albertus* in ipſa adyta perduxiſſent, deinceps ad *Lutherum* uſque ſolus ferè dominium exercuit in Theologia. Habita tunc illius ſcripta pro oraculis, ſacra interim Dei oracula adeò poſthabita ſunt, ut auſus ſit ſummus vir *Henricus Bullingerus* in hæc verba ſententiam ferre; *Unus Seneca plus ſincerioris Theologiæ poſteritati reliquit quàm omnes ferè omnium ſcholaſticorum libri.*

Prolegom. ad *Lombardum* cap. 2.

In Comment. ad Rom. 1. 19.

Sequitur

Sequitur deinde prodigiosum altercandi & rixandi studium, quod tantopere bilem movit magno *Calvino*, ut scholasticam Theologiam *diabolicam artem litigandi* nominaverit. Quòd si ridentem nemo vetet verum dicere, placeat vobis hac de re ludentem audire quendam è nostratibus in poemario cui titulus est, *Melissa Religionis Pontificia, ejusdémque Apotrope.*

Comment. I. 1 Tim. 1.

Georg. Goodwin. p.93,94.

De quercu Petrus pugnat, de monte Joannes
Oppugnat: validâ sævit uterque manu.
Intonat Alphonsus, superintonat arduus Hugo,
Contremuitque Polus, concrepuitque Lyra.
Iodocus probat hoc, Faber improbat, approbat Occam,
Martem acuit Thomas, trux fremit ore Scotus.
Andradius, Driedo, Catharinus, Carthusianus,
Alter in alterius vulnera fronte ferit.
Guido, Capistranus, Sotus, Copúsque, Canúsque,
Dogma vetus jugulat dogmate quisque novo.
In quemvis cuivis mos est effundere quidvis
Sic Cadmæa cadunt agmina Marte suo.

Mitto styli barbariem. Enimvero quanquam *formalitates, modalitates, quidditates, hacceitas, homogeneitas, suppositalitas* & id genus monstra vocabulorum ipso pænè sono formidanda, delicatis ingeniis ludibrium debeant; tolerari tamen utcunque possunt quæ aures verberant portentiloquia, modò mentem erudiant. Nec illis imputandum existimo, sed seculi potiùs, in quo floruerunt, infelicitati, crassam linguarum originalium ignorantiam; ut ut ea multorum errorum mater extiterit; quando (prout testatur Espencæus) *Græcè nôsse suspectum erat, Hebraicè prope Hæreticum.* Atqui minimè reticenda nobis est istorum hominum quoad mores improbitas; quæ tanta fuisse perhibetur, ut apud Germanos (teste Luthero) post natum Christum Centuria decimaquarta, in proverbium abierit, *Qui Theologum Scholasticum videt, videt septem peccata mortalia.* Agmen claudet turpis abusus philosophiæ ad cujus normam

In 1 Tim. 3. digress. 17.

Luther. Epist. tom. 1. Epist. 129.

mam postquam exigi vulgò cœperunt dogmata fidei, nil ferè sani relictum est in toto systemate Religionis Christianæ. Alios hîc si placet attendite, nè me quis studio partium abreptum clamitet. *Scholastici Philosophorum placita in scholam Theologicam recipientes, ex duobus per se bonis fecerunt unum pessimum, ex duobus integris unum corruptum.* Sic Gerhardus. *A Scholasticis, ejecto Platone, Aristoteles in Prophetarum & Apostolorum consessum cooptatus, ipsi propemodum Christo de veritatis norma controversiam movit, præsertim in doctrina* περὶ τοῦ ἐνδεχομένου καὶ αὐτεξουσίου. Sic Tilenus. *Illotis pedibus Sanctuarium Domini ingressi sunt, & philosophiâ Theologiam polluerunt, naturali rationis lumini multò quàm decuit addictiores.* Sic Rainoldus. Quin & eò deventum est alicubi, ut pro concione textum ex Ethica Aristotelis proposuerint & interpretati sint: quod *Tubingæ* factum esse testatur *Philippus.*

Loc. com. de Ecclesia § 128.

Syntag. part. 2. Disp. 16. thes. 31.

Collat. cum *Harto* cap. 2. D. 3.

In isto rei sacræ simul & literariæ deliquio misertus Ecclesiæ suæ Dominus excitavit *Lutherum, Melancthonem,* aliósque repurgandæ Religionis administros ad recidendum ea, quæ diximus, carcinomata, nè pars sincera traheretur. Unde factum ut in Scholis reformatis alia longè multóque pulchrior rerum facies deinceps extiterit, quàm quæ priùs in Pontificiis; & ad instar baculi *Mosis* versa sit in pedum pastorale, quæ serpens fuerat Theologia. Imò tantùm intra unius seculi decursum eviluerint Doctores Scholastici, ut minimè veritus sit *Chamierus ad Cottonum* Jesuitam profiteri, *Solere se eos consulere non aliter, quàm si quis aliquando palatium invisens, post aularum, cubiculorum & cænaculorum magnificentiam, etiam latrinas non dedignetur inspicere, sed paucis ob fætorem.* Egregiè, sicut omnia, *Whitakerus*, & falsè quidem, sed modestè de iisdem verba faciens, *Plus*, inquit, *habent argutiarum quàm scientiæ, plus scientiæ quàm doctrinæ, plus doctrinæ quàm usûs, plus usûs quàm ad salutem.*

In Epistolis Jesuiticis.

Ap. *Ol. Bowles* pastor. Evangelic. p. 128.

Quòd si quis probatum dederit à Scholis nostris exulare quotquot

quotquot sunt, de quibus peroratum est hodie, veterum Scholasticorum vitia; non erit, opinor, cur ampliùs oblatrent adversarii. Id jam superest pensi, in quo accurando, ut ut vires fortè defuerint, præstò tamen erit conatus; sed valde paucis expediendus, nè tædio sim. *Romam* profectò hodiernam, etsi satis supérque audacem, vix eò crediderim impudentiæ pervenisse, ut ausura sit Cathedris Evangelicis aut styli barbariem, aut linguarum ignorantiam impingere. Siquidem Institutio *Calvini*, *Juelli* Apologia, *Whitakeri* ad *Campianum*, & ad *Duraeum* Responsiones, unà cum aliis mille nostratium scriptis, eâ pollent dicendi puritate, ut si olim è rostris in Roma veteri recitatæ fuissent, laudem procul omni dubio, fortè plausum, etiam non intellectæ retulissent.

Ad linguas quod attinet; sicut post captam à Turcis *Constantinopolim*, *Græcia transvolavit Alpes*; & intelligi cœpit in *Anglia*, *Gallia & Batavia* quicquid *Athenæ* olim docuerant: ità nunc dierum tota ferè *Palæstina* cum contiguis regionibus in Academias reformatas ultro migrâsse videatur.

Illarum verò tum Rectoribus, tum alumnis quantùm jurgia displicuerint, faciam ut ex ipsorum dictis, votis & querelis liquidò constet. Nondum orto *Luthero*, sed mox orituro, *Tubingæ* docuit *Conradus Summerharde*, qui sic questus est, *Quis me miserum tandem liberabit ab ista rixosa Theologia?* Ipsius *Lutheri* votum hoc fuisse traditur, sæpius etiam à *Davide Pareo* usurpatum, *A Doctore glorioso, Pastore contentioso, & inutilibus quæstionibus liberet Ecclesiam suam Dominus.* *Melancthon* denique vir in quo cum doctrina pietas, cum utraque candor certavit, morti jam proximus, *Cupio*, inquiit, *ex hac vita migrare duas ob causas; primùm ut fruar desiderato conspectu Filii Dei & cœlestis Ecclesiæ; deinde ut liberer ab immanibus & implacabilibus odiis Theologorum.* Maluerunt scilicet viri optimi simplicitatem Evangelii, quàm curiositatem proble-

M. Adam. Vit. German. Theol. p. 13.

Vita *Parei* pag. antepen.

M. Adam. ibid. p. 427. in vita *Strigelii.*

matum; credere quàm quærere; ſalutem quàm garrulitatem.

Ea verò plerumque pietas in Profeſſoribus Evangelicis ſemper emicuit, ut qui Reformatum Doctorem ſpectaverit, is ſæpenumero non ſeptem peccata mortalia, ſed tres virtutes Theologicas conſpexiſſe credendus ſit. Quantum illi ſacris literis, quantillum philoſophiæ tribuerunt, contrà quàm ſoliti ſunt ſcholaſtici, res ipſa loquitur. Nollem ego libenter in clara meridie lucernam accendere: idcóq; verbo abſolvam omnia. Habuit ſe ad Theologiam philoſophia in Scholis quorundam ſaltem Patrum, ut *Socia*: in gymnaſiis Scholaſticorum ut *Domina*, in reformatorum Cathedris ut *Ancilla*: Quem ei locum quiſquis inviderit, næ ille de *Theologia* malè, de *Philoſophia* pejùs, de *Eccleſia* peſſimè meritus eſſe videatur.

Oratio

Oratio III. *Anti-Weigeliana.*

Alumnorum & Hospitum corona nobilis, venerabilis, erudita.

SImulac à Viris Academicis pariter & Ecclesiasticis exceptæ sunt perquam inhumaniter literæ quas vocant humaniores, & Gradus scholastici de gradu suo deturbati; usurpari potuisset vetus illa querimonia, *Hodie venenum effusum est in Ecclesiam pariter & in Academiam.* Eas ego quanquam eloquio polire nequeam, nolo tamen silentio prodere. Vestra jam agitur res, optimæ indolis, optimæque spei juvenes; Vobis excutiuntur è manibus quæ in deliciis sunt volumina, dum severiores Musæ nihil habere cum philologia grati saltem commercii perhibentur. Imò vestra Patres & Fratres, quibus exuenda statim est purpura, titulíque proculcandi, nisi bruto fulmine percelli velitis, & audire *milites Antichristi.*

Quidni itaque placeat filium meum, qui se coram sistit hodie in theatro quidem augustissimo paternis præceptis imbuendum, monere sedulò, ut sibi caveat ab omni *fermento* sequiore, nominatim à *Weigeliano*, cujus hæc frusta sunt & particulæ quædam selectiores? Ea siquidem vis est cujuslibet heterodoxi fermenti, ut, *modicum licèt sit* teste proverbio cujus aliquoties meminit *Paulus*, *totam repente massam inficiat.* Error, cui novitas lenocinatur, diffundit se ocyùs in totam familiam, urbem, ecclesiam, Regionem, utì nos millies experti sumus in eo quod jam agitur seculo. Expertus est ante nos *Lutherus*, nè in sola fortassis Anglia morbus iste grassari videretur: *Decem* inquit *annis laboratur antequam Ecclesiola rectè & piè instituta paretur, & ubi parata est, irrepit aliquis fanaticus & quidem Idiota, qui nihil novit aliud quàm contumeliosè* Tom. Oper. 4° fol. 18. A.

 loqui

loqui contra ſinceros verbi Doctores, Is uno momento evertit omnia. Sic ille.

Fermenti proprietates reliquas petant velim adoleſcentes, quibus hoc quicquid eſt operæ lubens navo, ab ipſa verborum etymologia. Facit *ut ferveſcat* maſſa, unde Latinis fermentum dicitur à ferveo quaſi fervimentum; quemadmodum & Græcis ζύμη, à ζέω. *Ut tumeſcat*, unde Galli & Britanni nomen illi à *levando* indiderunt. *Ut aceſcat* denique unde ab Hebræis vocatur חָמֵץ à radice חָמַץ acidus fuit.

Certè pugnaces plerumque ſunt errorum advocati, genii paulò fervidioris, & *toti*, quod aiunt, *in fermento*. Lutheranos appello rigidiores. Inter quos *Jacobus Andreas* in exitu colloquii *Mompelgartenſis*, cùm *Beza* dixiſſet Dolemus nos non conſentire; cupimus tamen vobiſcum fraternitatem colere: ***Dextram illi humanitatis quidem obtulit, ſed fraternitatis negavit.*** *Conradus Schluſſelburgius*, qui ſcribit ſe illos perfecto odio tanquam hæreticos ſecundùm Dei mandatum proſequi. Imò *Brentius* in ipſo quod condidit Teſtamento (modò fides habenda ſit *Heſpiniano*) claſſicum canit ad bellum ἄσπονδον cum *Zuinglianis* gerendum, & viros principes obteſtatur, nè illis in vera Chriſti Eccleſia ſedes ulla, ullus in *Germania* locus relinqueretur. Miſeret ſanè me & pudet Evangelicorum, quoties illud *Adami Contzen* Jeſuitæ in mentem venit, ***Si quiſquam Lutheranorum libros Eriſticos contra Calvinianos*** (addit ille) ***vel illorum contra Lutheranos legere velit, non hominum in homines invectivas eſſe, ſed dæmonum contra dæmonas furores & rugitus ſibi perſuadebit.***

Hoornbeeck ſumma controverſ. p. 566.

Ibid. p. 576.

Concordia diſcors in præfatione.

Politicor. l. 2. c. 19. § 6.

Porrò me de tumore maſſæ fermentatæ verba feciſſe recognoſcitis. Is ſuperbiæ ſymbolum eſt, illius ſcilicet quam erroris comitem eſſe tantùm non individuam clamat omnium ſeculorum experientia. De *Eunomianis* Chryſoſtomus, *Hanc*, inquit, *arborem hæreſeos nec Paulus plantavit, nec Apollo rigavit; ſed plantavit ſuperbia, rigavit invidia.* Quantùm

tùm hodierna Jesu societas intumescat, abundè testabitur illa *Bonaldi* vox admirabilis, de qua arrogantiæ plenior sit an falsitatis haud facile dixeris; *Jungantur in unum dies cum nocte, lux cum tenebris, calidum cum frigido, sanitas cum morbo, vita cum morte; & erit tum spes aliqua posse in caput Jesuitæ hæresin cadere.* Quid ego *Paracelsum* memorem, qui cùm recaluaster esset, *Stultißimum occipitii sui pilum plùs scire gloriatus est, quàm omnes Galeni sectatores; & ipsius barbam plus experimentorum habere quàm omnes Academias?* Quid *Henricum Nicolaum*, Familiæ quam vocant Charitatis fundatorem? quem apud *Batavos* jactare solitum esse tradit scriptor haud ignobilis, *se nimirum Mosi & Christo præponendum, eò quòd Moses spem docuisset, Christus fidem, ipse charitatem utrâque majorem. Mosenque propterea substitisse in atrio, Christum penetrâsse in Sanctum, se in Sanctum Sanctorum.* Tam brevi confinio distermimantur, Auditores, hæretica superbia & blasphemiæ infernales.

Bonaldi Apolog. c. 3.

Apud *Hoornbeck* in commentario de *Weigelian.* pag. 6.

Jo. Lat. compend. historiæ. Univers. pag. 583.

Panis denique fermentati sapor ex acido & salso mixtus facit, ut appetitum irritet & arrideat palato. Talia sunt errorum plerumque lenocinia. Veritas divinitatem spirat, humani quid sapit & promovet heterodoxia. Loquar rotundè. Omnino concinnatus est aut esse saltem videatur *Socinianismus*, ut *rationi humanæ*, quam in ipsius fidei rebus judicem statuit; *Remonstrantismus*, ut *humano arbitrio*, cui proram quasi & puppim assignat in negotio salutis; *Papismus*, ut *humanis sensibus*, quos apparatu summo demulcet; *Libertinismus* ut *humanis affectibus*, quibus fræna laxare solitus est, adblandiretur.

Sed ut unde primùm exorsus sum, eò jam relabatur oratio; Cusa est utì probè meministis in *Weigelium* quendam faba, ac si is humanarum literarum, & graduum insuper Academicorum hostis esset acerrimus. Sufficient nobis impræsentiarum dictum ipsius unum & alterum illa de re quæ præ manibus est: neque enim vacat integram hanc Cama-

Hoornbeek Comment de Weigel. p. 10.

rinam movere; *Propono*, inquit, *mihi Pontificios, Lutheranos, Calvinianos, quámque Sectam seorsim; Confero characteres Antichristi, & ex eorum signaturis facilè cognosco quàm cum pseudoprophetis conveniant; atque ulteriùs dico universum statum ecclesiasticum cum omnibus suis scholis in Novo Testamento in seculo filii de maledicta arbore esse, in qua dehinc bonus fructus nec crescit, neque unquam crescere potest.* Alibi sic; *Vera Theologia facilis est; neque artes dicendi Grammaticam, Dialecticam, Rhetoricam, linguas requirit, utpote nullius usûs, Apostoli siquidem ac Prophetæ absque illis nihilominus Theologi fuerunt.* Vultísne plura? *Nullus Doctor, Magister, Jurisconsultus cælum introibit magìs quàm adulter. Nullus Astronomus, Medicus, Physicus, Philosophus, neque Magister artium aut linguarum cælum ingredietur.* Nondum aures obturatis, Patres & Fratres? nondum despuitis? Piget profectò plura repetere; quanquam sexcenta sint alia quæ proculdubio

Id. ibid. p. 24, & 25.

Non sani esse hominis, non sanus juret Orestes.

Attamen sunt è nostratibus, nè dicam è nostris, qui reformatores primarios in eadem fuisse sententia perhibent; quod ego fidentiùs an fallaciùs dictum sit dubito. Ut ut enim *Lutherus*, cujus nomen & authoritatem unicè crepant, præ eo quo pollebat fervore in Pontificiorum scholas, gradus, literaturam, omnia vehementiùs invectus sit, utpote gravi superstitione deturpata; genuinum tamen Philologiæ usum & Philosophiæ, ídque in ipsa Theologia satis apertè profitetur. Epistolarum, quas conscripsit, duo extant volumina seorsim edita, in quorum uno, *Ego*, inquit, *persuasus sum sine literarum peritia prorsus stare non posse sinceram Theologiam, sicut hactenus ruentibus & jacentibus literis miserrimè & cecidit & jacuit. Quin video, nunquam fuisse insignem factam verbi Dei revelationem, nisi primò velut præcursoribus Baptistis viam parârit surgentibus & florentibus linguis & literis.* In altero sic; *vehementer & toto cælo errare censeo, qui philosophiam*

Epist. tom. 2. p. 307.

Epist. tom. 1. p. 360.

philosophiam & naturæ cognitionem inutilem putant Theologiæ. Idem Doctor egregius, & ipso quidem Aquinate magìs Angelicus, in lucem edidit aureum libellum de instituendis pueris inscriptum magistratibus & Senatoribus civitatum Germaniæ, in quo de linguis ità loquitur; *Vaginarum vice sunt linguæ in quibus gladius ille Spiritûs, nempe verbum Dei, tenetur insertus; Arcæ seu thecæ repositoriæ quæ repositum hoc nobile κειμήλιον adservant; pocula quibus salubrem potionem exceptam circumferimus; cellæ promptuariæ ex quibus Concionator Evangelica cibaria depromit; Cophini denique in quibus panes unà cum piscibus, adeóqe reliquiarum fragmenta, nè pereant, custodiantur.* De seipso sic, *Quantâ nunc ducor pœnitentia ob non plures & Poetas & Historiographos à me lectos!* De Ministerii candidatis, *par esse ut illi præ aliis prolixiùs vel in totum, bonis literis consecrati, incumbant.* De bibliothecis instruendis, *locum illic assignari debere poetis etiam & oratoribus sive Christiani fuerint sive Ethnici, quoniam, inquit, ex his discenda Grammatica.* Hæc Lutherus, qui deinceps, opinor, γραμματομάστιξ nonnisi per calumniam audiet.

Oper. witeberg. tom. 7. fol. 442.

Ibid. fol. 444. A.

Eum, quem diximus, de instituendis pueris libellum Latinitate statim donavit fidus ille Lutheri Achates *Melancthon*, & omnibus studiosis dedicavit per Epistolam, cujus hæc clausula est valde ni fallor, memorabilis; *Linguas profectò præcidi oportet iis qui pro concionibus passim à literarum studiis imperitam juventutem dehortantur. Nam admissâ barbarie videmus olim labefactatam esse religionem; & vehementer metuo nè eòdem redeat res, nisi manibus ac pedibus pulcherrimum Dei munus, Literas, defenderimus.* Euge Philippe! Rem quidem acu, nostra verò omnium corda veritatis sensu tetigisti.

Cæterum nè prolixâ nimis oratione tædium vobis creetur & nausea, quænam olim sententia fuerit tantorum virorum de gradibus nostris Academicis, Doctoratu

ratu præſertim in Theologia, & ejuſdem ritibus, jam tandem accipitote.

Mel. Adam. in Vita Lutheri p. 105.

Adeptus eſt gradum hunc *Lutherus* anno ætatis ſuæ trigeſimo. Eum tamen modeſtè recuſavit, donec *Staupicius*, quem ſummâ ſemper reverentiâ proſequutus eſt, ut illo ſe pateretur ornari obnixè rogaverat, & prædixerat multum Deo negotiorum in Eccleſia fore, ad quæ & ipſius uſurus eſſet operâ. *Philippus*, etſi ſolo Magiſtri titulo contentus fuerit, honorificè tamen de doctoratu ſenſit & locutus eſt, prout teſtantur ipſius verba in epiſtola quadam familiari, *Vides*, inquit, *meum exemplum. Nemo me perpellere potuit, ut illum quamlibet honorificum titulum Doctoris mihi decerni ſinerem. Nec ego gradus illos parvifacio, ſed ideo, quia judico eſſe magna onera & neceſſaria Reipublicæ, verecundè petendos eſſe & conferendos ſentio.*

Apud *Jo. Hoornbeck* in ſumma Controverſ. p. 511.

Zanch. oper. in fol. tom. 8. part. alterâ col. 483, 484.

Minimè prætereundus eſt *Hieronymus Zanchius*, cui poſt annos viginti ſex in docenda Theologia feliciter exactos Doctoratûs gradum & ornamenta contulit *Petrus Boquinus* in Academia *Heidelbergenſi*. Illîc in uſu tunc temporis erant iidem planè ritus & conſuetudines inter creandum, qui in noſtra jampridem obtinuerunt. De quibus mihi (nè quid diſſimulem) idem omnino judicium eſt, quod illi tunc fuiſſe conſtat ex oratione quadam ibidem habita. *Dico cæremonias haſce, quibus in creandis Doctoribus utì ſolemus, non ità eſſe neceſſarias quin ſine ullo Eccleſiæ detrimento aut dedecore omitti poſſint. Rurſus ità honeſtas eſſe aio, ut contemni non debeant, neque ſine reprehenſione negligi.* Ità Zanchius.

Id. Ibid. Col. 502.

Nobis mox contrahenda ſunt vela, modò priùs licuerit paucis cum filio balbutire, & quod ſolent plerumque Patres, miſcere fabulas. Lepidum eſt quod narrat *Sylvius* de *Georgio* quodam *Fiſcellino*, Juris utriuſque Doctore, quem paulò antè in ordinem Nobilium Imperator *Sigiſmundus* cooptaverat. Agebatur tunc *Huſſii* cauſa

causa in *Concilio Constantiensi*, ingressus est magnâ Nobilium & Doctorum catervâ comitante *Sigismundus* ipse; quo considente, quisque se ad sui similes recipiebat. Hîc *Georgius* subsistere, nec quò se conferret videre; tandem verò Doctoribus missis, Nobilibus assidere; quod cùm animadvertisset Imperator in cachinnum effusus est, & dixit, *Miror profectò te, Fiscelline, qui nobilitatem eruditioni præfers. Nonne vel sexcentos Rusticos uno die à me immunitate donari, atque ad Nobilitatis fastigium evehi; toto verò vitæ meæ tempore ex ipsis omnibus nè unum quidem doctum effici posse cernis?* Tanti fecit cum doctrina Doctoratum vir in summo majestatis culmine constitutus. Quin & aliud adjiciam minùs fortè lepidum, sed non minùs memorabile. Soliti sunt in Oriente Viri principes & Legati diversoriis suis inter itinerandum titulos inscribere per quos aliis innotescerent. Morem hunc imitatus *Martinus Martinius* è societate Jesu Theologus, qui libellum nuper edidit de *Bello Tartarico*, cui etiam interfuit, refert se tunc temporis degentem in urbe quadam *Sinensi*, quam invadebant *Tartari*, cùm tumultu personabant omnia, super portam ædium suarum ità scripsisse; *Hîc habitat ex magno Occidente divinæ legis Doctor*: Insuper in aulâ libros quosdam *Europæos* splendidè compactos exposuisse, unà cum instrumentis Mathematicis; eventu planè felicissimo. Tantum enim abfuit ut ullam à militibus pateretur injuriam, ut ipse Tartarorum Regulus, qui copiis istis imperabat, eum benignè invitatum liberalissimè exceperit. Ecce libros tutelares! Ecce titulum Doctoris in Theologia apud ipsos etiam barbaros, eósque armatos, fervente bello salutiferum!

Zachar. Theobald. Bell. Hussitii. p. 38.

Pag. 99.

Tu tandem, *Fili*, jam isthoc titulo probè munitus, utere, fruere, quem modò nactus es, gradu scholastico; eum nos tibi seriò gratulamur. Sin aliter animati sint Reipublicæ literariæ adversarii,

Rumpatur quisquis rumpitur invidiâ.

Quod superest, absolvam voto; brevi quidem sed enixo. Faxit Deus Optimus Maximus tenacem adeò veritatis hanc Academiam, ut deinceps in Anglia lupum, in Hibernia bufonem invenire facilius sit, quàm aut Socinianum, aut Arminianum, aut Weigelianum in Cantabrigia.

FINIS.

TACTICORUM SACRORUM
Liber Primus.

Cap. I.
De Congruentia Religionis Christianæ cum Militia Spirituali.

Introductio de titulo scopo & stylo operis, Sect.1. *Quanti æstimandus sit locus*, Genes.3.15. *In eo fundatur Christianismus, attestantibus* Luthero, Pareo, Glassio, Sect. 2. *Reclamante tamen* Smalcio, *cujus prima ratio refutatur*, Sect.3. *Refutatur altera, & ostenditur maledictionis & promissi complicatio,* Sect. 4. *In eodem Textu militiæ spiritualis primordia continentur,* Sect.5. *Palàm fit quo sensu Deus posuisse dicitur inimicitiam,* Sect.6.

§. I. Peri nuper exasciato (cujus primarius scopus est hominem Christianum ad Militiam spiritualem, militem ad pugnam, victoriam, & triumphum instituere) Titulum hunc *Tacticorum Sacrorum* haud illubenter assignavimus; eò quod, observante *Sixto Arcerio* Τακτικὰ dicebantur antiquitùs, ea, quæ ad instruendarum acierum scientiam pertinebant: Ætas verò posterior latiore significatu voce hac usa est, ac complexa quicquid ad rem militarem spectabat. Quem adhibeo stylus

In Notis ad *Æliani* Tactica non procul ab initio.

 neque

Hottinger. in Analectis, pag. 22.

neque phaleratus eſt, qualem affectâſſe ferunt *Cardinalem Bembum* qui pro ſpiritu ſancto ſubſtituere ſolebat *Auram Zephyri cæleſtis*, & pro eo, quod nos dicimus remiſſionem Peccatorum obtinere, *Deos ſuperos, Manéſque placare*; neque duriuſculus, qualem offendiculo fuiſſe teſtatur *Eraſmus* magni nominis Theologo, qui negabat novem annos ſufficere ad intelligendum barbaros ſcholaſticorum terminos quos *Subtilis Doctor* in ſolam præfationem *Magiſtri ſententiarum* commentatus eſt: Sed (ut intra vocis unius ambitum complecti poſſim totam ipſius latitudinem) ſtylus *Scholaſtico-Paſtoralis*. Enimverò quoties occurrent polemica, quod ſæpiùs fiet, à terminis ſcholaſticis, etſi delicatis quorundam auribus horridiùs ſonent, non abhorrendum eſſe duxi; utpote qui cum *Auguſtino* multò mallem clavem ligneam modò ſit ad reſerandum idonea, quàm auream aut argenteam, quæ ad aperiendum minus ſufficit. Quoties ea quæ vel practicam Theologiam, vel Philologiam ancillantem propiùs ſpectant, uti libet ornatu verborum aliquo, dummodo non meretricius ſit, ſed Matronalis.

Idem diſſertat. pentad. pag. 224.

De Doctrina Chriſtian. cap. 11.

Ita præfatus, ordior jam cum bono Deo tractatum varietate multiplicem. Ipſe faxit ut & utilitate multiplex ſit.

§. II. Cogitanti mihi per otium (quod ex muneris Profeſſorii depoſitione nactus ſum, poſtquam me ſequior valetudo corripuerat) de re militari Chriſtianorum ſe primùm obtulit inter Chriſtianiſmum & Militiam ſpiritualem ſumma quædam neceſſitudo. In ipſo ſiquidem Paradiſo jacta ſunt utriuſque fundamenta, & in eodem textu Moſaico utriuſque primordia continentur, capite nimirum tertio Geneſeos, verſu decimo-quinto, ubi ſic Jehova ſerpentem alloquitur, *Ponam inimicitiam inter te & Mulierem, inter ſemen tuum & ſemen ejus; Ipſum conteret tibi caput. & Tu conteres illi calcaneum.*

Textus eſt, ſi quis alius curâ noſtrâ digniſſimus: Enimvero primum in quolibet genere, cùm ſit menſura reliquorum, diligentem utique meretur indaginem, & eo nomine (modò bonum ſit) æſtimationem haud vulgarem. In erroribus πρῶτον ψεῦδος, in ſcientiis prima principia ſummo ſtudio inveſti-

stigantur. *Adamo* ponitur in laude quod *protoplastus*, *Stephano* quod *protomartyr* huic loco quod sit *protevangelium*.

De illo quidem valde magnificè magni nominis meritique scriptores locuti sunt. *Continet quicquid tota scriptura eximium habet.* Sic Lutherus. *Pareus* in eo comprehendi asserit & demonstrat integram Catechesin Christianam, de miseria, reparatione, & gratitudine hominis. Addo *Solomonem Glassium*, cujus hæc verba sunt, *Ut ex abysso illa aquarum magna, cui incubuisse Spiritus Dei dicitur, omnis in mari ac terra aquarũ copia a mundi primordio duxit, etiamnum ducit, & ad finem usque ejus ducet originem: sic quæcunque in scholis Patriarcharum ante & post diluvium, In populo Dei fœderali prisco ante & post captivitatem Babylonicam, in Ecclesia Christi ante & post ejus exhibitionem facta fuere promissa divina, justitiam, remissionem peccatorum, gratiam Dei & vitam æternam propter Christum obtinendam spectantia, velut unda salutis & consolationis limpida, non nisi ex oraculo illo protevangelico, seu imperscrutabili abysso, & inexhausto sapientiæ fonte (cui incubat quasi & præsidet ad hominum vivificationem almus Jehovæ spiritus) profluxisse, & ejus commentaria quædam esse certò sentiendum est.*

Tom.6.Oper witemb.fol.45

Tom.1.p.116 & 130.

Christolog. Mosaic. p. 57.

§ III. Nil itaque miri si antiquus ille serpens, quem capitis sui maxima tenet solicitudo, nullum non moverit lapidem ut huic textui, de ipsius contritione vaticinanti tenebras offunderet. Si inter alios insignis ille fidei Socinianæ hyperaspistes *Valentinus Smalcius* improbè satis asseruerit, ea Domini verba, de quibus agitur, quando primùm ab ipso prolata sunt, *Christum minimè respexisse, nec aliquid in se promissionis Evangelicæ continuisse; sed ad prædictionis complementum sufficere, quòd homini data sit potestas superandi serpentem, quem odio habiturus erat, quomodocúnque tandem id accipiatur.* O glossam, ut clementissimè loquar, dilutam & frigidam! ut verissimè, falsam & mendacem! siccine, molles Christiani, Protevangelium nobis eripi? siccine dilacerari magnam hanc & primam salutis nostræ Chartam patiemur? Absit à nobis quàm longissimè.

Refutat. Thesium Frantzii p.94.& 221.

Verùm nè hostem contemnere potiùs quam debellare videamur, disquiramus porrò, quo tibicine nitatur assertio Smalciana; Duas mihi visus est assignare rationes sententiæ suæ. *Certè*, inquit, *si Evangelii primordia cæpissent in Paradiso, vix credibile videtur fieri potuisse ut aliquis sacrorum scriptorum novi Fæderis semel saltem illud vaticinium non allegâsset; quod tamen nusquam factum esse ipsâ luce clarius est.* Respondemus: 1. Novi Testamenti Scriptores locum hunc saltem respexisse, ejusque sensum aliis verbis reddidisse. Ecquid enim aliud sonat illud Johannis, *Adhoc apparuit filius Dei ut dissolvat opera diaboli*; atque illud Apostoli ad Hebræos, *Quoniam pueri participes sunt carnis & sanguinis, ipse quoque consimiliter factus est particeps eorundem, ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, Diabolum.* Ecquid, inquam, aliud sonat quàm quod hîc dicitur, semen Mulieris conteret caput serpentis? 2. Verba ipsissima tantùm non allegari: Quia si recolligantur & in unum conflentur, quæ sparsim extant apud Paulum, in ista omnium recapitulatione statim apparebit sententia Mosaica. *Emisit Deus filium suum factum ex muliere.* Ecce mulierem. *Non dicit & seminibus, ut de multis, sed ut de uno, & semini tuo, qui est Christus.* Ecce semen. *Deus Pacis conteret Satanam sub pedes vestros citò.* Ecce contritum antiquum serpentem, utì Satanam vocat *Johannes* in Apocalypsi, ab illo semine, Christo scilicet, quem *Isaias* appellat Principem Pacis. 3. Etsi daretur, quod minimè concedendum est, in Novo Testamento nullam omninò tanti loci vel implicitam mentionem fieri ab amanuensibus Spiritûs sancti, indè tamen neutiquam sequetur vel in Paradiso non cæpisse Evangelium, vel illud in isto quod laudavimus, commate non comprehendi; quoniam alia sunt argumenta, quæ utrique fidem faciunt.

Id. ibid. p. 94. in calce.
1 Joan. 3 8.
Heb. 2. 14.
Galat. 4 4.
Galat. 3. 16.
Rom. 16. 20.
Apoc. 12. 9.
Isai. 9. 6.

Unicum hoc sufficiet impræsentiarum. *Adamum* adhuc paradisi incolam in Christum revelatum per fidem Evangelicam recubuisse, atque adeò ad salutem credidisse, receptissimum erat dogma Ecclesiæ veteris tum Judaicæ, tum Christianæ.

Christiana

Christiana quid tenuerit abundè constat ex *Tertulliano* [a], *Epiphanio* [b], *Augustino* [c]; qui omnes *Tatianum* damnant, & inurunt hæretici stigmate, eò quòd salutem Adami per fidem in semen ipsi promissum denegaverit. Quid Judaica senserit hac de re, palàm fiet ex eis quæ tradit Author libri, qui inscribitur *Sapientia Solomonis.* Siquidem ille verba faciens de sapientia, non creata solùm sed & increata, æterno nimirum Dei filio (prout patet ex collatione versûs noni capitis noni, *Tecum est sapientia quæ novit opera tua, & quæ adfuit cùm faceres mundum*, cum eis quæ Christo tribuuntur ab ipso *Solomone* in octavo capite proverbiorum, *Christo*, inquam, ut ut reclament Sociniani, eodem ibidem titulo gaudenti) Huic ipsi sapientiæ salutem Adami ascribit verbis disertissimis in exordio capitis decimi, Αὕτη πρωτόπλαστον πατέρα κόσμου μόνον κτισθέντα διεφύλαξεν, καὶ ἐξέτεινε (alii rectiùs legunt ἐξείλατο) αὐτὸν ἐκ παραπτώματος ἰδίου. i. e. *Illa protoplastum Patrem mundi cùm solus esset creatus custodivit, & eduxit illum è delicto suo.* Certè fides salvifica non aliud sibi objectum vendicat præter Christum in Evangelio revelatum, nec aliud extat apud *Mosen* Evangelium in tota sua mundi historia primordiali præter hoc, de quo quæritur. Constat igitur de utriusque veritate, modò nobis liceat (quidni autem nobis liceat æquè ac Smalcio?) ex Scripturæ silentio ratiocinari.

[a] Præscript advers. hæret. cap. 52.
[b] Hæresi 46.
[c] De hæresib. cap. 25.

the only place in ye story of Moses about ye Creation

§. IV. Rationem alteram ità proponit & prosequitur *Valentinus.* Dixerat *Frantzius*, eo in loco verbis eisdem intentari diabolo maledictionem & hominibus promissionem exhiberi. *Smalcius* ad hæc more suo i. e. jactanter, *Num*, inquit, *frigidum & calidum simul ex ore Dei exit? Hanc novam Theologiam nisi firmis probet vel rationibus vel testimoniis, contineri scilicet posse in eisdem verbis maledictionem & promissionem, quid de se, & hac sua causa futurum putat apud cordatos? Si promissionem in hisce verbis contineri velit, maledictionem contineri potiùs negâsset, quàm in ejusmodi sese tricas conjecisset incautus.* Cæterùm bona verba, quæso, mi *Valentine*; non est enim adeò in scripturis insolens id quod tu nusquam inveniri plùs quàm

innuis, in eodem ſcilicet dicto, dum diverſa reſpiciuntur, maledictionem ſimul includi & promiſſionem. Inſtantiam vis? Illud tibi *Davidis* ob oculos pone, *Adhuc paululùm, & Impius non erit.* Annon hoc dum ruinam interminatur improbis, fauſta bonis pollicetur? Contextum inſpice, & ſi potes vel nega vel dubita. Sed ut omnia clariùs eluceſcant, rem ab ovo repetamus. In prima hac ac funeſta Tragædia tres erant actores qui in orcheſtram prodierunt, *Serpens*, *Eva*, & *Adamus*; Quartus qui latebat quaſi poſt ſiparia, Is erat *diabolus in ſerpente.* Serpens actus à diabolo ſeducit Evam, Eva per ſerpentem ſeducta Adamum præcipitem dat in ruinam, ille ſuos omnes poſteros. Deus, quem *Deum Ordinis* appellat Apoſtolus, eodem eos ordine in jus vocat, quo in peccatum delati ſunt. Proinde ſerpentem alloquitur primò, tum brutum, tum larvatum; & nè animos deſponderent protoplaſti (qui tunc temporis interfuerunt, & coram eodem tribunali ſiſtebantur, ipſi quóque penitùs rei) pro eâ quâ pollet miſericordiâ itâ maledicit ſeductori, ut eos interim reſocillet mentione Redemptoris, quem obiter quaſi & aliud agens pollicetur. Vidiſti, lector, aliquoties picturas quaſdam arte plicatas, quæ ex una parte intuentibus ſpeciem formoſam, ex altera ſpectantibus monſtri quid exhibuere; talis eſt hæc ſententia Domini: Quà diabolum ſpectat, internecionem; quà genus humanum, promiſſionem Evangelicam præ ſe fert.

Pſal. 37. 10.

Recapitulatio

3 actors in the Tragedy of Mans fall

§ V. De origine Chriſtianiſmi dictum eſt hactenus. Pergo jam ad Militiam ſpiritualem, cujus primordia cernere eſt cuivis legenti in eodem commate. *Ponam*, ait Dominus ad ſerpentem, *inimicitiam inter Te & Mulierem, inter ſemen tuum & ſemen ejus.* Ecce Jehovam fecialem! Ecce poſitam inimicitiam, in cujus exercitio fundatur hoc quicquid eſt Militiæ! Ecce primævam belli iſtius denuntiationem, quod ab incunabulis mundi geſtum eſt, etiamnum geritur, & geretur deinceps ad finem ſeculi, inter Chriſtum cum ſuis ex unâ parte, & diabolum ex altera cum ſuis aſſeclis.

The great warr.

Hæc illa ſunt de quibus fuſiùs diſſerendum in ſequentibus.

Eximendus

Eximendus intereà ſcrupulus eſt, qui hîc occurrit circa Dei providentiam in malo: Cum veriſſimè dictum ſit *Quorum ultor Deus eſt, eorum author non eſt*; & certiſſimè conſtet ſummum Numen nefariam illam inimicitiam quam exercet ſerpens metaphoricus & ejus ſemen adversùs Chriſtum & Chriſtianos ultione graviſſimâ excepturum: meritò quæritur quomodo ſe eam poſiturum aſſerit? Tantíne peccati cauſam & authorem ſtatuemus Deum? Abſit, abſit; Dicamus potiùs cum Chryſoſtomo, *Satius eſt ſexcenties defodi, quàm Deum audire talia per nos*; cum Auguſtino, *Peccabam Domine Deus, ordinator & creator omnium, peccatorum autem tantummodò ordinator.* Sic enim locum illum qui vulgò vitioſè legitur *tantùm non ordinator*, reſtituendum omnino cenſet *Cl. Gomarus.* Nec dubito, inquit, quin compendio literarum *Tantummō* ſcriptum fuerit, quod librariorum incuriâ in *Tantum non* abierit.

βέλτιον κατορυγῆναι μυριάκις, &c. Homil. 23. in Acta.
Confeſſ. l. 5. cap. 10.
Oper. Tom. 3. pag. 171.

Sciendum eſt itaque ad hujuſce dubii ſolutionem verba activa præter efficientiam propriè dictam (quam plerúmque exprimunt) alias quaſdam concurrendi rationes & modos ſignificare; *prædictionem* ſcilicet ut apud Jeremiam [d], *præficio Te gentibus ad deſtruendum & ad ædificandum*, ubi Propheta præſtare dicitur, quod futurum prædicavit; vel *permiſſionem*, ut in ſecundo Samuelis [e], *Menſus eſt duos funiculos, unum ad occidendum & unum ad vivificandum*, ubi David dicitur eos vivificâſſe quos permiſit vivere; vel *directionem & ordinationem*, ut in octavo ad Romanos [f], *Proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum*; ubi Deus filium tradidiſſe dicitur pro nobis, eò quòd per providentiam imperſcrutabilem ità direxit malitiam Judæorum & Romanorum, à quibus traditus eſt, ut electis ſalutifera eſſet ipſius mors.

[d] Cap. 1. v. 10.
[e] Cap. 8. v. 2.
[f] Ver. 32.

§ VI. Jam verò hiſce modis omnibus poſuit Deus inimicitiam de quâ quæritur, non *ut cauſa phyſica* eam infundendo; nec ut *cauſa moralis* eam præceptis & ſuaſionibus excitando; ſed partim prædicendo fore ut odium illud internecinum,

quod

quod ex lapsu nuper contraxerant creaturæ degeneres, adolesceret in bellum ἄσπονδον, respectu quidem mulieris pium & gloriosum, sed respectu serpentis sceleratum pariter ac infaustum; partim etiam permittendo, siquidem *Non volens peccatum, volens tamen permittit*; *Adeò ut miro & ineffabili modo* (quæ verba sunt Augustini) *non fiat præter ejus voluntatem, quod contra ejus voluntatem fit; quia non fieret si non sineret, non autem sineret bonus fieri malè, nisi omnipotens de malo facere posset benè.* Dirigendo denique & ordinando Satanæ & Improborum malitiam ità ut cedant in gloriam suam, in emolumentum Ecclesiæ, & ipsorum perniciem in die Domini, de quo idem Augustinus præclarè, *Creatorum*, inquit, *spirituum voluntates bonas adjuvat, malas judicat, omnes ordinat.*

De civit. Dei. lib. 5. cap. 9.

Cap. II.

De adversariis quorum meminit Πρωτευαγγέλιον, Genes. 3. 15.

Serpens naturalis præteritur, Metaphoricus *indigitatur. Illud nomen sortitus est diabolus ob larvam quam induit in Paradiso*, Sect. 1. *Ob qualitates quibus imbuitur, ob utriusque venenum mortiferum,* Sect. 2. *morsum imperceptibilem*, & *statum vilissimum*, Sect. 3. *Serpentis semen duplex. Invisibile, Spiritus sc. infernales, cur audiunt semen diaboli,* Sect. 4. *Visibile, homines sc. improbi, qui iisdem cum ipso Satana nominibus insigniuntur*, Sect. 5. *Septem vitia quæ præ aliis referunt indolem diabolicam*, Sect. 6. *Per mulierem non intelligimus vel Ecclesiam cum* Gordono

Gordono *Jesuita vel Virginem* Mariam *cum* Tirino; *utérque refutatur,* Sect.7, & 8. *Mulier est Eva. Semen mulieris primarium est Christus. Quo titulo designantur origo & veritas carnis Messiæ,* Sect.9,& 10. *Per semen intelligi Christū probatur ex testimoniis* Hebræorum, *item* Irenæi, Leonis, Ruperti. *Observatio* Zanchiana, Sect. 11. *Semen Mulieris secundarium sunt Christiani. Morum imitatio sufficit ad seminis & Filiorum denominationem;* Evam *in* Christum *credidisse. Quo sensu dici possit* mater credentium *ostenditur ex* Spanhemio, Hallo, & Ushero, Sect. 12,13.

§. 1. ADversarii, quos commemorat textus ille protevangelicus, sunt serpens & Mulier unà cum utriúsque semine. Serpentem ego naturalem & naturale semen Mulieris, etsi non excludo penitùs è mente loci, prætereo tamen, quia sunt alterius fori (vel palæstræ potiùs) & ad *Tactica nostra* vix & nè vix quidem pertinent: ordiri libet è Metaphorico.

Quis ille sit, nemini dubium esse poterit qui vel solùm Apocalypsin consuluerit; ubi occurrunt hæc & similia, *projectus est Draco ille magnus, serpens ille antiquus qui vocatur Diabolus & Satanas. Apprehendit Draconem, serpentem illum antiquum, qui est Diabolus,*&c. Cap.12.9. & c.20.2.

Hujusce verò nomenclaturæ quinque potissimùm rationes assignari posse sentio. Prima sumitur à larva, quam tunc temporis induit Satanas: quippe latebat sub serpente,& abusus est organis illius animalis ad fraudis suæ concinnationem. Serpentis nomine vocatur, inquit *Hugo de sancto victore,* quia eum quasi tunicam induerat: Quemadmodum si latro aliquis assumeret vestes monachi ut magis latenter Tom.1.Annot.elucid. p.12.

furari posset in Monasterio, & in furto deprehensus derisoriè monachus appellaretur propter assumptas vestes. Sin autem diabolus nondum exuerat larvam serpentis, cùm ista loqueretur Dominus (quod equidem satis probabile est; deprehensi enim sunt tum ille, tum primi Parentes ἐπαυτοφώρῳ) valdè rationi consonum erat utrúmque sub eodem vocabulo comprehendere.

§ II. Secundam existimo desumendam à qualitatibus serpentinis, quibus imbutus est diabolus. Meritò *serpens & Draco* dicitur ob ingenium versutum, callidum, summâque vigilantiâ præditum. De serpentis vafritie testatur tum
Genes. 3. 1. Moses, *Erat serpens callidior cunctis animantibus terræ*: Tum
Mat. 10. 16. ipse Christus, *Estote*, inquit, *prudentes sicut serpentes*. Illius vigilantiam in causâ fuisse credibile est cur olim fingebantur dracones thesaurorum custodes, in quo munere perfungendo summoperè vigilandum est; & *Æsculapio* consecrabantur, quia medicum oportet vigilantem esse & sagacem ut qui maximè. Imò quoniam eadem qualitas in militia requiritur apud *Romanos*, ut illud innuerent, Draco certis cohortibus signum erat; atque ut qui Aquilam ferrent *Aquiliferi*, sic qui Draconem *Draconarii* vocabantur; unde adhuc in usu sunt etiam apud nostrates voces illæ *dragoones* & *Dragoneers*.

Quanta Satanæ sit vafrities simul & vigilantia, liquet ex
Cap. 12. 4, & 9 Apocalypsi Johannis, ubi *stetisse dicitur ante mulierem parituram, ut cùm peperisset, filium ejus devoraret; & seducere*
Μεθοδείας *totum terrarum orbem.* Atque ex epistolis Pauli qui *artes* ei
Ephes. 6. 11. tribuit & *machinationes*. Ego certè nullus dubito, nihil ferè
Νοήματα aliud esse Politicorum technas, hæreticorum fraudes, Athe-
2 Cor. 2. 11. orum dolos, quàm antiqui hujus serpentis quosdam quasi gyros & involucra.

Tertiam exhibet utriúsque venenum valdè mortiferum.
Job 20. 16. Serpentini scriptura sæpiùs meminit. *Venenum aspidum suxit,*
Psal. 140. 4. *occidit eum lingua viperæ. Acuerant linguas suas sicut serpentes; venenum aspidum sub labiis eorum.* Quia scilicet aspides vulneri

neri serratis à se dentibus facto venenum inspirant è minutis cavernulis sub dentibus, ubi illud in pelliculâ eos in usus reservant: unde Lucanus,

Morsu virus habent, & fatum in dente minantur. Lib. 9.

Diabolus pariter infundit toxicum, & eò peccatores perducit miseros, ut in eodem statu sint quoad animas, quo olim Israelitæ in deserto respectu corporis, quum ab ignitis serpentibus læsi (quos Septuaginta vocant τοὺς ὄφεις τοὺς θανατοῦντας) præsentissimam mortem experti sunt, quotquot in serpentem æneum, Christi typum oculos conjicere noluerunt. Hinc Augustinus, *Qui vult vitare diaboli venenum, Christum respiciat crucifixum.* Atque iterum, *Quicúnque percussus serpentem illum æneum non vidisset, moriebatur; Ità est, fratres, nisi quisque in Christum crediderit crucifixum, diaboli veneno perimitur.* Audi, Lector, poetam veterem Christianum, *Alcim.* Avit. lib. 2.

——Adveniet tempus, cùm crimina ligni
Per lignum sanet, purgétque novissimus Adam.
Aureus ex alta cùm pendens arbore serpens,
Serpentis veteris morsus, atque omne venenum
Eluet, &c.

§ III. Quartam morsus imperceptibilis. Quidam serpentes ad interitum pungunt sed exiguo admodum vulnere cujus ferè nullum apparet orificium. Unde factum est ut *Cleopatra*, postquàm apud se statuerat de suicidio, aspidis elegit morsum, ut multò mitius mortis genus quàm si vel imbibisset venenum vel in gladium incubuisset: Pari modo se res habet in toxico diabolico. Vinolentos, exempli gratiâ, pungit Satan, illi tamen vix percipiunt se ad mortem lædi. Hinc Solomon, *Nè respicito vinum cùm rubescit, cùm exhibet in poculo colorem suum. Tandem velut serpens mordebit & ut hæmorrhois punget.* Eadem sors hypocritarum. Morti quidem proximus est, quisquis sit, cui dolo cor implevit Satanas uti olim Ananiæ, Prov. 23. 31, 32. Actor. 5. 3.

Nec tamen ulla vides impreßi vulnera morsûs,

ut poeta nescio quis de morsu serpentino loquitur.

Quintam deniq; nobis suppeditat utriúsq; status longè vilissimus & abjectissimus. Probabile est serpentem primitùs incessum habuisse magis decorum quàm is est quo nunc utitur; fuisse scilicet erecto corpore, non quidem integro, sed ab umbilico ad caput, adeò ut pectus promineret, nec terram attingeret: & à divina maledictione profectum esse, postquàm ejus organis abusus est Satan ad peccatum in mundum hunc introducendum, ut non super ventrem solum (ut priùs) sed & super pectus graderetur. Quod sibi videntur voluisse 70. Seniores, dum unam vocem Hebræam reddunt per duas Græcas, quarum una pectus significat, alia ventrem. Vulgò sic legitur, *super pectus tuum sic gradieris, & terram comedes.* Quæ duo Cl. *Rivetus* in unum conjungi debere existimat, & primum poni tanquam secundi causam; ac si diceret, Cogêris ità pronus reptare in terram, ità pulverem ejus per sinuosos incessus excitare, ut ille tibi nares & os impleturus sit. Tam abjectæ serpentis conditioni videre est simile quid in statu Diaboli. Per pectoris demissionem & esum pulveris solet Scriptura statum humillimum delineare, qualis est deprecantium pœnas aut pro vitâ supplicantium. Sic apud Isaiam [g], *vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.* In Threnis [h], *Ponent in pulvere os suum, si fortè sit spes.* In Psalmis [i], *Dejecta est in pulverem vita nostra, adhæret terræ venter noster.* Atque iterum, *Inimici ejus pulverem lingent.* Quin & apud Micham [k], *lingent pulverem ut serpens*, id est, annotante *Drusio*, terram deosculabuntur ad testificandam servitutem. Sanè, hodiéque, inquit, adhuc solent in *Asia* cùm regem adeant terram deosculari, quod est signum abjectæ venerationis, quam exhibent principibus. Videamus jam quomodò ista quadrant in Satanam. Angelus olim lucis erat, & cœli inquilinus. Post lapsum privatus illo quasi nectare & ambrosiâ beatorum spirituum (visionem intelligo & amorem Dei)

ἐπὶ τῷ στήθει σου καὶ τῇ κοιλίᾳ πορεύσῃ, Gen. 3 14.

Exercit. 35, in Genes.

[g] Cap. 49. 23.
[h] Cap. 3. 29.
[i] Psal. 44. 25. & 72. 9.
[k] Cap. 7. 17.

Dei) non nisi vel terrena, vel quæ infra terram sunt, inferna sapuit: & nè quid deesset illius ignominiæ, post deceptos protoplastos in eam status humilitatem dejectus est, ut qui par erat aliquando beatis Angelis, nunc ipsis hominibus deberet ludibrium, ab imbelli muliere triumphandus; ita tamen ut non mulieri, sed ipsius semini laus in solidum traderetur.

§ IV. Serpenti adjungitur illius semen, quod vel exponitur visui nostro, vel eum latet. Semen serpentis invisibile totam Dæmonum, quantacúmque demum sit, multitudinem ambitu suo comprehendit. Legimus enim aliquoties de principe Dæmoniorum, nec non de angelis Diaboli; qui nimirum peccâruut & facti sunt perduelles ad exemplum sui principis, atque adeò semen illius audiunt. Enimverò Pater & semen sunt correlata, Pater autem sæpenumerò vocatur in sacris literis quem alii imitantur. Apud *Ezechielem* populi Judaici *Pater Amorrhæus esse dicitur, & Mater Chittæa,* eò quòd Cananæorum mores sectaretur Israel. Et apud Paulum quotquot Christi sequaces sunt, quanquam à gente Judæorũ alieni, ex eo tamen quòd *incedunt vestigiis fidei patris nostri Abrahami, quæ fuit in præputio, nominantur semen Abrahæ.* Dignus est qui hîc laudetur Augustinus, Audite, inquit, *Scripturæ sacræ consuetudinem: Propheta dicit ad ipsos Judæos, pater tuus Amorrhæus & mater Chittæa, Amorrhæi gens erat quondam unde originem Judæi non ducebant. Chittæi & ipsi gentem suam habebant omninò alienam à genere Judæorum. Sed quia erant impii Amorrhæi, & Chittæi, Judæi autem imitati sunt impietatem illorum, invenerunt sibi parentes, non de quibus nascerentur sed quorum mores sectando pariter damnarentur.* Hæc ille.

Cap.16.2.

Roman.4.12. Galat.3.29.

Tractat. 42. in Evang Johann.

§ V. Ob eandem planè rationem visibile serpentis semen appellari possunt homines graviter improbi, & Satanas illorum pater, ipso Christo comprobante & præeunte, qui Judæos cavillis doctrinam suam impetentes ita perstringit; *Vos ex patre Diabolo estis, & cupiditates patris vestri vultis ex-* Joh.8.44.

Mat.13.38. *equi*: Alibi verò parabolam ſic interpretatur, *Ager eſt mundus, bonum ſemen ſunt filii regni, zizania filii illius improbi*, i. e. diaboli. 1 Joh.3.8,10. Concinit dilectus diſcipulus; *Qui dat operam peccato, ex diabolo eſt, per hoc manifeſti ſunt filii Dei, & filii diaboli.* Quin & hinc fit, ut ſicut in more poſitum eſt filios à patribus denominare, ità reprobis, Antichriſto inprimis (qui viſibile caput eſt malignantis Eccleſiæ) eadem in ſacro codice indantur nomina, quæ ipſi Satanæ, vel eiſdem paria. Hic *Serpens* audit, *Illi progenies viperarum*[m], imò & *ſerpentes reguli quibus non eſt incantatio*[n]; Hic *leo rugiens*; pariter & illi. David de ſuis inimicis, *Sum*, inquit, *inter immanes leones*[o]; *jaceo inter incendiarios, &c.* Paulus de Nerone, *Ereptus fui de ore leonis*[p]. Satanæ nomen eſt ὁ πονηρὸς[q], Antichriſti ὁ ἄνομος[r]. Ille dicitur ὁ ἀπολλύων[f]; hic ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας[t]. Illius Angeli τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας[u]: Hic autem ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας[x], homo ille peccati, ac ſi totus ex peccato conſtaret, & non tam vitioſus eſſet quàm ipſum vitium: prout luſit Martialis in Zoilum, & Neſcio quis in *Alexandrum ſextum* pontificem Romanum, ſeſſorem cathedræ Antichriſtianæ, ſi quis unquam alius, longè nequiſſimum;

[m] Mat.3.7.
[n] Jerem.8.17.
[o] Pſal.57.5.
[p] 2 Tim.4.17
[q] 1 Joh.ult. ver.18.
[r] 2 Theſ.2.8.
[f] Apoc.9.11.
[t] 2 Theſ.2.3.
[u] Epheſ.6.12
[x] 2 Theſ.2.3.

Paſquil. extatic. Tom.1. p.81.

Nomen Alexandri nè Te fortaſſe moretur,
Hoſpes, abi; Jacet hìc & ſcelus & vitium.

§ VI. Sin autem me quis interroget, quænam illa peccata ſint quæ Satanæ genium maximè referunt? Reſpondeo, ſicut dici vulgò ſolet de operibus Dei quòd in omnibus apparent illius veſtigia, ſed imago in Angelis & hominibus; Ità veſtigia quidem diaboli omne vitium, nonnulla vivam ipſius imaginem præ ſe ferunt. Ejuſmodi ſunt,

Primò, *ſuperbia*. Penſitet lector locum Pauli ad Timotheum, ubi prohibet electionem neophyti in Epiſcopum *nè incidat in crimen diaboli*, i. e. in ſuperbiam (aiunt nonnulli) per quam lapſi ſunt, & propter quam cœlo exulabant Angeli.

1 Tim.3.6. εἰς κρίμα τοῦ διαβόλου.

geli. *Panditur hic* (verba sunt Abrahami Sculteti; quanquam ipse in alio loci sensu acquiescat) *arcanum illud de origine & causâ lapsûs diaboli, de qua haud scio an usquàm alibi in scriptura legatur.* Satis autem disertè *Prosper* Aquitanicus, *Superbia ex Angelis dæmones fecit, humilitas homines sanctis Angelis similes facit.* Observat. in 1^m ad Tim. p. 24.

Secundò, *Iracundia.* Testor vocem de cœlo, *væ incolis terræ & maris: nam descendit diabolus ad vos excandescentiæ magnæ plenus, utpote qui sciat se exiguum tempus habere.* Trutinanda sunt iterum Pauli verba: *Irascimini & nè peccate. Sol nè occidat super iracundiam vestram, néque date locum diabolo:* Ut insinuaret nullum esse tam immane scelus, quod Satanas non facilè persuadeat tenacis iræ hominibus(quæ *Bezæ* conjectura est) vel fortassis ut innueret diabolum illi contubernalem fieri, qui lectum petit iratus. Apoc. 12. 12. Ephes. 4. 26, 27.

Tertiò, *Invidia.* Satan adversarium significat. *Ex Deo certè non est,* si Johanni fides habenda sit, *quisquis non diligit fratrem suum.* Unde verò? Certiores nos facit ex eis, quæ paulò post sequuntur, non sicut *Cain qui ex illo maligno erat, & mactavit fratrem suum. Cujus autem gratiâ occidit eum? quia opera ejus mala erant, fratris verò justa.* Liquet hinc eos omnes, qui cùm ipsi nequam sint, alios pietatis ergò odio habent, indolis esse diabolicæ, & ut ità dicam, *patrissare.* 1 Joh. 3. 10, 12.

Quartò, *Sycophantia.* Præsertim illa, quæ adversùs sanctos exercetur. Illis enim libenter obloqui nihil est aliud quàm Satanæ negotium agere, qui primarius est *accusator fratrum*, & exinde *diabolus appellatur*: Ità tamen ut eadem vox utriúsque sexûs calumniatoribus communis sit, prout patet ex locis quæ margo indicat. *Crakanthorpus* noster postquàm *Archiepiscopum Spalatensem* multarum erga nos calumniarum authorem fuisse satis probaverat, sic eum alloquitur. *Vide annon Tu ex condigno jam meritus sis, ut deinceps non Antonius de Dominis, sed Antonius de dæmoniis, & calumniis ab omnibus vociteris.* Apoc. 12. 10. 1 Tim. 3. 11. 2 Tim. 3. 3. Tit. 2. 3. Defens. Eccles. Anglic. p. 595.

Quintò

Quinto, *Mendacitas*. *Falsiloquium turpiloquium est*, imò laborat turpitudine diabolicâ. Sic enim Christus de Diabolo, *Quotiescúnque loquitur mendacium, de suo loquitur, quia mendax est, & pater mendacii*. Obstetricatur quidem lingua, sed prolati pater mendacii Satan est, Mater cor impii. Quinimò lingua Dæmonis (si fas dicere) nativa & vernacula mendacitas est: Nam simul ac per lapsum ex Angelo lucis transiit in Diabolum, splendidè statim mentitus est in eo quod iniit cum *Eva* colloquio.

Joh 8.44.

Sextò, *Seductio* à tramite veritatis in errorum devia. *Paulus Elymam* studentem avertere proconsulem à fide perculit hoc quasi fulmine, *O plene omni dolo, & ad quodvis scelus propensione, Fili Diaboli*. Alibi pseudapostolos vocat *ministros Satanæ, transfigurantes se in Apostolos Christi*. *Evangelium sibilus est superni pastoris*, Hæresis evangelio oblatrans dici meretur sibilus infernalis serpentis. Nostíne Me? quærebat olim à *Polycarpo Marcion* Hæreticus: Imò novi, inquit Polycarpus, quis sis, *Diaboli nimirum primogenitus*.

Act. 13. 10.
2 Cor. 11. 13.
Euseb. histor. Eccles.

Septimò, *Temerè jurandi cacoethes*. Pertinet huc illud Christi in sermone super montem, *Esto sermo vester, etiam etiam, non non; Quod supra hoc redundat, est ex illo malo*. Sermonem intelligit τὸν ὁμιλητικὸν (ut observat Heinsius) & innuit sufficere in conversatione familiari *Ità & non* absque juramento, quod aliàs nequaquam pro illicito habendum. Sed in sermone quotidiano juramentum affirmationi vel negationi superadditum plerúmque provenit à Diabolo. Habent siquidem alia vitia suos pararios: Avaritiæ mundus, petulantiæ caro lenocinatur: Ea verò, quam nunc dictis persequimur, consuetudo est purus putus (sit verbo venia) *Satanismus*.

Mat. 5. 37.

§ VII. In aciem huc úsque produximus hostes quidem infensissimos, Serpentem & semen serpentinum, invisibile pariter & visibile: stant illis ex adverso mulier & ipsius semen primarium simul & secundarium; de quibus porrò dicendum est.

Inter Jesuitas (qui ingenii sunt adeò pugnacis ut quærere multò malint quàm credere; & pertinaciter disputare, quàm in liquidissimis interpretationibus acquiescere) nondum constat quænam ista mulier sit. *Jacobum Gordonum* si interrogemus, respondebit, *Ecclesia, sponsa Christi, quam Eva repræsentabat*: Si *Jacobum Tirinum*, Beatam ille virginem Mariam nobis pro muliere substituet hisce verbis, *Per mulierem præcipuè designatur B. virgo Maria, quæ pariendo nobis Christum ut facta est verissima Eva*, i. e. *mater viventium, ita penitùs contrivit caput & potentiam hujus serpentis*: Uterque nimio nimis absurdé. Quanquam enim in Epistola quadam Paulina respectu unionis amorísque conjugalis, & in visione quadam Apocalypticâ respectu dolorum quos experta est parturiens, Evæ comparetur Ecclesia (quæ argumenta sunt *Gordoni*) nullibi tamen, quod sciam, in scripturis Ecclesiæ typus constituitur Eva, vel quoad culpam quam patravit, vel quoad pœnam, quam Dominus ei adjudicavit in paradiso. Neque solitæ sunt sacræ literæ Christum (qui hîc semen audit mulieris) Ecclesiæ filium appellare, sed vel Maritum vel Patrem.

Epitom. cont. Tom. 1. comment. In loc.

Eph. 5. 31. 32 Apoc. 12. 1, 2.

§ VIII. Argumenta *Tirini* priusquàm recitem impetranda est à Lectore venia; cui nauseam creabunt proculdubiò, si quid ei cordis sit. Designari hîc præcipuè Mariã, & illi propriè capitis serpentini contritionem attribui, probat

1°. *Quia nullum*, inquit, *peccatum, nè quidem originale (quod primũ & quasi caput est omniũ peccatorũ) in se admisit. Deinde quia nullũ etiam peccati fomitẽ, vel pravã cogitationem (quæ principium seu caput est actualis peccati) in se habuit. Denique quia hæreses & tyrannides omnes (quæ præcipua capita & cornua sunt serpentis infernalis) per virtutem Christi seminis & filii sui, tam ipsa quàm Christiani omnes, qui illius quoque semen & filii sunt, perfectè devicit & profligavit.* Repono primùm illud *Senecæ*, *Superstitio error insanus est, quos colit violat.* En experimentum nobile! Dum occœcati superstitione Jesuitæ cultum exhibent *Beatæ virgini* religiosum, & ut tutius exhibere videantur, illam à peccatis immunem,

nem deprædicant, in ipsam contumeliosi sunt, & Dei Matrem apertè violant: Quod sic demonstrat *Molinæus*. *Mariæ*, inquit, *gloriam & fælicitatem minuunt, dum conantur augere, eámque faciunt cæteris fidelibus inferiorem. Volunt enim eam servatam esse suo ipsius merito, suâque justitiâ: At cæteri pii servantur per Christi justitiam, quæ ipsis imputatur, quam esse majorem justitiâ Mariæ, ac proinde majori mercede dignam, nemo mentis compos ambigit.* Addam insuper non minùs absurdè *Mariæ* tribui quæ *Christus* præstitit, quàm si quis diceret, *Alexandri* matrem vi & armis totum orbem subegisse; aut *Monicam* adversus Pelagianos libros scripsisse longè doctissimos, quia factum est hoc à filio ejus *Augustino*. *Personalia non propagantur*, aiunt Theologi; non descendunt à patre ad filium; multò minùs, opinor, ascendunt à filio ad matrem.

Enodat. gravis. quæst. p. 101

§ IX. Quid opus est pluribus? Clamat tota series historiæ, nullam hîc indicari mulierem præter Evam, quæ sola serpentis colloquio seducta fructum comedit, marito imposuit, & à Domino in judicium vocata interrogatur, *Quid hoc est quod tu fecisti?* Nihil hæc ad Ecclesiam, nihil ad Mariam. Idem ostendit particula demonstrativa quam exhibet textus originalis, ubi non legimus *inter Te &* אשה *mulierem* indefinitè sed *inter Te &* האשה *mulierem hanc*, uti habet versio Junio-Tremelliana; *hanc* quam Tu nuper seduxisti, quæ prima fuit in prævaricatione, quæ nunc coram astat tremebunda, dum Ego Dominus contra te sententiam fero.

Erat illa πρωτομήτωρ, prima omnium hominum mater, ergo *Mariæ*, quæ ex *Evâ* longo pòst tempore procreanda *Christum* peperit, & ipsius etiam *Christi*. Ille cùm *Davidis* & *Abrahami* filius vocetur, quorum uterque denatus est multis ante natam Mariam seculis; nil equidem miri si semen appelletur primæ mulieris, Evæ scilicet, cui inditum est illud nomen ab *Adamo*, utpote *matri omnium viventium*. Dicam verbo. *Semen erat Christus Mariæ unicum, Evæ primarium.*

Matth. 1. 1.

Genes. 3, 20.

rium. Quà Deus, non factus est sed *à Patre genitus*, prout habetur in symbolo *Athanasiano*; quà homo, non est ab ullo patre genitus, sed *factus ex muliere*, ut est apud Paulum: unde & rectissimè per semen mulieris indigitatur.

οὐ πεποιημένος ἀλλὰ γεγεννημένος ἐκ τοῦ πατρός. Gal. 4. 4. γενόμενος non γεγεννημένος.

§ X. Minimè prætereundũ est, è primævo hoc Messiæ titulo satìs elucere veritatem & originem carnis Christi, de quibus turbas, imò tragœdias excitârunt variorum temporum hæretici. Eas etsi *Socinus* (ipse turbator Ecclesiarum ut qui maximè) parvi fecerit, quando sic scribere non erubuit; *Ubi, quando, ex quibus natus sit Jesus, hæc omnia & his similia Christi cognitionem secundùm carnem respiciunt, cujus rei inquisitio propria carnalium Judæorum, & eorum qui eis similes sunt, censenda est. Namque ii qui spirituales sunt facti (ut de se & sui similibus, qui veram Christi cognitionem habent, testatur Paulus) non ampliùs Christum secundùm carnem noverunt*: Nobis tamen permagni esse momenti jure optimo videantur. Hinc enim dependet nostra cum Jesu Christo fraternitas, & quæ indè fidelibus exurgit consolatio: utì nos docet Apostolus. *Qui sanctificat & qui sanctificantur ex uno sunt omnes; quam ob causam non erubescit eos vocare fratres.* Et paulò pòst, *Quoniam pueri participes sunt carnis & sanguinis, ipse quoque consimiliter particeps factus est eorundem.* Non dixit simpliciter, factus est eorundem particeps, observante *Chrysostomo*, & post eum (utì solet) *Theophylacto*, sed παραπλησίως μετέσχε consimiliter particeps, id est, non quoad solam apparentiam, aut opinionem (ut hæretici docuerunt) sed ipsâ rei veritate ostendens esse fraternitatem. Amplectar hìc lubens (nè in tantæ controversiæ oceanum me deferri patiar) *Danielis Crameri* determinationem, quæ ita se habet; *Dum Messias semen mulieris dicitur, vera humanæ naturæ substantia infallibili argumento designatur; & nè carnem ejus putemus cœlitùs delatam per Mariam tanquam per canalem transiisse (utì Valentiniani fingebant) ideò nomine seminis ipsa massa carnea & sanguinea, quam filius Dei ex matre sumpsit, expressè denotatur; ut generationis materia non aliun-*

Respons. pro Racoviens. b. ad librum Palæologi part. 1. c. 1. p. 11.

Heb. 2. 11. 14.

Schol. prophetic. class. 1 p. 21.

de ab extrà importata fuisse somnietur. Omnis enim spei & fiduciæ nucleus nobis de fraternitate Christi esset ademptus, si non verè humanum corpus nobis consubstantiale assumpsisset, sed vano tantùm phantasmate, aut cœlesti ideâ nostros oculos perstrinxisset, & delusisset: Quod enim non assumpsit non redemit.

§ XI. Neque verò nova est, aut herì nata, vel nudiustertiùs ista, quam attulimus, interpretatio; sed à veteribus tum Judæis, tum Christianis agnita. Judæos quod attinet, appello viros fide dignissimos & in eorum scriptis versatissimos, *Paulum* scilicet *Fagium* & *Johannem Mercerum*, quorum uterque locum hunc Mosaicum tractans, de Christo eum intellexisse veteres Hebræos asserit, & citat *Targum Hierosolymitanum.* Quod Christianos, Tria nobis sufficient testimonia, nè nimius sim. *Inimicitiam hanc Dominus in semet ipsum recapitulavit, de muliere factus homo, & calcans ejus, serpentis scilicet, caput.* Sic Irenæus, postquàm recitâsset locum Geneseos qui præ manibus nobis est. *Deus omnipotens & clemens, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia est, statim ut nos diabolica malignitas veneno suæ mortificavit invidiæ, prædestinata renovandis mortalibus suæ pietatis remedia inter ipsa mundi primordia præsignavit, denuncians serpenti futurum semen mulieris, quod noxii capitis elationem suâ virtute contereret, Christum scilicet in carne venturum Deum hominémque signans, qui natus ex virgine violatorem humanæ propaginis incorruptâ nativitate damnaret.* Sic Leo Magnus. *Quo de semine hæc dicuntur nisi de uno, qui est Christus? Ipse namque solus ità semen mulieris est, ut non etiam viri semen sit.* Sic Rupertus. Quæ Ruperti sententia reducit mihi in memoriam observationem quandam *Hieronymi Zanchii* minimè quidem contemnendam. Conspicitur, inquit, hîc (in Christi nimirum incarnatione) verè novus concipiendi & nascendi modus, verè novo homini conveniens. Primus homo Adamus ex nullo alio homine natus, sed immediatè à Deo creatus est:

Adverf. hæref. l. 4. c. 78.

De Nativit. Christi sermone 2.

Lib. 3. de Trin.

De Incarnat. l. 2. c. 3. quæst. 4.

Secunda.

"Secunda, i. e. Eva non, ex fœminâ sed ex viro formata "est. Tertii homines, i. e. reliqui omnes, ex viro & fœ-"mina. Quartus, i. e. Christus novus homo, non ex nul-"lo homine, sicut Adamus; non ex nullâ fœminâ, sicut E-"va; non ex viro & fœmina, sicut nos: sed verè novo "modo ex fœmina sine viro, ipse vir & masculus conceptus "& natus est. Restabat enim hic ad admirabilem Dei sa-"pientiam in condendis hominibus conspiciendam & de-"prædicandam, qui modus solius est Christi, novus mo-"dus novi hominis, quartus & ultimus modus in quartâ & "ultimâ ætate mundi patefactus. Prima enim ætas usque "ad diluvium, secunda usque ad Mosen, tertia usq; ad Chri-"stum, quarta ipsius est Christi ad finem usq; mundi. Hæc "ille.

§ XII. De Christo capite satis constat, de membris quæritur, utrùm illorum ulla fiat ibidem mentio; quoniam exercitus Christianus ex utrisque componitur, secundùm illud, *Hi cum agno pugnabunt, & Agnus vincet eos: quoniam Dominus Dominorum est; & qui cum eo sunt vocati & electi, & fideles.* Apoc.17.14. Dico fieri; ídque sub eâdem seminis nomenclaturâ. Certè semen mulieris collectivè sumi, & præter Christum eos omnes comprehendere, qui non sunt de serpentis semine, docent Theologi consummatissimi: universam scilicet Christi Ecclesiam, utì loquitur *Rivetus* [a], vel, utì *Musculus* [b], reliquum corpus electorum. Ego sic rationes instituo, ut probem verè Christianos semen esse mulieris secundarium. Habet se vox illa (seminis) relativè ad vocem (parentis:) Parentes autem in sacris literis appellantur non ii solùm è quibus nascimur, sed & ii quos imitamur; prout dictum est supra [c], & patet ulteriùs ab exemplis *Abrahami* pariter & *Saræ*. Occurrit apud *Paulum* semen quod est ex fide Abrahæ qui pater est omnium nostrûm, eorum scilicet qui incedunt vestigiis fidei quâ præditus erat Abrahamus. Rom.4.12. 16. Et apud *Petrum* Saræ imitatrices illius filiæ nominantur: 1 Pet.3.6. *Sara obedivit Abrahæ, Dominum eum vocans, cujus* Galat.4.ult.

[a] Exercitat. 37. in Genes.
[b] Comment. in locum.
[c] Hic capit.2. §.4.

factæ estis filiæ dum benè agitis. Alibi etiam omnes fideles appellantur *filii* non *ancillæ* sed *liberæ*, i. e. non *Hagaris* sed *Saræ*. Accedo nunc propiùs ad *Evam*. Illam omnium mulierum primam tum vixisse, tum peccâsse certum est: primam etiam credidisse in semen promissum, & de peccato pœnitentiam egisse multa sunt quæ suadent. Inter alia, pium illud odium quod fixum gerebat in imo corde adversùs diabolum, de quo sic *Hugo de Sancto victore* perpendens illa Domini verba, Ponam inimicitiam inter Te & Mulierem. *Hîc innuitur*, inquit, *quòd Eva resipiscens pœnitentiam egerit, unde diabolus doluit*, &c. Item vox illa, quam edidit statim à partu primogeniti filii, fide plenissima (quanquam non errore vacua) si eam cum *Fagio* & *Forstero* interpretemur *Acquisivi virum Dominum*, non admodum refragante *Drusio*, & suffragantibus Augustanæ confessionis Theologis, quos quidem mihi videre contigit & consulere, ad unum omnibus, qui etiam, ut major emphasis sit, plerumque legunt *virum Jehovam* ad utramque Christi naturam indigitandam. Sin autem aliter reddamus, *Possedi virum à Domino, vel cum Domino*, pietatem utcunque redolebit.

Ap. *Lippoman.* in Catena ad locum.

Genes. 4. 1.

Vid. *Drusium* in comment. ad difficil. loca Pentateuch. c. 13. p. 25, 26.

§ XIII. His ita positis, disputo jam à paritate rationis. Si qui premunt eorum vestigia, quibus renovata est promissio de semine, *Abrahami* nimirum & *Saræ* illorum semen & filii sunt; pari jure dici poterunt semen eorum, quibus primitùs facta est, *Adami* scilicet *ac Evæ*, & fortasse majori, eò quòd ipsis etiam *Abrahamo* & *Saræ* exemplo fuerunt, & præiverunt in fidei semita protoplasti.

Nè autem solus esse videar in ista, quam proposui, sive sententiâ sive conjecturâ, producam scriptores haud ignobiles qui ab eâdem (nè quid amplius dicam) saltém non abhorruerunt. *Fridericus Spanhemius*, Quamvis, inquit, scriptura Evam fidelium matrem nusquam appellet, nihil tamen obstat eam talem censeri. Ut enim mater omnium viven-

Exercit. de gratia univers. p. 221.

viventium vocatur ratione originis carnalis, quam omnes ex ea ducunt; *Sic ob fidem, quâ prima omnium mulierum excepit promissionem, vocari potest mater fideliũ sine absurditate.* Sed & sunt qui illi titulum Matris, atque etiam matris viventium hoc ipso nomine delatum existimant, idque in ipso sacro codice. Laudabo duos è nostratibus, eximios viros, & de Repub. Christianâ optimè meritos. Primus est D. *Josephus Hallus* nuper Episcopus Norvicensis in suâ, quam edidit, paraphrasi super Canticum Canticorum. Ibi Christus capite octavo, versu quinto postquam Ecclesiam suam descripserat per ascensum è deserto, qui vocationem è mundo designat, & recumbentiam super dilectum, quæ fidem exprimit; in memoriam illi revocat statum primævum hisce verbis, *Sub arbore malo suscitavi Te, ubi enixa est Te Mater tua quæ peperit Te*; quæ ab illo, quem diximus, paraphraste sic explicantur. "Tu illa es olim mihi dilecta. Ego te sub arbore de-"licti, eâ nimirum cujus fructum vetitum, & in eo mortem "degustâsti, ad vitam denuò suscitavi. Illic *Te mater Eva* "*enixa est, & peperit, dum per fidem protevangelium appre-*"*hendit*, per quod ipsi, & semini ejus spirituali salus restituta est. Alter D. *Jacobus Usherus* Armachanus. Is in annalium suorum limine de protoplastis verba faciens hæc ha-"bet; Citatis & convictis pœnæ imponuntur, additâ ta-"men promissione de semine mulieris caput serpentis con-"trituro; i. e. Christo diaboli opera dissoluturo: Unde "tunc primùm mulieri Evæ nomen à marito est impositum, "quòd Mater futura esset omnium viventium, non natura-"lem tantùm vitam, sed illam quoque quæ est per fidem "in semen ipsius Messiam promissum: quomodo & post "eam Sara fidelium mater est habita.

Oper. Tom. 1. pag. mihi 266.

Annal. Vet. Testam. p. 1.

CAP.

CAP. III.

In quo exhibentur inimicitiæ, cujus ibidem mentio fit, ſpecimina varia.

Evæ & diaboli ſimultas mutua, Sect. 1. *Culpantur qui amicitiam cum diabolo contraxerunt : Rei peraguntur* 24. *Papæ, & inter literatos* Plotinus, Hermolaus Barbarus, Petrus Cottonus, Sect. 2. *Serpentinæ inimicitiæ ſpecimen in contritione calcanei , quoad Chriſtum, cujus perpeſsiones tanguntur; quoad Chriſtianos. Illuſtratur* 1. Pet. 5. 8. Sect. 3. *Oderunt Chriſtum improbi comparativè, interpretativè, & formaliter,* Sect. 4. *Eccleſiæ perſecutiones variæ, inter alias* Anglicana, Hibernica, & Pedemontana, Sect. 5. *Nucleus protevangelii.* Epiſcopii *gloſſa Sceptica. Duæ hiſtoriolæ,* Sect. 6. *Elucidatur phraſeologia primæ promiſsionis, & circa contritionem capitis Serpentini duæ quæſtiones proponuntur,* Sect. 7. *Reſponſio ad priorem. Chriſtum mortuum eſſe vice noſtrâ, ut pro peccatis Divinæ juſtitiæ ſatisfaceret, probatur tribus argumentis,* Sect. 8. *Socinianorum ſtrophæ, & argumenta nonnulla perpenduntur.* P. Abailardi *mens ſanior,* Sect. 9. *Ad ſecundam reſponſio. Chriſtus mortem abolevit & quomodo.* P. Fagii *obſervatio,* Sect. 10. *Circa peccati*

cati abolitionem distinctiones variæ, Sect.11. *Eâ de re conclusio prima. De reatu redundante in personam, & pœnâ formali ex* Amesio, Augustino, Chrysostomo, & Aquinate, Sect. 12. *Conclusio secunda. Quando tollitur regnum peccati, quando reliquiæ. Increpatur* Castellio, *laudatur* Foxius, Sect.13. *Odium piorum adversùs dæmones, & artium Magicarum detestatio*, Sect. 14. *Eorundem fuga pravi consortii*, Sect.15.

§. I. SImulac ad militiam illam spiritualem, de quâ nobis sermo est, ipse Jehova classicum cecinerat, incalescere cæpit illicò, nec dum deferbuit, inter partes inimicitia; cujus aliqua saltem specimina in lucem proferre futurum est, nisi plurimùm fallor, operæ pretium. Eâ de re contemplanti se primùm obtulit mutua simultas mulierem inter, & serpentem Metaphoricum. Solent inhonestæ, maléque consarcinatæ amicitiæ in odia desinere. Iniquissimum fœdus inierunt cum *Abimelecho Sichemitæ* adversùs domum *Jerubbaalis* : tandem se oderunt invicem, donec secundùm *Jothami* parabolam, exiit ignis ex cynosbato, & absumpsit cedros Libani. Apud inferos odio se prosequentur mutuò omnes reprobi; erit autem inimicitia inter eos flagrantissima, qui dum in terris versati sunt, fratres in malo, ac in patrandis facinoribus amici, & socii extiterunt. Pariter & hîc cum diabolo in serpente familiariter & amicè collocuta est mulier; sed postquàm ab eo sibi suísque impositum esse sentiebat, odio statim intumuit adversùs diabolorum principem : & postquàm liberos nacta est, summam proculdubiò curam adhibuit, nè eorum aliquis inimico suo Satanæ in mancipium cederet. Ille contrà Satagebat, ídque adeò prosperè, ut *Evæ* primogenitum *Cainum* (de quo secundùm nonnullos interpretes spem illa conceperat, ac si in eo

Judic.9.24.

Messiam ipsum acquisivisset) intra paucos annos ad immane crimen fratricidii perduxerit, teste *Johanne* qui *Cainum* asserit ex illo maligno fuisse & idcircò fratrem occidisse, unde factum, ut (quod longo pòst tempore metuebat *Rebecca*, nè scilicet ambobus filiis suis orbaretur in uno die) id Evæ contigeret, quæ uno eodémque die privata est *Abele* per mortem, *Caino* per exilium, & exterminationem à facie Jehovæ. Cogitent apud se Lectores quantum hoc auxerit & exacerbaverit eam, quam tractamus, inimicitiam, quæ nata quidem est, adolevit, & consenuit, ità tamen ut nunquam moritura sit.

1 Joh. 3. 12.

Genes. 27. 47.

§ II. Ad exemplum matris Evæ par est ut omnes illius posteri in imis visceribus adversùs diabolum, & Angelos ejus inimicitias perennes foveant. Neque enim ulla sunt ex humano genere vel magìs degeneres, vel minùs homines, quàm qui paciscuntur cum infernis spiritibus, aut illos quovis modo consulunt. Primus hominum (ut est apud *Plinium*) leonem manu tractare ausus, & ostendere mansuefactum *Hanno* è clarissimis Pœnorum traditur; & quòd damnatus est illo argumento, quoniam nihil non persuasurus vir tam artificis ingenii videbatur; & malè cedi libertatem ei, cui in tantum cessisset feritas. Dubitari potest meritò utrùm idcircò pati debuisset *Hanno*: At illud nequaquam dubium est, rectissimè damnari illos qui sese leonibus & draconibus hisce stygiis sponte objiciunt, & ad eos, dum operam dant ut sibi concilient, quasi in spelæa atque caveas ultrò descendunt. Ità tamen fecerunt in Ecclesia Romana summi quidam Pontifices, adeò ut nonnulli tradiderint viginti & quatuor Papas fuisse diabolicis artibus deditos, quorum aliqui se totos Satanæ mancipabant Pontificatûs potiundi gratiâ. Imò per totos octoginta annos à *Sylvestrò* nimirum *secundo* ad *Gregorium septimum* nullum Papam regnâsse nisi insigniter nobilitatum hâc impietate. Fecerunt etiam inter literatos magna nomina. *Plotini* discipulus *Porphyrius* præceptoris sui dilectissimi vitam scripsit, in quâ palàm

Histor. nat. l. 8. c. 16.

Brightman. in Apoc. 2. 13.

palàm facit lectoribus ubinam ille Platonicorum coryphæus adeptus est spiritum familiarem, *Romæ* scilicet, in *Isidis* templo; quo procurante, sacerdote nimirum *Ægyptiaco*; & quam formam induere solitus sit, nempe Draconis; in quâ specie sub morituri lecto accubuit, & animam efflante *Plotino* disparuit. Draconis inquam, nè quis dubitet illius dæmonem ex eodem genere fuisse cum eo quem *Iohannes* in Apocalypsi Draconem vocat & serpentem antiquum. Quin & postquàm fato functus est, idem *Porphyrius* introducit *Apollinem*, quem nos Christiani satìs novimus fuisse diabolum, hymnum in *Plotini* sui laudes canentem, & eam, quæ inter ipsos viguerat, amicitiam grato animo recolentem: sic ènim incipit,

Δράκοντα ὑπὸ τὴν κλίνην διελθόντος &c. *Porphyrius in vita Plotini* non procul ab initio,

Ἄμβροτα φορμίζειν ἀναβάλλομαι ὕμνον ἀοιδῆς
Ἀμφ' ἀγανοῖο φίλοιο, &c. *i. e. Immortalem aggredior resonare carminis hymnum ob amicum suavem.*

Idem ibid. non procul à fine.

Alter est *Hermolaus Barbarus*, qui cùm aliquando nactus fuisset colloquium dæmonis (referente *Monlorio*) ab eo petiit doceri quid sibi voluit *Aristoteles* per ἐντελέχειαν in eâ, quam tradidit, animæ humanæ definitione. O te interim infrunitum, *Hermolae*, qui de Anima definiendâ, quàm de salvandâ magis solicitus fuisse meritò videaris! Tertius, & ultimus (neque enim libet prolixum hìc sermonem texere de *Cornelio Agrippa, Paracelso* & aliis) esto *Petrus Cottonus* Jesuita, quem tradit *Thuanus* parâsse catalogum quæstionum, quarum à diabolo in *Hadriana* quadam *Fraxineâ* loquente solutionem expectabat. De cujus historiæ veritate si quis dubitet, adeat *Voëtium* in desperata causa papatûs pagina centesima octuagesima.

Joh. Baptista Monlorius in libro de Entelecheia.

Histor. sui temporis part. 5. l. 132. ad Annum 1604 p. 1135, 1136.

§ III. Sed ex hoc quasi diverticulo redeamus in viam; quanquam alibi dabitur locus de serpentis Metaphorici inimicitia adversùs utrumque semen mulieris, disserendi copiosiùs; hìc tamen eam paucis attingere, & ὡς ἐν παρόδῳ minimè pigebit;

pigebit; eo autem minùs, quoniam in hisce verbis Domini ad serpentem, quæ continentur in eodem commate, *Tu conteres illi calcaneum*, offert, imò ingerit se illius specimen nobilissimum. Dixerat suprà; *Ipsum conteret tibi caput.* Utrobique occurrit eadem conterendi vox, quæ grave semper damnum innuit (ut & alibi apud *Jobum*, *Qui in turbine conteret me & multiplicat vulnera mea gratis saturat me amaritudinibus*) licèt eadem minimè fuerit utrobique jactura; quoniam illìc capitis mentio fit, hìc solius calcanei. Naturâ inditum est serpenti calcaneum petere, unde illud *Jacobi* Patriarchæ, *Erit Dan ut serpens juxtà viam, qui mordet calces equi*, & per quem decidit sessor ejus retrorsum. In hac allegoria, qua vestitur protevangelium, Christus nobis proponitur ut vir fortis sub pedibus calcans, & proterens caput diaboli: Ille verò ut serpens inter reluctandum se contorquens & agitans, si quo modo possit conterentem lædere, cujus idcircò calcem impetit, & graviter vulnerat, nè victoriam reportaret incruentam. Proinde sub hâc loquendi formulâ videntur includi quotquot fuerint Christi Domini perpessiones, quibus, instigante Satana, ab incunabulis ad sepulchrum usque creata est illi molestia. Parùm est quod dixi, ab incunabulis ad sepulchrum: Nam & priusquàm natus est *Christus*, & postquàm resurrexit à mortuis, non desiit serpens infernalis eum quà vi, quà cuniculis adoriri. Nondum plenitudo temporis advenerat, cùm unicè curabat diabolus nè promissionibus de Messia futuro ulla fides adhiberetur; & ut tota illa gens, tribus, familia, unde erat nasciturus, à tyrannis funditùs perderetur. Simulac uterum ferre cœperat, quæ Christum conceperat, beata, sed & intemerata Virgo, (eodem Satana procurante, qui mirus est suspicionum artifex) pro notho & adulterino fœtu habitus est benedictus embryo. Postquàm in lucem editus est, *Herodi* suggessit idem adversarius desiderium, & conatum quærendi infantem, ut eum occideret. Herodi, inquam, cui proinde *nihil ad summam crudelitatem præter Deicidium abfuisse*

Job. 9.17, 18.

Genes. 49.17.

Caussin. Sancta curia part. 1. l. 4. p. 15.

fuisse dicitur; *Deicidio voluntatem non defuisse.* Mox in exilium ire cogitur. Posteà verò cùm ad ætatem sacerdotalem pervenisset, in desertum abducitur, ubi illum aperto marte aggressus est princeps diabolorum. Per quænam facinora, qualem ad mortem eum instrumenta Satanæ, *Judas*, *Judæi*, *Romaníque* perduxerint; atque etiam per quas hæreses ipsius personam, & doctrinam ab ipsâ statìm resurrectione oppugnârint heterodoxi, & in hunc usque diem oppugnent, haud opus est, opinor, dicere. Accingo me potiùs ad ea dicenda, quæ semen mulieris secundarium, & illius calcem spectant: Quia calcaneum basis est cui corpus innititur, & quo valdè læso fieri nequit quin homo decidat; hinc piorum calcaneum toties conterere credendus est Satanas, quoties eos in lapsus graves præcipitat. Suffragatur Augustinus, *Diabolus*, inquit, *calcaneum observat quando laberis, ut dejiciat Te. Ille observat calcaneum tuum, tu observa caput illius. Quid est caput illius? Initium malæ suggestionis: quando incipit mala suggerere, tunc repelle antequam surgat delectatio, & sequatur consensio. Tunc vitabis caput ejus, & non apprehendet ille calcaneum tuum.* Jam verò sicut Christo Domino in terris agenti cibus erat & potus facere voluntatem patris sui; ita Satanæ pro bellariis est Sanctorum aliquem in delicta pertrahere. Imò ut gaudium est in cœlo super conversionem unius peccatoris; ità jubilum in inferno super uno peccato graviore viri priùs conversi. Petrum audiamus, *Adversarius vester diabolus ut leo rugiens circumambulat quærens quem devoret*: Ubi *Leoni* comparatur famelico, & præ impatientiâ *rugienti*, quia fertur in perniciem nostram appetitu inexplebili; & *quærere* dicitur summo studio non quem mordeat, aut qualitercunque lædat, & vulneret; sed quem *devoret*, & uno quasi haustu deglutiat; id enim est τὸ καταπίνειν: vel, ut *Lyranus*, quem incorporet per mortalem culpam: sicut enim id potûs, & cibi, quod quis devoravit, in substantiam suam vertitur; & qui Christum per fidem comedunt fiunt divinæ naturæ participes; ità si

In Psal. 48. com. 1.

1 Pet. 5. 8.

quem Satanas deglutiit, participat naturam diabolicam: Quin etiam pro eâ, quâ pollet, malitiâ, quò quis Deo charior est, eò Satanæ invisior. Latro ille viatores præcipuè locupletes, iste prædo naves pretiosis mercibus onustas præ aliis adoritur. Pantheram aiunt usque adeò μισάνθρωπον esse, ut in hominis statuam, vel picturam incurrere soleat; ità cùm nequeant dæmones Deum ipsum invadere, impetunt illius imaginem, quæ in sanctis elucet, & in pios præsertim magistratus, & ministros verbi summâ feruntur violentiâ. Verùm hac de re posteà.

§ IV. Proximum est, ut ostendam pari brevitate quomodò semen serpentis visibile suam prodere soleat inimicitiam adversùs utrumque semen mulieris; affectu scilicet pariter, & actu. Prout ipse dominus testatur apud Johannem; *Si mundus vos odit, scitis me priusquàm vos illis odio habitum. Qui me odit, is etiam patrem meum odit. Oportet ut impleatur sermo, qui in lege ipsorum scriptus est, oderunt me immeritò*, vel ut alii gratìs, aut sine causâ. Quæ verba non nemini ansam præbuerunt suavissimi distichi, quod ego pietatis ergò recitandum duxi;

Joh.15.18, 23,25.

Alme Deus, Te odit sine causâ mundus, amabas
Tu sine causâ illum; Quàm bonus ultor eras!

Oderunt verò Christum improbi (ut rei alioquin obscuræ lucem aliquam fæneremus) tripliciter. Primò, *comparativè*: sicut *Iacobus* Patriarcha *Leam* uxorem, utpote quam minùs dilexit, quàm *Rachelem*, & fortè minùs quàm oportuit, odisse dicitur eo nomine. Parallella sunt dictum Christi apud Mathæum, *Qui amat patrem, aut matrem supra me, non est me dignus*; & illud apud Lucam, *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, non potest meus esse discipulus.* Manifestum autem nimis est homines, quotquot sunt, irregenitos se, & sua plusquàm Christum diligere, atque adeò ipsum odio habere cum hospitibus in parabolâ ad

Genes.29. 30,31.

Mat.10.37.

Luc.14.26.

ad cœnam vocatis, qui boves, fundos, & uxores; cum *Gergesenis* in historia Evangelica, qui porcos illi prætulerunt. Secundò, *Interpretativè*; Sicut in proverbiis *Solomonis* pro osore filii sui habetur quisquis virgæ nimiùm parcus est, *Qui cohibet*, inquit, *virgam suam, odit filium suum: qui autem amat tempestivè, procurat eruditionem ei.* Odit, quia perinde negligit, ac si odisset. Sic hostilitatis labem simul, & pænam subeunt qui Christi vel crucem, vel sceptrum abnuunt. *Multi incedunt, quos sæpe dixi vobis, nunc autem & flens dico, hostes esse crucis Christi, quorum finis est exitium.* Ità Paulus ad Philippenses. *Meos illos inimicos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & jugulate coram me.* Ità Dominus apud Lucam. Tertiò, *Formaliter*; Sicut de propheta *Michaia* Rex *Achabus*, *Odi eum, quia non prophetat de me bonum, sed malum:* pariter animati sunt erga Christum improbi, non quà Φιλάνθρωπον, servatorem, & benefactorem unicum (fieri enim nequit ut odium feratur in objectum nisi sub ratione mali) sed quà legislatorem, & judicem. Dicam paucis: Delectantur improbi malo culpæ quod Christus odit: positâ culpâ, & impœnitentiâ, delectatur Christus malo pœnæ (ut est apud Jeremiam, ubi Deus exercere dicitur non benignitatem solummodò, sed *& jus & justitiam in terra quia istis delector; dictum Iehovæ*) Illud impii oderunt animitùs, & refugiunt. Hinc fit ut Christum legislatorem, qui eorum delicias, malum culpæ prohibet; & Christum judicem, qui eorum cordolium, malum pœnæ infligit, quà talem odio prosequantur.

Prov. 13. 24.

Phil. 3. 18, 19.

Luc. 19. 27.

Jerem. 9. 24.

§ V. Superest alterum semen mulieris, hoc est Ecclesia; quam visibile semen serpentis mille modis exercuit, & afflixit à primo martyre *Abele*, ad confessores hodiernos. Testatur Apostolus de genuinis Ecclesiæ filiis verba faciens, *Ludibria & flagella sunt experti, insuper & vincula & carcerem, lapidati sunt, dissecti, tentati, gladio cæsi mortui sunt, oberraverunt cum ovillis & caprinis pellibus, destituti, afflicti, malè habiti; quibus indignus erat mundus, in desertis errantes,*

Heb. 11. 36, 37, 38.

errantes, & montibus ac ſpeluncis, & cavernis terræ. Atteſtantur varia variarum gentium martyrologia, unà cum verſiculis elegantibus,quà Græcis, quà Latinis, quos tota priorum ſeculorum, atque etiam præſentis experientia comprobavit ; ſic autem ſe habent

Αἷμα χριςοῦ ἱεροῖο βάσις πέλει, εἴσοδος αἷμα,
Αἷμα πέλει πρόοδος, ἔξοδος αἷμα πέλει.
Sanguine fundata eſt Eccleſia, ſanguine crevit,
Sanguine ſuccrevit, ſanguine finis erit.

Quid ego *Iudæos* memorem ? de quibus Paulus, *etiam*
1 Theſ.2.15. *Dominum Ieſum, & proprios prophetas occiderunt,& nos perſecuti ſunt ; neque Deo placent, & omnibus hominibus adverſantur.* Quid *Romanos* ? Sub quorum *Cæſaribus* , decem illæ, quæ omnibus in ore ſunt, perſecutiones ſævierunt. Utinam verò Roma Chriſtiana, vel Antichriſtiana potiùs, veterem illam Ethnicam non juſtificâſſet ! Ex eo præſertim tempore, quo *Societas*,quam vocant *Ieſu*, in orbe terrarum caput extulit. Jeſu, inquam, ſocietas,cujus membrum haud igno-
Lucius Hiſt. Jeſuiticæ p.1. bile per Germaniam, *Iacobus* nimirum *Cruſius* ſe , & ſuos hunc in modum venditâſſe perhibetur ; Miles, aiebat, eſſe " debuit noſtræ ſocietatis pater, quia ut militis eſt totis viri- " bus in hoſtem irruere nec deſiſtere donec victor evadat ; " Ità noſtrum eſt in omnes irruere, qui Pontifici Romano " reſiſtunt, illóſque conſiliis, dictis, & ſcriptis, invocato eti- " am ſeculari brachio, tollere , & abolere ; ſicut Pontifex "& noſtra vota contra Lutheranos ſuſcepta volunt, & man- " dant. Ex eâdem proculdubiò,vel ſcholâ ſimili profectum eſt ſanguinolentum illud κέλευσμα, quod anno Domini 1582. per Europam increbuit.

Utere jure tuo, Cæſar, Sectámque Lutheri
Enſe, Rotâ, Ponto, funibus, igne neca.

Nolo jam vel *Siculas Vesperias*, vel *Lanienam Parisiensem* commemorare. Recentiora quippe scelera prioribus illis videnrur palmam præripuisse. Flagrant adhuc in nostratitium memoriis vivicomburia *Mariana*: Nam ut olim *Sulla in uno Cæsare invenisse sibi visus est decem Marios*; Sic *Anglia* nostra non ità pridem *in una Maria decem Cæsares*, omnes notâ persecutionis insignitos. Quin & *Hibernia*, quam tradunt scriptores nullum animal veneficum alere, protulit nuper ingentem viperarum progeniem, tantò brutis serpentibus deteriorem, quantò pejus est fieri, quàm nasci bestiam. Mentem verò præ aliis verberat, utpote omnium recentissima, *Laniena Pedemontana*, in qua talia perpetrarunt Romano-Catholici, qualia fingere vix audebat Antiquitas, nec audebit posteritas credere. Sed tollendam esse manum de hâc tabulâ monent, opinor, pii lectoris sive gemitus, sive lachrymæ. Nobis progrediendum est ad alia specimina.

§ VI. Inimicitiam Domini nostri Jesu Christi adversùs Satanam demonstrat inter alia multa (quibus supersedendum est, ut vitetur prolixitatis vitium) illud omnium ἀποτέλεσμα, capitis serpentini contritio; quam proinde solam elucidabimus; primò phraseologiam, deinde rem ipsam expendentes.

Nè quis autem queratur, aut miretur plus operæ huic impensum clausulæ (*ipsum conteret tibi caput*) quàm alicui ex reliquis: Sciat velim hunc ipsum Textûs protevangelici nucleum esse, & comprehensam hisce verbis promissionem fidelibus in solatium, dæmonibus in terrorem cedere; utut ab hujusce seculi novatoribus interpolentur. Quam illis glossam assuerit *Smalcius* è scholâ *Socini* ostensum est suprà. Hic c.1. §.5.
Ecce prodeuntem ex *Arminii* Scholâ *Episcopium*, qui eâdem ferè oberrat chordâ. Etsi, inquit, "Geneseos tertio, de- Instit. l. 5.
"cimo quinto non manifestè apparet promissio aliqua Di- c.4.p.409.
"vina, & verba ista, semen mulieris conteret caput serpen-
"tis, nusquam ut verba promissionem de Messia continentia

" in Novo Testamento allegentur; tamen nihil vetat ea
" sic accipere, tanquam ad illud indicandum pertinentia.
" Trepidè profectò dictum, & ad ἐποχήν, potiùs quàm ad fi-
" dem creandam.

Cæterùm ut palàm fiat quantum in se tum solatii, tum terroris contineant, duas historiolas pace lectoris exhibebimus: Prima refertur in epistola dedicatoria, quæ præfigitur tomo quinto operum *Brentii*, de *Christophoro* quodam *Haaß* Senatore *Halensi* in *Suevia*, ad quem dicumbentem ante paucos mortis suæ dies ingressus est quidam scriba (ut putabatur) gestans papyrum, atramentum & calamum, assidens mensæ, & in hunc modum verba ad ægrotantem faciens. Christophore, enumera ordine omnia peccata tua, quæ unquam commisisti; Sum enim à Deo missus, ut ea consignem, & deferam ad tribunal ejus, coram quo tibi ratio est reddenda. Christophorus erigens se in lecto quantum poterat, & jam intelligens sibi cum Satana negotium esse, intrepido animo respondit, *Titulus primò scribendus est; scribas ergo titulum hunc, semen Mulieris conteret caput serpentis. Huic titulo subjicias omnia peccata mea.* Satan in ficto habitu præsens, audito hoc responso, statim evanuit.

Alteram mihi ipsi narravit *Johannes Willius* Elbingensis Theologus qui me usus est hospite per aliquot menses *Lennæ-Regis* in agro Norfolciensi. Ea verò sic se habet. Inter discipulos quorum studiis præsidebat *Daniel Cramerus* author *Scholæ Propheticæ*, & Rector Gymnasii Stetinensis in Germania, repertus est unus, qui se per syngrapham propriâ ipsius manu conscriptam mancipaverat diabolo. Tradita est in manus Crameri per quendam studiosum, ad quem fortè pervenerat Ista syngrapha. Illum in Musæo sedentem post aliquot dies adortus est Satanas, ostium pulsans ictu strepitúque insolito; & insuper clamans, Cramere, Cramere, Redde mihi chartulam meam, quæ apud Te est, redde, inquam, chartulam. Doctus ille & strenuus vir simulac persensit quis esset, qui eum interpellaverat, *Adesdum*, inquit,

inquit, *Satan. Hic est, posui eam in sacro codice ad locum Geneseos tertio, decimo quinto, ubi legimus de semine mulieris contrituro caput serpentis. Praestò est, pete si audes.* Ad quæ verba fremuisse diabolus, & cum ingenti fragore fœtoréque nec non parte Musæi aliquâ conquassatâ, abiisse dicitur.

§ VII. Phraseologiam quod spectat, per capitis serpentini contritionem non læsio mediocris, sed internecio denotatur: quoniam id genus animalia si in alia quavis parte corporis percutiantur, vivunt tamen sauciata; sin eis caput cõquassetur, moriuntur illico. Mirabile est, inquit, *Frantzius*, "Si omninò ità sit, quòd serpentibus caudâ amputatâ ipsis "renascatur, & quòd lambendo restituant erosas, vel per "vulnerationem abstractas reliquas omnes partes, modò "caput sit salvum. Unde certantes in gyros volvuntur, & "caput diligenter defendunt; capite enim periclitante, periclitatur tota vita ipsorum." Animal hist. sacra part. 3. cap. 1.

Extat apud *Paulum Fagium* magni cujusdam Rabbini dictum, in quo unà cum malevolentia Judæorũ elucet hujusce phraseos emphasis, Ità verò se habet, *Optimus qui inter gentes est, dignus est ut caput illi conteratur tanquã serpenti.* Præterea caput illa pars corporis est, in qua consistit robur quorundam animalium atque adeò metaphoricè designat potentiam; ut in Apocalypsi per caput, & cornua potestates illæ, quâ Ecclesiasticæ, quâ temporales innuuntur per quas bestia dominium suum exercuit. Prodit verò se potentia serpentis infernalis tum in morte, cujus imperium dicitur esse penes diabolum, tum in peccatis, quæ appellantur illius opera. Siquidem *Johannes* postquàm dixerat Christum patefactum esse ut peccata tolleret, ità se demùm explicat, *Ad hoc manifestus factus est filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.* In paraphras. Chald. ad Exod. 23. 1. — Heb. 2. 14. — 1 Joh 3. 5. 8.

Itáque quod ad rem ipsam attinent, duas hîc quæstiones proponere, & scholasticorum more pertractare visum est; *Quomodo*, scilicet, *Christus pro nobis contrivit? & quomodo*

in nobis conterit caput serpentis? Id est si propriè loqui velimus, quomodo mortem & peccatum abolevit & abolet?

§ VIII. Ad priorem respondeo, Christum pro nobis caput serpentis contrivisse moriendo vice nostrâ, ut pro peccatis suorum omnium justitiæ divinæ satisfaceret. Probatur primò à naturâ pœnarum in genere. Pœna secundùm *Johannem Altenstaig* dicit ordinem ad culpam, & accipitur pro quâdam vindictâ. Mala, quæ perpessus est Christus fuisse pœnalia docet propheta Evangelicus, *Castigatio pacis*
Isaiæ 53.5,6. *nostræ imponitur ei. Jehova facit ut incurrat in eum pœna omnium nostrum*, utì habetur in versione Junio-Tremelliana. Præclarè *Biel*, *mala*, inquit *pœnalia non sunt verè mala, quia fluunt à summo bono, nimirum Deo, ducunt ad summum bonum nimirum fruitionem Dei*; *&* (quod ad rem nostram facit) *erant in summo bono, nimirum Christo.* Culpas igitur respiciebant, non ipsius (erat enim expers omnis peccati) ergò nostras, prout idem propheta disertissimè; *Dolore afficitur à*
Ibid.v.5.& 12 *defectionibus nostris, Atteritur ab iniquitatibus nostris. Ipse peccata multorum perferens pro defectoribus intercessit.* Quin & à justitia divina profluebant secundùm Apostolum. *Præstituit eum Deus ut esset placamentum per fidem in sanguine ip-*
Rom.3.25,26 *sius ad demonstrationem justitiæ suæ.* Atque iterum, *Ad demonstrationem justitiæ suæ*, vindicativæ scilicet, *ut sit ipse justus.* Neque enim vindex justitia, vel in diluvio, vel in excidio Sodomitico, vel usquam aliàs clariùs emicuit, quàm cùm indignatio divina peccatoribus debita in eorum sponsorem, & vadem efferbuit. Ergò Christus eluisse peccata credendus est quia luit pœnas; & ea per modum satisfactionis expiâsse, quoniam ipse factus est piaculum. Secundò ab intuitu speciali illarum pœnarum quas Christus pependit: Patebit enim vice nostrâ passum esse, modò constet easdem pœnas quoad substantiam subiisse, quæ nobis ipsis erant luendæ. Illæ sunt partim sensûs, partim damni, utì convenit inter Theologos. Passus est pœnam sensûs in agone, quando grumos sudoris sanguineos copiosiùs effudit è quolibet

quolibet membro, *Ut totum corpus ejus, quod eſt Eccleſia* (pro- Luc.22.44.
ut ſuaviter Bernardus) *totius corporis lachrymis ſanaretur*; &
faſſus eſt undique triſtem fuiſſe animam ſuam uſque ad
mortem. Nullo tunc hoſte premebatur extrinſecùs, ſolus Mat.26.38.
ignis excandeſcentiæ divinæ, qui intùs ardebat, produxit
illa ſtillicidia. Pœnam damni ſuſtinuit in Cruce, quando
clamavit *Deus mi, Deus mi, quare dereliquiſti me?* Enimve- Mat.27.46.
rò licet Chriſtus quà dilectus Dei filius, qui *in ſinu patris* Joh.1.18.
ſemper eſt, in perſonâ (ut ita dicam) propriâ derelinqui
nunquam potuit: tamen quà vas, & fidejuſtor pro pecca-
toribus, & ut eorum perſonam ſuſtinens, ſecundùm divinæ
œconomiæ exigentiam, deſertus eſt aliquandiu. Tertiò de-
nique probatur à præpoſitionibus ὑπὲρ & ἀντὶ quibus hâc in
re frequentiſſimè utitur Spiritus ſanctus. Mortuus eſt (aiunt
Apoſtoli) ὑπὲρ πάντων, & ὑπὲρ ἡμῶν, ergò noſtrâ vice; ut quan- Heb.2.10.
do dicitur apud Poetam *Unum pro multis dabitur caput*. Fa- 1 Pet.2.21.
temur ultrò τὸ ὑπὲρ interdum non tam vicem, quam bonum
alicujus innuere (quod unicum eſt adverſariorum refugi-
um) verùm de particulâ ἀντὶ nil tale comminiſci poſſunt,
utpote quæ in compoſitione (ut obſervat Grotius) ſemper
aut contrarietatem, aut commutationem ſignificat. Ide-
óque quando dicitur Chriſtus dediſſe ſe pro nobis ἀντίλυτρον,
ubi contrarietas locum habere non poteſt, neceſſe eſt ut ſig-
nificetur compenſatio, & commutatio; ſicut ἀντίψυχοι græcè Vid. *Grotium*
audiunt qui ſe morti devovent, ut alios à morte liberent. de ſatisfact.
Quando legimus ὀφθαλμὸν ἀντὶ ὀφθαλμοῦ, καὶ ὀδόντα ἀντὶ ὀδόντος, ne- c. 9.
mo dubitat oculum vice oculi, dentem vice dentis intelligi: Mat.5:38.
Quidni igitur concludamus Chriſtum loco, & vice noſtrâ
crucifixum, cùm ipſe dixerit veniſſe ſe ut daret animam ſu-
am λύτρον ἀντὶ πολλῶν? Quin & ὑπὲρ quandoque non poteſt Mat.20.29.
non ſumi in eodem ſenſu; ut cùm ſe Paulus optat Ἀνάθεμα ὑπὲρ Rom.9.3.
τῶν ἀδελφῶν, i. e. vice fratrum ſuorum quos prævidit perituros
niſi reciperent Evangelium.

§ IX. Quid ad hæc Adverſarii? Ludunt vocabulis,
ut pueri latrunculis. Concedunt Chriſtum pro nobis qui-

dem mortuum esse; sed nostro bono, non nostro loco: Agnoscunt etiam mortuum esse pro peccatis ut expiaret, sed non ut satisfaceret: vel ut satisfaceret voluntati divinæ salutem nostram desideranti; vel divinæ sapientiæ cui tale medium procurandæ salutis valdè placuit, vel honori divino, qui tantum & ampliùs per obedientiam secundi Adami resarcitus est & vindicatus, quantum per Adami primi & posterorum ejus peccata violatus; præstitam vero Justitiæ divinæ satisfactionem ut deo indignam & à scripturæ sententia vehementer abhorrentem repudiant & detestantur.

Vid. *Crellium* in præfation. respons. ad *Grotium* p 7. & 8. Item in respons. ad c. 6. partic. 44.

Sin autem de argumentis quæratur, quibus adducti in contrariam nostræ sententiam pedibus iverint, unum & alterum hìc proferre non pigebit, ut ex eis fiat judicium de reliquis. *Sequeretur* (ait Catechismus Racoviensis) *Christum æternam mortem subiisse, si Deo pro peccatis nostris satisfecisset, cùm constet pœnam quam homines pro peccatis meruerunt, æternam mortem esse.* Sed omnino negandum est sequi, cùm alia longè ratio sit Christi & damnatorum. Hi utpote nudi homines iram Dei infinitam simul effusam tolerare nequeunt, ideoque successivè perferunt, nè creatura penitùs absorberetur. Ille verò in unâ hypostasi verus Deus, & homo pro infinitâ suâ virtute potis erat eam totam totaliter exantlare, itâ ut æternis reverà pœnis quod ille passus est in tempore æqui polleat. Obstrepunt ulteriùs istarum partium matæologi, desperationem & odium Dei comites esse individuos pœnarum nobis debitarum, hæc autem vitia Christo ascribi neutiquam posse absque blasphemiâ. Respondeo, istiusmodi quidem vitia comitari reatum peccati inhærentis, sed non imputati; & insuper addo, considerandam esse in Christo gratiam triplicem, *Unionis, visionis & Unctionis.* Gratia Unionis non potuit solvi, fuit verè Θεάνθρωπος etiam in ipso mortis triduo. Gratia visionis potuit subtrahi, & ad tempus subtracta est in eâ, quam pertulit, desertione. Gratia Unctionis semper integra permansit & in-

Cap. 8. ad quæst. 16.

intemerata, adeo ut impossibile fuerit desperationem, aut tale quid peccaminosum in ipsum cadere.

Aliorum argumentorum satis superque ferax est humana ratio quæ non veretur Spiritui Sancto disertissimè asserenti *Christum pro peccatis passum esse, justum pro injustis* in os contradicere, semper obganniens fieri illud non posse salvâ Dei bonitate. Nos illa mittemus impræsentiarum & in voto desinemus, Socinianis qui supersunt omnibus eam mentis & sermonis palinodiam optantes seriò, quam *Petro Abailardo* contigisse legimus. Fuerat is in eâdem sententia, quam nunc dierum mordicùs tenent, qui *Socini* sequuntur castra: Sed in provecta demùm ætate Apologiam conscripsit in *Cœnobio Cluniacensi* (ubi mors eum deprehendit) melioris animi judiciique sanioris indicem; in qua, referente *Petro Cluniacensi*, extat hæc Thesis, *Solum filium Dei incarnatum profiteor, ut nos à servitute peccati, & à jugo diaboli liberaret, & supremæ aditum vitæ morte suâ nobis reseraret.*

1 Pet. 3.18.

Vossius in respons. ad *Ravensper.* c. 3.

Ap. D. *Prideaux* Lect. 19. p. 295.

§ X. Quæritur secundò, quâ ratione semen Mulieris in nobis conterat caput serpentis? est enim & in nobis coluber, quem *Macarius* appellat τὸν ὄφιν τὸν κατώτερον τοῦ νοῦ καὶ βαθύτερον τῶν λογισμῶν. Illius caput conterit Crhistus, tum abolendo mortem, cujus aculeus est peccatum, tum ipsum peccatum, cujus stipendium mors est, eo quo placuerit modo, & tempore. De morte paucis hîc agendum, utpote quæ occurret infrà semel atque iterum mihi tractanda, nisi priùs occurrat subeunda, quàm ad finem perducta fuerit ista, quam paro, Dissertatio.

Homil. 17. circa fin.

Eam Christus abolevisse dicitur, *& vitam ac immortalitatem in lucem produxisse per Evangelium. Vita ejus*, inquit *Bernardus*, *instruxit nostram, mors ejus destruxit nostram.* Sed quo demum sensu? (Pater mellitissime) quomodo mors à capite superata videtur, quæ tantâ adhuc libertate sævit in membra? Respondet ille pro more suo, suaviter sed & fortiter, *Mors ipsa minimè quidem adhuc abesse cogitur, sed cogitur*

1 Tim. 6.10.

Serm. in transitu S^ti. Mal.

tur non obesse. Addo Christum morte suâ suorum mortem in medicinam, & pœnam peccati in portam cœli convertisse. Nihil nunc attexam aliud præter observationem *Pauli Fagii* singularem. *Judæi*, inquit, *referunt ex veteribus Rabbinis Satanam, sive Angelum mortis (ut illi vocant) olim morituris semper visibiliter apparuisse. Ex cujus aspectu cùm homines multùm fuerint perterriti, ulteriùs dicunt, eos Rabbinos qui post tempora Christi servatoris nostri venerunt, precibus suis impetrâsse à Deo, ut Satan non ampliùs hominibus morituris visibiliter appareat ut antea. Multa quoque disputant de diminutâ & debilitatâ modò potestate Satanæ: Quæ quidem*, ait vir ille clarissimus, *non tam absurdè dicerentur, si eò referrent, quò nimirum veteres illi Hebræi respexerunt, quod Christum Meßiam ignorantibus terribilis sit Satan; secus verò nihil nocere potest; ipse enim est qui debebat conterere caput serpentis Geneseos tertio, quod & veteres illi Hebræi sentiebant, sicut videre est ex paraphrasi Hierosolymitanâ.* Ista legentibus vix equidem potest non occurrere quod ab Apostolo scriptum est, ídque ad Hebræos eis, quas diximus, notionibus à doctoribus suis imbutos. *Quoniam pueri participes sunt carnis & sanguinis, ipse quoque consimiliter factus est particeps eorundem, ut per mortem aboleret eum, penes quem est mortis robur, hoc est diabolum; Et liberos redderet quotquot metu mortis per omnem vitam damnates erant servitutis.*

In paraphras. Chald. ad Deut. 14.

Heb. 2. 14, 15

§ XI. De peccato dicendum est pluribus. Idem Apostolus asserit eundem *Christum nunc semel in consummatione seculorum, ad peccatum per immolationem sui ipsius è medio tollendum, factum esse manifestum*, εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας. Efficax adeò remedium affert adversùs venenum hoc serpentinum magnus ille Medicus Animarum. De facto constat; de modo & mensurâ contenditur. Nos, ut veritas in hoc apice Theologiæ, quem maximi momenti esse nemo non intelligit, eò clariùs elucescat, præmissis aliquot distinctionibus, unâ atque alterâ conclusione, conaturi sumus rem totam absolvere.

Heb. 9. 26.

Tria

Tria sunt in peccato consideranda, *Reatus*, *Regnum* & *Reliquiæ*. Reatus peccati vel est simplex respiciens demeritum actûs vel habitûs vitiosi in ordine ad pœnam illi debitam; vel redundans in personam, qui non demeritum tantùm respicit, sed & damnationem, eámque non solùm ut debitam, sed ut certò inferendam. Regnare dicitur illud peccatum cui anima se totam volens subjicit, non ut plebs tyranno, cujus jugum utpote quod ægerrimè fert, nunquam non conatur excutere; sed ut populus genuino principi, quem aut elegit, aut hæreditario jure succedentem amplexus est, & colit unicè. Per reliquias peccati intelligo fomitem illum, quem vocant, & stirpem vitiorum, quæ mentibus etiam renatorum, & imis medullis tenacissimè inhæret non nisi per mortem revellenda. Ad tollendum peccati venenum quod attinet duo nobis alexipharmaca sacræ literæ proponunt, *Remissionem* scilicet & *Renovationem*. Remissionis notio duplex occurrit; apud *Grotium* una, τὸ ἀφιέναι, inquit ille, *cui respondet latinum remittere, propriè significat à se removere; metaphoricè inter alia rationem alicujus rei non habere, quod Latini simili locutione dicunt Missum facere. Itaq; Scholiastæ Græci passim* τὸ ἀφιέναι *exponunt per* τὸ ἀμελεῖν: *Ergo & peccata remittere & missa facere, quod alibi scriptura vocat, in mare projicere; sicut & poetæ ea quæ extra curam poni significant dicunt ventis tradi in mare raptanda*: & quæ sequuntur. Altera apud *Antonium Wottonum* de reconciliatione peccatoris. *Ego*, ait ille, (*bonâ me veniâ audiant, qui ista profitentur*) *Remissionem peccatorum tanquam relaxationem eorum existimo denotare: Remittere enim idem est interdum, & quidem sæpe quod relaxare: unde illud Ciceronis, quàm laxissimas habenas amicitiæ habere, quas aut adducas aut remittas quum velis. Sic igitur sentio peccatorum vinculis propter reatum culpæ constrictam teneri peccatoris conscientiam, & ipsum ad pænas persolvendas obligatum, quasi mox ad tribunal judicis, & inde ad supplicium rapiendus esset. Veniâ itáque impetratâ quasi remittuntur, seu laxantur habenæ, quas reatus*

De satisfact. c. 2.

Part. 2. lib. 2. capite atq; etiam num. 32.

ex conſcientiâ ſcelerum adduxerat, ut jam metu ſupplicii & actionis liberatus peragi non poſſit reus. Hæc illi, doctè quidem uterque; ſed prior cum majori reſpectu ad remiſſionem *in foro Dei*, poſterior cum propiore intuitu illius, quæ eſt *in foro Conſcientiæ*. Ea denique quam dixi Renovatio (nondum enim plenè pertexuimus telam hanc diſtinctionum) duplex eſt, *Inchoata, vel in fieri*, & *Conſummata, vel in facto eſſe*, de quibus mox ulteriùs erit diſſerendum. Hiſce interim jactis quaſi fundamentis, Concluſiones nunc ſuperſtruam, quarum prima ſic ſe habet.

§ XII. *Remiſſio Chriſti ſanguine parta tollit ab omnibus qui per fidem illam recipiunt, omnem reatum in perſonas redundantem.* Odit quidem Deus pro eâ quâ eſt puritate maximâ, peccata etiam renatorum, ſed odio ſimplici, quia perſonæ ſunt ei per Chriſtum reconciliatæ; peccata vero impiorum odit odio redundante in eorum perſonas, quia Chriſti λύτρον non habent ad expiationem peccatorum ſibi per fidem applicatum. Οὐδὲν κατάκριμα τοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ clamat Apoſtolus. Propoſitio eſt univerſalis negativa.
Rom.8.1. *Nulla eſt condemnatio eis qui ſunt in Chriſto Jeſu*, cui per hanc particularem affirmantem contradicitur, aliqua eſt etiam eis qui ſunt in Chriſto condemnatio, ſaltem ad pœnas temporales. Quam dum propugnant Pontificii & alii, annon *Paulo* contradicant, & aliquem ſaltem reatum aſſerant in perſonas fidelium redundantem, ipſi viderint. Quantò meliùs *Auguſtinus*, aurean hanc de Chriſto ſententiam proferens, *Suſcipiendo pœnam & non ſuſcipiendo culpam, & culpam delevit & pœnam?* Non is ego ſum, qui negem afflictiones renatorum *pœnas eſſe materialiter*; nec enim differunt ſæpenumero quoad materiam à calamitatibus, quibus obruuntur impii. Idem gladius *Uriam* demetere unà cum nequiſſimo milite, eadem domus corruere poteſt in *Sampſonem* æquè ac præputiatos *Philiſtæos*; Laborat *Iſaacus* cæcitate æquè ac *Elymas*. Quantillum intereſt *Joſiam* inter, & *Achabum* ſi ſpectetur genus mortis, ſi Crucis materia. Si nihil peccati

De verb. Dom. ſerm.37.

in *Adamo*, nil fuiſſet pœnalitatis in mundo. Ideo per me dicantur licet pœnæ etiam *Originaliter*. Nego autem pœnas eſſe aut dici poſſe *formaliter*: nego ſub ratione pœnæ diſpenſari quando cadunt in renatos. *Sicut ipſum peccatum*, ait è noſtratibus non nemo, *in hac vita manet etiam poſtquam eſt remiſſum, ſed non ſub eâdem ratione, quâ antea* (vult opinor dicere, non ut regnans, non ut perdens.) *Sic etiam pœna aliqua peccati manet, ſed ſub aliâ ratione, nempe ut medium alicujus boni, non ut propriè dicta vindicta aut ſatisfactio debita juſtitiæ Dei.* Bene Gregorius, *diſciplina Patris non eſt ira Judicis, ſed amor corrigentis.* Meliùs Chriſoſtomus, *Dum corripimur à Domino magis eſt admonitionis quàm damnationis, medicinæ quàm ſupplicii, correctionis quam pœnæ.* Sed omnium ni fallor, optimè Auguſtinus, *Calamitates ante remiſsionem ſunt ſupplicia peccatorum; poſt remiſsionem ſunt certamina exercitationéſque juſtorum.* Atque iterum, *Flagellat nos Deus in iſtis laboribus & erudit uos. Dolor medicinalis eſt, non ſententia pœnalis.* Imò ipſe Thomas, *Temporalia mala infliguntur impiis in pœnam, in quantum per ea non adjuvantur ad conſecutionem vitæ æternæ; Juſtis autem, qui per hujuſmodi mala juvantur, non ſunt pœnæ ſed magìs medicinæ.* Hactenus prima noſtra concluſio.

Ames. Bellarm. enervat Tom. 2. p. mihi 187.

Homil. 28. in 1 Cor. Νουθεσίας μᾶλλον ἢ καταδίκης, ἰατρείας ἢ τιμωρίας, διορθώσεως ἢ κολάσεως.

De peccat. merit. & remiſſion. c. 34.

In Pſalm. 138

1ª 2ª qu. 114. Art. 10. ad 3um

§ XIII Secunda ſequitur. *Renovatio per ſpiritum Chriſti inchoata tollit regnum, conſummata reliquias peccati qualeſcunque.* Regnum tollitur quando quis ſentiens quidem peccatum, ſed non uſquequaque conſentiens, ſtudet per omnia Deo placere; odit ſua ipſius παροράματα, eis ſtrenuè reſiſtit, ità ut plerumque vincat, & ſi quando ſuccumbat, non totâ voluntate vincitur, ſed reſurgit per reſipiſcentiam.

Atque hæc renatorum conditio eſt, quamdiu peregrinantur in viâ: Quando perventum eſt ad patriam, *veniet quod perfectum eſt, & illud quod ex parte eſt, abolebitur. Tunc enim Chriſtus ſiſtet Eccleſiam ſibi glorioſam, non habentem maculam aut rugam, aut quicquam ejuſmodi.* Certum eſt juſtificatos mundari totaliter, ſi ſpectetur peccati remiſſio; non tamen

1 Cor. 13. 10.

Epheſ. 5. 27.

perfectè, ſi renovatio attendatur, donec appareant glorioſi in regno cœlorum, aut in ejus ſuburbiis, quæ intrantur à ſanctis morientibus. *Beda* in locum proximè citatum, *In regno*, inquit, *cælorum plenè & perfectè Eccleſia erit non habens maculam aut rugam aut aliquid hujuſmodi. Cùm enim non tantùm dixit, ut exhiberet ſibi Eccleſiam non habentem maculam aut rugam, ſed addidit glorioſam, ſatis ſignificavit quando erit ſine maculâ, & rugâ; ſcilicet in ſtatu, quem vocant, gloriæ.*

Lib. de perfectione Juſtitiæ. Clariſſimè ſuaviſſiméque Auguſtinus, *Nemo tollit peccatum niſi Chriſtus, qui eſt agnus Dei tollens peccata mundi. Tollit autem & diminuendo quæ facta ſunt, & adjuvando nè fiant, & perducendo ad vitam futuram ubi fieri omnino non poſſunt. In hac igitur vita tantùm curſus eſt ad juſtitiam, in altera vita erit brabium.*

Cæterum erigit ſe pro virili & inſurgit adverſus hanc veritatem, quantum ego quidem intelligo, liquidiſſimam, *Sebaſtianus* quidam *Caſtellio*: Is in tractatu de obedientia Deo præſtanda, ut perfectionem ſuam Utopicam ſtabiliret, inter alios hoc ipſo textu protevangelico ſic abutitur. " *Nonnè* " *Chriſtus*, inquit, *eſt agnus Dei qui tollit peccatum mundi?* " *Quid eſt autem tollere, aut quid eſt abolere opera diaboli?* " *Num inchoatè admovere manum? Abſit. Contrivit penitus* " *caput ſerpentis, & ejus imperium fregit.* Imò abſit potiùs, *Sebaſtiane*, procul abſit à Chriſtianis admotam hanc vel inchoatè Chriſti renovantis manum non amplecti gratiſſimè, non avidè deoſculari; quià perſuaſum habent cum Paulo fore ut *qui incepit in nobis opus bonum, illud etiam perficiet.* Interea verò annon dici meritò poteſt peccata noſtra ſuſtuliſſe, qui *damnatricem* eorum vim proſtravit penitus: & caput ſerpentis contriviſſe qui vim *dominatricem* fregit? Dicam ampliùs, qui *perfectionem partium* indulſit, adeò ut regeneratio extendat ſe per omnes animæ facultates, ut renata jam anima reſpiciat omnia Dei mandata, & qui in ea regnat Spiritus robuſtior ſit reliquiis carnis. Ea, quam Tu tantoperè crepas, *perfectio graduum* expectanda quidem eſt, ſed

Pag 230.

Philip. 1. 6.

ſed alibi. Audiatur interim *Cyprianus*, cujus hæc verba ſunt, *Quis gloriabitur mundum ſe eſſe à peccatis? Si autem nemo eſſe ſine peccatis poſſit, quisquis ſe inculpatum eſſe dixerit, aut ſuperbus aut ſtultus eſt.* Audiatur *Aguſtinus, Deus gratiâ ſuâ hoc in nobis agit ut peccatum conſumatur, homo liberetur. Sed quando conſumitur, inquies? Si minuitur, quare non conſumitur? Minuitur in vita proficientium quod in vita conſumitur perfectorum.* Imò, ſi Lectori placeat audiatur è noſtratibus *Johannes Foxius*, quem ego quidem pluris facio, & facturus meritò ſum quàm vel decem *Caſtelliones*. *Vita ſanctorum in his terris vita eſt non abſolutæ ſed inchoatæ dilectionis & mortificationis: quippe quæ non tam in juſtitia cernitur quàm in juſtificatione, non in ſanctitate ſed in ſanctificatione, non in puritate ſed in purificatione, non in perfectione ſed in profectu.* Hæc ille.

Tractat.41.in Evang.Johan.

De Chriſto gratis juſtific. p.162.

§ XIV. Reliqua adhuc ſunt ſpecimina ſanctæ illius inimicitiæ, quæ à ſemine mulieris ſecundario adverſùs utrumque ſemen ſerpentis exercetur. Circa ſemen inviſibile quæri ſolet à *Thomiſtis* utrum debeamus dæmones ex charitate diligere? Summa reſponſionis huc redit; charitatem Chriſtianam complecti omnem rationalem creaturam extra dæmones & damnatos, qnia omnes aut ſunt aut ſaltem quoad nos poſſunt eſſe participes ſanctitatis & beatitudinis. Dæmones autem & damnatos charitas relinquit, quia Deus illos reliquit. Bonum itaque vitæ eternæ, quod charitas potiſſimùm reſpicit, non poſſumus illis velle, quia hoc repugnaret Charitati quæ Dei juſtitiam approbat, & in ejuſdem voluntate revelatâ acquieſcit. Quanto autem diabolos odio proſequantur veri nominis Chriſtiani, palam facit artium omnium Magicarum deteſtatio, quæ altas in eorum animis radices agere ſolita eſt. Teſtatur *Suidas* excogitatum fuiſſe & decretum ab Alexandrinis Ægyptiis, ut Aſtrologi penderent tributum quodpiam, quod *vectigal ſtultorum* appellabatur, quoniam non niſi à ſtultis & carioſis hominibus conſulerentur. Solent veræ pietatis aſſeclæ id genus non præ-

Ad 2am 2æ quæſt. 25. artic.11.

ceptores solùm, sed & discipulos, non solius stultitiæ, sed & horrendæ impietatis reos agere; Eos puta qui vel magos consulunt, vel illicitis remediis, ligaturis & amuletis utuntur, quæ prudenter admodum & suo merito *Sacramenta diaboli* nominantur: Sunt enim signa visibilia gratiæ alicujus, vel auxilii invisibilis à dæmonibus impetrandi. Operæ pretium erit attendere quantum tonent adversùs id genus facinora scriptores Christiani. Augustinus *Multi in morbis constituti quærant auxilium à dæmonibus. Quid hoc aliud est quàm invisibiles hostes nostros adire, qui animam nostram expugnant, & nobis persuadent non esse nobis in Deo salutem? Obsurduerunt illi ad Dei vocem dicentis, salus tua ego sum.* Chrysostomus de superstitiosis illis quæ ægrotis applicantur ligamentis *insidiæ sunt diabolicæ ad occulendam seductionem & ad porrigendum sub melle venenosum pharmacum.* Hæc ille, & multò plura in quadam homilia, ubi nititur probare *mortem potiùs subeundam esse Christiano, quàm ut suam, aut suorum vitam ejusmodi remediis velit redimere.* Inter scholasticos sic Estius, *Sicut lex naturæ dictat nullam subditis habendam esse societatem cum hostibus sui regis, maximè si omnia faciant in odium & perniciem Regis: Ita & nobis qui sumus ex parte Dei, prohibet eadem lex naturæ omnem etiam minimam cum diabolo & angelis ejus societatem.* Dixerat, *Aquinas*, " Homini bel- " lum indictum esse contra dæmones, ideoque illi non licere " dæmonum auxilio uti per pacta tatcita vel expressa. Ad " quæ verba *Cajetanus*, nota, inquit, radicem quare omnis " societas cum dæmone ex suo genere est peccatum mor- " tale, quiâ scilicet est cum hoste, jam indicto bello à principe Universi inter nos & dæmones; scilicet in hoc loco *Mosis* cujus expositioni ultima jam admovenda est manus.

In Psalm. 34.

Homil. 8. in Epist. ad Coloss.

In lib. 2um sententiar. dist. 7. artic. 21. vid eundem in lib. 4um distinct. 34. artic. 6.

2a 2æ qu. 96. art. 2. ad 3um

§ XV. Superest enim ut ostendam, sed paucis, primæ magnitudinis Christianos hominibus etiam facinorosis, & indole diabolicâ præditis quà tales sunt, se adversarios profiteri cum *Davide* dicente, *Annon Osores tuos ô Jehovah*

Psal. 139. 21, 22.

vah odio habeo? Perfecto odio odi illos; Inimicorum loco sunt mihi.

Si quæstio sit de personis Improborum, utrùm illas liceat nobis odio habere, uno ore respondent Theologi, non licere, & in hoc sensu solidè dictum est & succinctè à *Johanne Maldero, Inimicus apud Christianos non habet correlativum:* Si de vitiis, licere & debere asserunt. Augustinus egregiè, *Omnis peccator in quantum peccator non est diligendus, & omnis homo in quantum Homo diligendus est propter Deum; Deus verò propter seipsum, à quo habent omnes qui eum diligunt, & quòd sunt, & quòd eum diligunt.* Quibus paria sunt quæ sui temporis Augustinus, nostræ Angliæ & imprimis Academiæ Cantabrigiensis decus singulare *D. Davenantius Sarisburiensis* scripto consignavit. *Quod attinet ad homines palam impios, nè hos quidem deserit Charitas Christiana. Charitas enim omnia sperat. Sperat itaque hos ad Deum converti posse, & participes fieri communionis sanctorum & beatitudinis æternæ: vir itaque pius odit impium, sed perfecto odio. Perfectum verò odium est quod nec justitiâ nec scientiâ caret, id est, ut nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas.*

Meditat Theologic. p. 170.

De doctrin. Christ. c. 27.

In Epist. ad Coloss. p. 39.

Hujus autem odii specimen manifestum editur in illa pravi consortii fugâ quam piis omnibus dictat prudentia Christiana, inter alios *Augustino,* cujus hæc verba sunt observatu dignissima. *O nimis inimica amicitia! Cùm dicitur, eamus, faciamus, pudet non esse impudentem;* Atque illi etiam monacho cujus exemplo memorabili nostræ huic exercitationi Colophonem imponam. *Norimbergæ*, prout scribit *Abrahamus Scultetus* in suis annalibus, monachus quidam Franciscanus, cui nomen erat *Gallus Korn,* cùm gustum religionis veræ haberet, nec id dissimularet in concionibus, in odium Fratrum venit. Aperienti fortè *Cyprianum* occurrit dictum Apostoli, *Denuntiamus vobis, Fratres in nomine Jesu Christi ut vos subtrahatis ab omni fratre ambulante inordinatè.* Perculsus hoc effato, cùm sensum illius ex *Ambrosio* didicisset, Monasterium deseruit.

Confes. l. 1. c. 9.

Annal. Decad. 1. p. 121.

2 Thes. 3. 6.

Cap. IV.

Alibi memoratos Hostes recensens.

Deus ipse quomodo Hostis sit, Sect. 1, *&* 2. *Quo sensu caro propria nobis adversetur. Ejus diffusio per totum hominem contra quosdam Scholasticos. Rebellio adversùs Spiritum etiam in renatis contra* Castellionem. Jonæ *affectus inordinati*, Sect. 3, & 4. *Mundus quomodo inimicus. Locus* 1 Joh. 2. 15, 16. *exponitur, item* 1 Tim. 6. 9, 10. *& ostenditur quam damnosæ sint Luxuria, Avaritia, & Superbia*, Sect. 5, *&* 6. *Mors duplici respectu hostis est, quà spoliat & quà terret. Lux illata verbis Pauli Philip.* 1. 23. *Mors pœna peccati, non sequela naturæ, contra* Pelagianos, Curcellæum, *&* Socinum, Sect. 7. *&* 8.

§ I. USi sumus huc usque protevangelio instar fili Ariadnæi in eo labyrintho, cujus ingressum ipsa rei, quam tractamus, natura postulavit. Cæterùm præter inimicos quorum inibi mentio fit, alibi memorantur hostes alii, quibuscum militi Christiano res est, à nobis minimè prætereundi. Primas meritò sibi vendicat ipse Deus, qui
Cap. 26. v. 23. 24. improbis se contrarium sistit in Levitico; *Si*, inquit, *ambulabitis ex adverso mihi, utique ambulabo etiam ego vobis ex adverso, & percutiam vos septuplò propter peccata vestra.* Sau-
1 Sam. 28. 16. lem sic allocutus est personatus Samuel. *Quare consulis Me cùm Jehova recesserit à te, & sit inimicus tuus?* Postquam fato functus est Josua & ipsius coætanei, suborta est in Israele

ele nova progenies Dei nescia,& idolis inserviens. Quapropter *accensa est ira Jehovæ, & quocunque egrediebantur, manus Iehovæ erat contra eos in malum.* Docent Logicorum filii, ea quæ opponuntur, per modum contrarietatis se expellere mutuò. Solent homines flagitiosi ex ore suo,& quantum fieri potest ex corde Deum pellere. Deo proinde volupe est illos è bracteatâ, prout eam appellat *Seneca,* fælicitate, & iis, quæ maximi faciunt bonis exterminare. Cujus rei extat exemplum nobile in historia *Diocletiani.* Illi nihil erat antiquius, aut magìs in votis, & in conatu, quàm ut nomen & religionem Christi penitus aboleret. Plaudebant assentatores aulici tanquam re fæliciter peractâ, & Imperatori suo columnam erexerunt in Hispania cum hac epigraphe, *Diocletiano Cæs. Aug. Galerio in oriente Adop. superstitione Christi ubique deletâ, & cultu Deorum propagato.* Sed cùm diutiùs contra stimulos calcitrâsset, incrementa religionis Christianæ persentiscens, non obstante sævitiâ, quam adhibuit singulari, totus infremuit, & præ animi perturbatione resignato Imperio (quod omnes historici confitentur) secundùm nonnullos desipere cæpit & insanire.

Judic.2.8,10, 13,14,15.

Camerar. meditat.historic. centur.1.c.39 p.180.

§ II. Quinetiam erga filios suos, ut ut in Christo dilectissimos, si quando gravius deliquerint, ut hostem se gerere solitus est Deus Optimus maximus, donec ad officium suum redierint. Testantur Threni semel atque iterum. *Tetendit Dominus arcum suum quasi inimicus, firmavit dexteram suam quasi hostis; factus est velut inimicus,* &c. *Ieremiæ* adjungamus licet *Isaiam,* apud quem ista legimus, *Utique populus meus sunt, filii non mendaciter acturi, ideò fuit illis servator. Sed ipsis rebellantibus & dolore afficientibus Spiritum Sanctitatis ejus, mutabatur quidem ipsis in inimicum, ipse repugnabat eis.* Minimè tamen desperata res erat, minimè conclamatus populus; nec ad perditionem ista spectabant, sed ad fidei & pœnitentiæ redintegrationem. Ipsi enim paulò pòst suum hunc specie tenus inimicum, ut patrem invocant. *Attende de cœlo, & vide de habitaculo sanctitatis tuæ. Tu enim*

Lament 2. 4,5.

Isai.63.8,10.

Ibid.v.15,16.

pater noster es; quamvis Abraham nesciturus, & Israel non agniturus esset nos: Tu Iehova pater noster es, &c. Adcò verùm est illud Tertulliani, *O servum illum beatum, cujus emendationi Dominus instat, cui dignatur irasci?* En tibi, Lector, hâc de re præclarè admodum disserentem, quem supra laudavi, Davenantium. *Non est*, inquit, *negandum etiam filios Dei, cùm fræna carni laxaverint, sentire iram Dei sibi incumbentem, sed non manet perpetuò super illis, quia nec illi in hisce peccatis.* Porrò distinguit inter iram Dei paternam sive castigantem, & hostilem sive exterminantem; & hæc demum addit; *Cùm fideles ruunt in peccata contra conscientiam, etsi non solvatur illud vinculum æternæ Dei benevolentiæ, quod pendet ab electione: solvitur tamen ad tempus amor amicitiæ, aut saltem sensus & usus ejusdem, qui pendet ex fide, & sanctificatione. Dum itaque indormiunt talibus peccatis, Deus agit cum illis tanquam cum hostibus; Illi Deum aliter apprehendere non possunt quàm sibi infestum & iratum.* Unum præ aliis vitium est cujus qui insigniter rei sunt, Deum irritant ad bellum adversùs ipsos gerendum, prout testantur eisdem planè verbis Apostoli duo, Jacobus scilicet & Petrus, ὁ Θεὸς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται, id est, *Deus ex adverso aciem instruit, ut præliando superbis resistat.* Hostes enim dicuntur οἱ ἀντιτεταγμένοι secundùm *Budæum*, & ἡ ἀντίταξις est aciei contra hostem instructio; Quæ significatio (ait scriptor neotericus) huic loco pulchre convenit. "superbi enim sunt veluti invasores di-"vinæ gloriæ, dum ad se rapiunt quod est Dei: Invasori-"bus autem & raptoribus vis armata opponi consuevit. Suffragatur ex antiquis Ambrosius, *Deus suæ contumeliæ propulsator veluti speciale quoddam certamen adversùs superbiam suscipit.*

De pœnitent. c. 11.

In Colos. 3. 6. p. 365.

Jacob. 4. 6. 1 Pet. 5. 5.

Joh. Gerhardus in 1am Petri p. 768.

In Psal. 118. Octonar. 7.

§ III. Secundas obtinet Caro propria, hostis eò periculosior, quò intimior; sicut jurgia domestica forinsecis molestiora sunt, & bellis exteris civilia. Istam Carnis hostilitatem Apostoli describunt graphicè, & à re militari desumptis vocabulis. *Cerno aliam legem in membris meis belligerantem,*

Rom. 7. 23.

gerantem, ἀντιστρατευόμενον, *adversùs legem mentis meæ.* Sic Paulus. *Unde bella & pugnæ inter vos? Nonnè hinc, nimirum ex voluptatibus vestris quæ militant* τῶν στρατευομένων *in membris vestris?* Sic Jacobus. *Tanquam inquilini & advenæ abstineatis à carnis cupiditatibus, quæ militant*, αἵτινες στρατεύονται *adversùs animam.* Sic Petrus. Sunt è Scholasticis nonnulli qui peccatum originale subjectari docent in solis animæ facultatibus inferioribus, atque adeò per carnem solam intelligunt sensualitatem. Eos ipsi *Bellarmino* flagellandos relinquimus, qui adversùs hanc sententiam insurgit strenuè. Nos sacræ literæ docuerunt diffundi carnem per totum hominem, idque sic ut in irregenitis sola quidem dominetur absque rivali, in renatis non omnino dominetur, nedum sola, insit tamen unà cum spiritu, cui semper repugnat; Sicut in una *Abrahami* familia *Isaacum & Ismaelem*, in uno *Rebeccæ* utero *Jacobum* & *Esauum* contendisse legimus, sic in eadem anima post renascentiam, imò in ejusdem animæ singulis facultatibus *Caro & Spiritus* colluctantur. Occurrunt apud Paulum præter παθήματα σαρκός, *Affectiones carnis*, quæ ad appetitum sensitivum pertinere videntur, θελήματα σαρκός, *Desideria carnis*, quæ spectant appetitum rationalem, sive voluntatem, & φρόνημα σαρκός, *Sapientia Carnis*, quæ refertur ad intellectum. Si ista sigillatim contemplari placuerit, constabit illicò quanta sit carnis hostilitas, & quantum ab illa periculum animæ.

Jacob.4.1.
1 Pet.2.11.
Lib.5.de Amiss.gratiæ & statu peccat. c.15.
Galat.5.24.
Ephes.2.3.
Rom.8.6.

§ IV. Carnem in intellectu comitatur plerumque Curiositas, secundùm illud ad Colossenses, *Gradum inferens in ea, quæ non vidit, & temere turgens Carnis sua intelligentiâ.* Hæc autem quàm inimica sit animæ utinam apud se cogitarent, qui scrutari malunt occulta cum discrimine, quàm absq; crimine nescire! Tutò siquidem ignorantur quæ tacere Spiritui sancto visum est. Suavissimè Tertullianus, *Nobis curiositate opus non est post Christum Jesum, nec inquisitione post Evangelium. Cùm credimus, nihil desideramus ultrà credere. Hoc enim priùs credimus non esse quod ultrà credere debeamus.*

Coloss.2.ult.
De præscript. cap. 8.

Non tam verba sunt, quàm fulmina, quæ Patrum primores emiserunt adversùs hanc pestem. Chrysostomus, *Curiosus & nimius rerum divinarum perscrutator nihil proficit, nihil invenit præter ultimum supplicium.* Augustinus, *Loqui volentes de Dei profundo mersi sunt in profundum.* Mihi vix aliud esse videntur curiosæ nonnullæ Cabalistarum, Scholasticorum, aliorúmque nunc dierum disquisitiones, quàm lascivientium ingeniorum lupanaria. Præ se quidem ferunt acumen nescio quod, sed inutile, si non noxium; sicut in lepra candorem quendam, & nitorem cernere est sed contagiosum. Dicam quod expertus sum, Qui spondent nobis sensus mysticos, plerumque proferunt monstrosos; & Allegoriarum aucupes facti sunt rerum proditores, utinam non & animarum.

Homil. 23. in Evangel. Joh.

De verb. Apost. Serm. 7.

Carnis in voluntate comes individua est rebellio adversùs Spiritum, docente Paulo, *Caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem, hæc autem inter se opposita sunt.* Junguntur quidem, ut in crepusculo lux & tenebræ; verùm non magìs commiscentur quàm oleum & aqua in eodem vase, vel ferrum & lutum in statua apud Danielem fatidica. Visus sum mihi inter legendum in nupero quodam itinerario hujusce rei vivum emblema reperiisse. Prope Belgradam Hungariæ metropolin fluvius, quem Salvam vocant, in Danubium prolabitur; ubi per sexaginta milliaria utriusque fluminis aquæ junctæ decurrunt, sed non mixtæ; adeò ut qui cymbis vehuntur in medio Danubio hinc aquam limpidam & puram, illinc turbidam & arenosam tollere possint & gustare. Ità quasi contiguæ sunt in unaquaque viri regeniti facultate Spiritus & Caro, Gratia & Corruptio; sed colluctantes & alter alteri quantum fieri potest repugnans. *Castellioni* si credamus, veteranis Christi militibus non est sibi metuendum ab hoc hoste, quanquam habeant tirones quod formident. Illi tria sunt hominum genera *irrenati*, *renascentes*, & *renati*: Ex irrenatis asserit nullum esse qui rectè faciat; in renascentibus agnoscit luctam carnis

Galat. 5. 17.

D. H. *Blunt.* p. 19.

De justificat. p. 86.

carnis & Spiritûs, vitiorum & virtutum, sed non in renatis. *Perpetuam*, inquit, *colluctationem sacræ literæ nusquam dicunt. Caro quidem luctatur quamdiu vivit, sed mortua non luctatur: sicut est in proverbio, Homo mortuus non gerit bellum. In Galatis luctabatur, qui dementes erant, & à spiritu exorsi in carnem desinebant, ideóque à Paulo iterum informandi erant; sed idem de omnibus dicere est sanos & ægrotos unâ definitione definire.* Bella profectò Theologia, & quæ hominem sui minimè gnarum satis indicat! Dic sodes, *Castellio*, tuus ille renatus quantò sanctior est & purior sancto *Paulo*? Is in calce septimi capitis ad Romanos belligerantē in se carnem apertissimè profitetur. Scio quid dicturus sis, Apostolum nempe hoc in loco vel non loqui de se, sed in persona aliena, vel de se non ut renato, sed ut olim erat, irregenito. Et hoc tu quidem alibi, sed frustrà asseris. Nam ut parcam aliis rationibus, ipse locus probat contrarium. Meminit enim ibi Paulus *interni hominis secundùm quē lege Dei delectabatur*, sed & alterius *Legis in membris, quæ adversùs illam legem mentis belligerata est.* Quibus verbis perspicuè testatur se sub illo statu, de quo loquitur, intestinam illam Carnis & Spiritûs luctam sentire. Homo autem non renatus, quantus quantus sit, totus est Caro, nec habet in se renitentem Spiritum. Quod si nondum satisfiat, consulas velim aliud ejusdem Pauli dictum. *Contundo corpus meum, & in servitutem redigo.* Unde proclive est colligere, fuisse etiam in Paulo aliquid, viro longè sanctissimo, cum quo ipsi depugnandum, & quod erat in servitutem redigendum: quid verò aliud hoc quàm Caro?

De obedient. Deo præstanda p. 248.

De justificat. p. 67.

1 Cor. 9. ver. ult.

Denique per & propter Carnis in appetitu sensitivo motus inordinatos multoties suboriuntur in animo præ impetu variorum affectuum (quos Latini non immeritò *perturbationes* vocant) tempestates ejusmodi quales in mari concitantur, si quando

Unà Eurúsque notúsque ruant, crebérque procellis
Affricus, & vastos volvant ad littora fluctus.

Pone tibi ante oculos, Lector, *Jonam* prophetam, quo nescio an sanctorum aliquis unquam fuerit animo perturbatiori, aut diversis passionibus huc & illuc magìs exagitato.
Jonæ cap. 1. 3. c. 2. 5. 8. c. 4. 6. Missus ad *Nineven* fugiebat *præ timore* versùs *Tarsum*; absorptus à balænâ, *præ ingenti mæstitiâ* queritur se ejectum à conspectu domini, & animam suam intra se obrutam; præter omnem expectationem refocillatus umbrâ ricini affectus est *lætitiâ magnâ*; ricino autem exarescente *iracundiam* a-
Ejusd. c. 4. 9. pud se concepit adeò *vehementem*, ut expostulante Domino & dicente, An factum bene quòd accensa est tibi ira propter illum ricinum? impotenter responderit, *Factum bene quòd accensa est mihi ira ad mortem usque.* Beate Jona! quidni prophetia tua deinceps providentiæ divinæ, sed & passionum humanarum speculum audiat? Tantæ scilicet molis est vel reliquias carnis, nedum vires illibatas edomare, & in ordinem redigere.

§ V. Tertiæ jure debentur mundo, qui, cùm *in maligno positus sit*, non potest non malignitatem suam exerere
1 Joh. 5. 19. adversùs eos quos è mundo vocatos Christus Dominus sibi ascivit in clientes & discipulos; prout ipse nos docuit in E-
Joh. 15. 19. vangelio, *Si ex mundo essetis, mundus quod suum est amaret: quia verò ex mundo non estis, sed ego elegi vos ex mundo, propterea odit vos mundus.* Esse solent inter principes confœderatos communes amici & inimici: Qui cum Deo fœdus perpetuum inierunt, quod unusquisque renatorum seriò præstitit, Mundum sibi hostem experiantur necesse est, utpote Deo inimicum, Jacobo teste. *Adulteri & Adulteræ, nesci-*
Jacob 4. 4. *tis amicitiam mundi inimicitiam esse adversùs Deum? Quicunque ergo voluerit amicus esse mundi, inimicus Dei constituitur.* Per mundum autem hic & alibi, licet non ubique, in-
In 1am Joh. cap. 2. telligimus cum *Cajetano* non universitatem rerum creatarum, sed universitatem rerum deordinatarum; non à regulâ naturæ, sed à regula rectæ rationis. Id quod clariùs elucescet ex loco apud *Johannem* palmario, quem & citare nobis expedit & illustrare; *Nè diligite mundum, neque ea, quæ in mundo*

mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo; Quoniam quicquid est in mundo, cupiditas carnis, & Libido oculorum, & fastus vitæ, non est ex patre, sed ex mundo.

Hæc ipsissima tela sunt, per quæ olim diabolus protoplastos adortus est in paradiso. Vidit mulier fructum arboris vetitæ bonum esse in cibum, ecce *cupiditatem carnis :* gratissimum oculis, *ecce libidinem oculorum*; & desiderabilem ad habendam intelligentiam, *ecce fastum vitæ* ! Quin & eisdem, sed successu dispari, usus est posteà adversus Christum in deserto. Dic, inquit, ut isti lapides panes fiant, quò scilicet concupiscentiæ carnis satisfieret. Ostendit illi omnia regna mundi & gloriam eorum, ut impleret libidinem oculorum. Et dejice te ajebat, deorsum ab ipsa templi summitate, illæsum Te servabunt Angeli, spectatoribus hoc in stuporem cedet, tibi in laudem, ut sic vitæ superbiam aleret. Cæterùm viam planè contrariam Christus iniit, ut nobis exemplo suo præiret in mundo tum fortiter impugnando, tum etiam gloriosè superando. *Æcolampadius* postquam illa duo, quæ jam supra posuimus, observâsset, *Vide*, inquit, *strategemata Christi. Contra concupiscentiam carnis, quam ipse obedientissimam habuit, propter nos jejunavit, laboravit, fatigatus est, flagellatus & crucifixus ; contra concupiscentiam oculorum in extrema paupertate fuit, nec habens ubi caput reclinaret ; Humiliter autem ministrans nobis, & obediens Patri usque ad mortem, quàm alienus à fastu esset declaravit.*

Genes. 3.

Mat. 4.

In Epist. 1am Johan. Demegoria 7.

§ VI. Videamus & nos quantum insit horum singulis, vel adhæreat sive damni, sive periculi; ut inde de mundi inimicitiâ dilucidè magìs constare possit. Cupiditas carnis æquipollet luxuriæ, & eorum bonorum desiderium in se continet quibus corpori (illud enim hìc denotat caro) gratificamur. Ejusmodi verò voluptates (de illicitis loquor, sive scripturæ, sive naturæ regulam & modum excedentibus) ut *Joabus Abnerum*, osculantur & perimunt ; ut *Jael Siseræ* lac administrant, sed cum paxillo. Desinit in luctum mentis luxus corporis ; & tales cachinnos mors excipit,

Ut

Pone tibi ante oculos, Lector, *Jonam* prophetam, quo nescio an sanctorum aliquis unquam fuerit animo perturbatiori, aut diversis passionibus huc & illuc magis exagitato.

Jonæ cap. 1. 3. c. 2. 5. 8. c. 4. 6. Missus ad *Nineven* fugiebat *præ timore* versus *Tarsum*; absorptus à balænâ, *præ ingenti mæstitiâ* queritur se ejectum à conspectu domini, & animam suam intra se obrutam; præter omnem expectationem refocillatus umbrâ ricini affectus est *lætitiâ magnâ*; ricino autem exarescente *iracundiam* apud se concepit adeò *vehementem*, ut expostulante Domino & dicente, An factum bene quòd accensa est tibi ira propter illum ricinum? impotenter responderit, *Factum bene quòd accensa est mihi ira ad mortem usque*. Beate Jona! quidni prophetia tua deinceps providentiæ divinæ, sed & passionum humanarum speculum audiat? Tantæ scilicet molis est vel reliquias carnis, nedum vires illibatas edomare, & in ordinem redigere.

Ejusd. c. v. 9.

§ V. Tertiæ jure debentur mundo, qui, cùm *in maligno positus sit*, non potest non malignitatem suam exercere adversùs eos quos è mundo vocatos Christus Dominus sibi ascivit in clientes & discipulos; prout ipse nos docuit in Evangelio, *Si ex mundo essetis, mundus quod suum est amaret: quia verò ex mundo non estis, sed ego elegi vos ex mundo, propterea odit vos mundus.* Esse solent inter principes confœderatos communes amici & inimici: Qui cum Deo fœdus perpetuum inierunt, quod unusquisque renatorum seriò præstitit, Mundum sibi hostem experiantur necesse est, utpote Deo inimicum, Jacobo teste. *Adulteri & Adulteræ, nescitis amicitiam mundi inimicitiam esse adversùs Deum? Quicunque ergo voluerit amicus esse mundi, inimicus Dei constituitur.* Per mundum autem hic & alibi, licet non ubique, intelligimus cum *Cajetano* non universitatem rerum creatarum, sed universitatem rerum deordinatarum; non à regulâ naturæ, sed à regula rectæ rationis. Id quod clariùs elucescet ex loco apud *Johannem* palmario, quem & citare nobis expedit & illustrare; *Nè diligite mundum, neque ea, quæ in mundo*

1 Joh. 5. 19.

Joh. 15. 19.

Jacob 4. 4.

In 1am Joh. cap. 2.

mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo; Quoniam quicquid est in mundo, cupiditas carnis, & Libido oculorum, & fastus vitæ, non est ex patre, sed ex mundo.

Hæc ipsissima tela sunt, per quæ olim diabolus protoplastos adortus est in paradiso. Vidit mulier fructum arboris vetitæ bonum esse in cibum, ecce *cupiditatem carnis:* gratissimum oculis, *ecce libidinem oculorum*; & desiderabilem ad habendam intelligentiam, *ecce fastum vitæ*! Quin & eisdem, sed successu dispari, usus est posteà adversus Christum in deserto. Dic, inquit, ut isti lapides panes fiant, quò scilicet concupiscentiæ carnis satisfieret. Ostendit illi omnia regna mundi & gloriam eorum, ut impleret libidinem oculorum. Et dejice te ajebat, deorsum ab ipsa templi summitate, illæsum Te servabunt Angeli, spectatoribus hoc in stuporem cedet, tibi in laudem, ut sic vitæ superbiam aleret. Cæterùm viam planè contrariam Christus iniit, ut nobis exemplo suo præiret in mundo tum fortiter impugnando, tum etiam gloriosè superando. *Æcolampadius* postquam illa duo, quæ jam supra posuimus, observâsset, *Vide,* inquit, *strategemata Christi. Contra concupiscentiam carnis, quam ipse obedientissimam habuit, propter nos jejunavit, laboravit, fatigatus est, flagellatus & crucifixus; contra concupiscentiam oculorum in extrema paupertate fuit, nec habens ubi caput reclinaret; Humiliter autem ministrans nobis, & obediens Patri usque ad mortem, quàm alienus à fastu esset declaravit.*

Genes. 3.

Mat. 4.

In Epist. 1am Johan. Demegoria 7.

§ VI. Videamus & nos quantum insit horum singulis, vel adhæreat sive damni, sive periculi; ut inde de mundi inimicitiâ dilucidè magìs constare possit. Cupiditas carnis æquipollet luxuriæ, & eorum bonorum desiderium in se continet quibus corpori (illud enim hìc denotat caro) gratificamur. Ejusmodi verò voluptates (de illicitis loquor, sive scripturæ, sive naturæ regulam & modum excedentibus) ut *Joabus Abnerum*, osculantur & perimunt; ut *Jael Siseræ* lac administrant, sed cum paxillo. Desinit in luctum mentis luxus corporis; & tales cachinnos mors excipit,

Ut

Vid. Adagium Risus Sardonicus.

Ut qui Sardöis fauces satiaverat herbis,
Ridenti gelidam prodigit ore animam.

Habent se luxuriosi instar piscium qui per *Jordanis* fluenta limpida in *mare mortuum* deferuntur; ζῶσα τέθνηκε, ait *Paulus* de viduâ lasciviente. Lautiùs indies moriebatur Epulo ille apud *Lucam*, qui indutus purpurâ & bysso, quotidie se oblectabat splendidè, quasi tripudians super os infernalis putei, in quem inopinatò cecidit. Orandum est itaque cum *Anselmo*, *Pota me Domine torrente voluptatis tuæ, ut nil jam mundanorum degustare libeat venenatæ dulcedinis.*

1 Tim. 5. 6. — Luc. 16. 19. — In alloquiis cœlestibus.

Ab avaritiâ (quam per libidinem oculorum designari vix ibit inficias quisquis ista quæ subjunguntur *Solomonis* dicta pensitaverit, *Ne fatiges Te ut ditescas*; *An facies ut involent oculi tui in ea, quæ mox non futura sunt?* Ubi multæ sunt opes, multi etiam sunt qui comedant eas; & *Quid prodest possessori nisi quod cernit divitias oculis suis?*) plurimùm damni provenire docent abundè sacræ literæ. Questus est olim Ecclesiastes de *opibus congestis in malum domini sui.* In aures divitum sui temporis intonuit Jacobus hisce verbis inter alia. *Auri & argenti vestri ærugo testabitur contra vos, & exedet carnes vestras velut ignis; Thesaurum recondidistis in ultimos dies.* Quem locum *Heinsius* aliter interpungendum existimat, & ità legendum (non ut vulgò φάγεται τὰς σάρκας ὑμῶν ὡς πῦρ sed) interposito commate post pronomen ὑμῶν, ὡς πῦρ ἐθησαυρίσατε thesaurum ut ignem recondidistis. Neque enim mirum est, inquit, si qui impius est, ac iram provocat divinam in postremum diem, qui de vitâ actionibúsque statuet humanis, colligere ignem sibi ac reponere dicatur. Omnium verò apertissimè & luculentissimè Paulus, *Qui volunt ditescere incidunt in tentationem & laqueum, & cupiditates multas amentes & damnosas, quæ demergunt homines in exitium & perniciem. Siquidem radix omnium malorum est amor*

Prov. 23. 4, 5. — Eccles. 5. 11. — Ibid. ver. 13. — Jacob. 5. 3. — Exercit. in locum. — 1 Tim. 6. 9, 10

amor pecuniæ, quam quidam dum appetunt, aberrarunt à fide, & seipsos undiquaque transfixerunt doloribus multis. Sunt qui volunt ditescere. Id apud se statuunt, jure vel injuriâ, vi vel dolo, *quocunque modo rem* acquirere. Eos Apostolus ait incidere in tentationem primò, deinde in laqueum. Sicut avis escam appetens allicitur ab aucupe, & allecta statim irretitur: ità divitiis inhiantes avidè diabolus suâ quasi tentationis fistulâ provocatos in omne genus peccata præcipitat. ---Et in cupiditates multas amentes & damnosas. Ecquid enim amentius, quàm hæredi domos & fundos acquirere, gehennam tibi? quàm in eo totum esse ut posteri tui lautè vivant & splendidè, non ut ipse lætus in morte sis, & post mortem beatus? Damnosæ verò cupiditates meritò vocantur, quia (prout sequitur) demergunt homines in exitium, & perniciem. Sicut vespa mellis avidior sæpe perit in vasculo. Sicut navis admisso in se mari, cui supernatare debuit, aquis illico absorbetur. Pergit Apostolus & amorem pecuniæ appellat radicem omnis mali. Atque hoc quidem à *Nierembergio* maximum opprobrium divitiarum censetur, *alimenta vitiorum esse, organa voluptatum, clavem auream scelerum. Cùm ægrè sine opibus gubernentur vitia, quorum illæ velut manubria & capuli sunt.* Addit insuper Paulus quosdam pecuniæ appetitores aberrâsse à fide. *Demam* alibi in exemplum producit, quem nonnulli scriptores Ecclesiastici *Thessalonicæ* præ lucri studio tradunt nescio cui Idolo in sacris peregendis inserviisse: Adeò proclivè est ex servo Mammonæ transire in sacerdotem diaboli: Quæ superest clausula, Et seipsos undiquaque transfixerunt doloribus multis, communi fere divitum experientiâ comprobatur, attestantibus Poetis etiam Ethnicis; Horatio,

De Arte voluntatis lib. 6. c. 27. p. 495.
2 T. m. 4. 10.

Crescentem sequitur cura pecuniam.

Juvenale, Satyr. 14.

Magnis parta malis, curâ majore metúque
Servantur; misera est magni custodia censûs.

H Dixit

Concion. suarum Anglic. fol. 118. B.

Dixit olim pro concione piissimus vir, idémque Martyr beatissimus *Hugo Latimerus*, *Credite mihi auditores, si quem haberem inimicum cui liceret malè velle, optarem illi inprimis divitiarum copiam; utpote certus eum valde locupletatum nullâ unquam deinceps quiete fruiturum.*

Fastus vitæ is est, qui ex redituum opulentiâ, splendore natalium, ædificiorum magnificentiâ, vestium nitore, clientum numero, nominis famâ, titulorum dignitatum, & rerum gestarum amplitudine solet exurgere, ac inflatos animorum ineptientium utres, donec rumpantnr, superbiæ vento adimplere. Tanti fastûs irritamenta primaria fuerunt & sunt Imperatorium & Pontificale fastigium, quorum utrumque viri magni sibimetipsis perniciosum experti sunt: Unde factum ut *Julianus* quo die purpuram Imperatoriam induebat, hunc ex Homero versum repeteret

P. Martinii Morentini præfat. in *Juliani* Misopogon.

Ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος, καὶ μοῖρα κραταιή.

Mors me purpurea, & Parca violentia cepit.

Quin & posteà sæpe questus sit, *Nihil se ampliùs assecutum quàm ut occupatior interiret*: Atque etiam ut *Hadriani* Pontificis Romani monumento inscriptum fuerit hoc Epitaphium, *Hadrianus Sextus hîc situs est, qui nihil sibi infœliciùs in vitâ, quàm quod imperaret, duxit.*

Onuphrius.

Imò si rem æquâ lance perpendamus, facile constabit homines nefarios dum de suis honoribus gloriantur, *pro Junone nube amplecti*, pro fælicitate phantasiam, quam vocem adhibuit Spiritus Sanctus in re non absimili. Enimvero parùm prodest, imò plurimùm obest *longo sanguine censeri*, & intereà sanguinis Christi expertem esse; *pictos majorum vultus ostendere*, & cordi insculptam imaginem Dei non gestare. Procul omni dubio nihil est in mundo gloriosum præter animum mundi gloriam aspernantem, & ad eam quæ cœlestis est, remis velísque, votis & factis contendentem. Iterum si placet, audiatur Johannes Eusebius

Actor. 25. 23. μετὰ πολλῆς φαντασίας.

Nierem-

Nierembergius, *Ille solum gloriosus, qui contempsit & se* De Arte voluntat.l.6.c.
& gloriam. Quò res minùs æstimamus, plùs æstimamur. Inæsti- 54 p.533.
mabilis erit, qui ipsam æstimationem non æstimat.

§ VII. Nobis ultimo in loco recensenda est mors, quæ etiam ab Apostolo *hostis ultimus* appellatur. Hostium est, 1 Cor.15.26. quos invadunt adversarios, bonis suis spoliare; unde Christus, *Cùm potens quispiam armatus custodit aulam suam, in pace sunt quæ ipsi suppetunt; postquàm verò quispiam eo potentior superveniens vicerit eum, totam armaturam ejus tollit,* Luc.11.21,22 *quâ confidebat, & spolia ejus distribuit.* Ita mors prædatrix est longè maxima; quoniam simulac advenerit, ambitiosi suis honoribus, luxuriosi voluptatibus, opulenti divitiis, studiosi libris, omnes omnibus externis spoliantur illicò.

Linquenda domus & tellus & placens uxor.
Vitáque cum gemitu fugit indignata sub umbras.

Deinde soliti sunt hostes appropinquantes adversariis suis terrorem incutere; ut quando Regi Judæ innotuit bellum, quod adversùs ipsum parabant Reges Syriæ & Israelis, *commotus est animus illius, animúsque populi, sicut commoventur arbores Sylvæ propter ventum.* Isai 7.2. Pariter & mors humano generi adeò terribilis est, ut jure *Rex Terrorum* audiat. Job.18.14. Saulus accepto mortis nuncio per os Samuelis personati, passus est deliquium animæ. 1 Sam.28.20. Dicitur ad locupletem in parabola, *Amens homo, nocte hâc ipsâ repetent à te animam tuam,* ἀπαιτοῦσιν, Luc.12.20. à nolente scilicet & repugnante. Differunt enim (teste *Casaubono*) ista duo; αἰτεῖν est poscere à volente, ἀπαιτεῖν à nolente. Ad Theophr. charact.c.11. Mortem, naturâ quidem duce, refugiunt & reformidant non mali solummodo sed & viri notissimæ probitatis. Ecquis miretur *Ludovicum* 11 Galiarum Regem, cùm ægrotaret, severo edicto prohibentem nè quis infra aulam suam aliquam omnino mortis mentionem faceret? Philip. Comin. aut Imperatoris *Adriani* soliloquium ad animam abiturientem, *Animula vagula, blandula, hospes coméſque corporis, quæ nunc*

 abibis

abibis in loca, pallidula rigida nudula, nec, ut soles, dabis joca?

In Aulide. aut illud *Iphigeniæ* dictum apud *Euripidem*

——— μαίνεται δ' ὅστις εὔχεται
Θανεῖν. κακῶς ζῆν κρεῖσσον, ἢ θανεῖν καλῶς.

Id est interprete. Grotio,
——— *Qui mori properat, furit.*
Molesta vita melior, quàm pulchrè mori.

Ecquis, inquam, ista miretur, si quando legerit *Ezechiam* ad nuncium mortis illachrymantem; & ipsum *Petrum* nolentem mori? prout Dominus prædixit, *quum senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & transferet quò noles.* Cl. vir *Abrahamus Scultetus* (qui ipse verba Pauli ad Philippenses ἐπιθυμίαν ἔχων εἰς τὸ ἀναλῦσαι sic exponit, *desiderium habens ad migrandum, vel revertendum*) videtur eos reprehendere qui verba Apostoli cum vulgato reddunt, *Cupio dissolvi*; hac præsertim ratione inductus, quoniam id quod primò & per se viri sancti cupiunt non est animæ à corpore separatio, quam horrent, sed reditus ad patriam cœlestem, quem exoptant. Atque hoc recenti quidem, pulchro tamen exemplo confirmatum nobis dat. Obiit Anno Domini 1619. *Simo Stenius* Græcæ linguæ per multos annos in *Academia Heidelbergensi* Professor, Is ante extremum agonem à verbi divini ministro rogatus, *Cuperetné dissolvi & esse cum Christo*, pene cum indignatione respondit, non esse hanc mentem Pauli nec significationem vocis ἀναλῦσαι; migrationem innui: apertè indicans se cogitationibus non de dissolutione corporis & animæ, sed de abitu ad Christum intus exhilarari.

Isaiæ 38. 1, 2.
Joh. 21. 18.
Exercit. Evangelic. l. 1. cap. 62.

§ VIII. Eam, quam diximus, hostilitatem nonnulli Theologi cùm tollere nequaquam possint, minuere conantur, ut suis hypothesibus inserviant, asserendo mortem corporalem pedissequam potiùs esse quàm hostem, vel (ut ipsorum verbis utar) *Sequelam naturæ, non pœnam peccati*; quo illam

illam titulo insignire solent orthodoxi. Agmen ducunt *Pelagiani*, nè peccatum originale cogerentur agnoscere; hoc enim concesso mortem esse pœnam peccati, sequeretur illam mortem, quæ infantibus obtingit antequàm actu prevaricati sunt, peccatum aliquod præsupponere, atque adeò dari originale. *Remonstrantes* uti solent, Pelagianorum prementes vestigia idem planè tradiderunt etsi non universi: nominatim Curcellæus; *Mors*, ait ille, *temporaria non habet originem à peccato, sed materiæ fragilis, è quâ homo est conditus, sequela est. Socinus*, denique, *Mors naturalis quatenus naturalis est & omnibus communis non est peccati stipendium, sed naturæ nostræ*, quam ipsemet, *Adamus in ipsâ creatione accepit, propria sequela. Peccati autem stipendium est moriendi necessitas, & mors æterna.* Fidem vestram, qui ista legitis! quam incongruè, nè dicam ineptè hoc quicquid est sententiæ effutiit magnus ille censor Theologorum, & ipsius (si populo placet) Theologiæ? Bene habet quod mortem æternam agnovit. Utinam hoc sine fraude! sunt qui anguem etiam in hac herba latere suspicantur. Bene quòd eam statuit peccati pœnam. Sed qualis interim est insania mortis æternitatem & necessitatem pro pœnâ censere, ipsam interim mortem è pœnarum censu excludere? Ac si quis perpetuitatem & jucunditatem cœlestis gloriæ inter præmia fidei numeraret, ipsam interim gloriam præmium esse pernegaret. Si quis autem interroget quid in causa sit cur ab isthac assertione tantopere abhorreant Sociniani, hoc sibi responsi habeat. stat eis sententia satisfactionem Christi pænalem, justitiæ Divinæ præstitam nullo modo concedere. Christum constat mortem subjisse, quòd si mors peccati pœna statuatur, & ipse Christus peccati expers, sequetur eum pro peccatis nostris mortuum esse atque adeò justitiæ satisfecisse.

De jure Dei c. 11. non procul à fine.
De servatore part. 3. c. 8.

Alia longè mens erat sacræ scripturæ, quæ mortem tradit è peccato fluxisse non occasionaliter tantùm & consecutivè sed causaliter & meritoriè secundùm illud (*Sicut per unum* Rom. 5. 12.

num hominem peccatum in mundum introiit, sic per peccatum mors: Atque ità in omnes homines mors pervasit. Alia veteris Ecclesiæ, non hujus aut illius particularis, sed Catholicæ

De civit. Dei lib. 13. cap. 15.

asserente Augustino. *Inter Christianos*, inquit, *qui veraciter Catholicam fidem tenent, constat ipsam corporis mortem non contigisse nobis lege naturæ, sed meritò inflictam esse peccati.* Dices, Christus à fidelibus non culpam solummodo, sed & pœnam abstulit, ergò mors non est pœna peccati: Respondeo, præter ea, quæ diximus suprà, non amotam esse à fidelibus mortem, sed à morte pœnalitatem. Neque enim fecit Christus ut mors non sit, sed ut non obsit. Ipse mortem pro suis patiendo satisfecit justitiæ Dei vindicativæ, atque adeò tulit abstulítque quicquid est in morte pœnæ propriè dictæ, quia quicquid vindictæ. *Bernardus*, pro mo-

Serm. in Cantic. 26.

re suo dulcissimè, *Jam non stimulus est, sed jubilus. Jam cantando moritur homo, & moriendo cantat. Usurparis ad lætitiam mater mæroris. Usurparis ad gloriam gloriæ inimica, usurparis ad introitum regni porta inferi, & fovea perditionis ad inventionem salutis.*

Cap. V.

Ubi quinam milites Spirituales, quænam eorum officia sint, & quisnam Imperator ostenditur.

Omnes baptizati conscribuntur in milites spirituales, Sect. 1. *Omnibus verbi ministris eadem competit nomenclatura; Exponitur locus,* 2 Cor. 10. v. 3, 4, 5. Sect. 2. *Militum nomen honorificum,* Sect. 3. *Eorum officia quinque recensentur. Verbis Pauli-*

nis

nis in 2 Tim. 2. 4. *lux infertur. Hoc agendi, morem gerendi, ordinémque servandi commendatio. Exercitia spiritualia diligenter præstanda & fortitudo spiritualis adhibenda*, Sect. 4, 5. *Admonitio parænetica ad Academicos*, Sect. 6. *Christus se* Josuæ *perquàm opportunè exhibuit ut principem militiæ Jehovæ*, Sect. 7. *Is est qui exercitui spirituali suppeditat Arma lucis & justitiæ*, Sect. 8. *Stipendia & commeatum*, Sect. 9. *Exemplum & Auxilium*, Sect. 10. *Parænesis ad Christianos sub tanto duce militantes*, Sect. 11.

§ I. Milites porrò spirituales, quibus adversùs hostes prædictos instruenda est acies, sunt præ aliis hominibus Christiani, præ aliis Christianis Ministri. Cautum erat apud *Romanos*, nè quis ad bellum priùs accederet, quàm juràsset omnia se strenue facturum, quæ præciperet Imperator, & nunquam deserturum militiam, neque mortem recusaturum pro Republicâ. Juramentum hoc sub augusto nomine *Sacramenti* venditabant. Idem vocabulum mutuata est Ecclesia, suóque Baptismo applicatum voluit; ut ostenderet omnes & singulos, qui sacro fonte abluti sunt, ipso facto conscribi in milites, quorum interest sub imperio sacrosanctæ Trinitatis, in cujus nomen baptizantur, quamdiu vixerint arma gerere: Ità ut nec immunes sint fœminæ, nec inhabiles pueri, nec senes emeriti. *Turpe senex Miles*, ait *Ovidius*; verum hîc turpe est seni non militare, non ipsam galeâ canitiem tegere. Imò quò senior, eò gratior qui sub Christo meret; ideóque *Mnasoni Cyprio* in Actis laudi vertitur quòd antiquus discipulus fuerit.

Vegetius lib. 2. cap. 5.

Καὶ παλαιοὶ περ ἐόντες ἀναγκαῖοι πολεμισταί. *Homer* Odyss. ω.

Act. 21. 16.

§ II. Licet etiam edicat Canonum, quos Apostolicos vocant, octuagesimus secundus, *Nè quis Episcopus, Presbyter*

aut

aut Diaconus militiæ vacet, Ista tamen, de quâ agitur, ejusmodi est ut ad illos præcipuè & præ aliis pertineat. Siquidem Paulus Archippum, quem in epistola ad Colossenses monitum vult, *Ut receptum in Domino ministerium impleret*,
Coloss. 4 17. suum alibi appellat *commilitonem*, Ἀρχίππῳ τῷ συστρατιώτῃ ἡμῶν.
Ad Philem. v. 2. Ad Timotheum primâ, Hoc, inquit, mandatum commendo
1 Tim. 1. 18. tibi, fili Timothee, ἵνα στρατεύῃ τὴν καλὴν στρατείαν. Ad eundem
2 Tim. 2. 3. secundâ sic eum hortatur, *Esto malorum tolerans, ut bonus miles Jesu Christi.* Ad Corinthios etiam verba faciens de
2 Cor. 10. 3. ministris Evangelii hæc habet, ἐν σαρκὶ περιπατοῦντες, οὐ κατὰ σάρκα στρατευόμεθα. Ambulabant quidem in carne, id est in corpore, prout solet vulgus hominum nisi quòd corpora circumferebant fortè paulò minùs valida, quàm quæ vulgò gestantur,
Melch. Adam utpote curis illis exhausta, de quibus Melancthon, *Tres sunt labores difficillimi, parturientium, regentium, & docentium.* Thesaurum habuerunt, sed in vasis testaceis, eísque minimè deauratis, quanquam intus gazâ turgentibus: Non autem militabant secundùm carnem, quia deerat illis apparatus politicus, typhus Imperatorius, strategemata bellica, & brachium quod vocant seculare. Quæ sequuntur ibidem verba non emphatica minùs sunt, quam ad rem nostrã accommo-
2 Cor. 10. 4, 5 da. Τὰ γὰρ ὅπλα τῆς στρατείας ἡμῶν οὐ σαρκικὰ ἀλλὰ δυνατὰ τῷ Θεῷ. Parum illis conveniunt arma manufacta, parùm eloquentia theatralis, pigmenta Rhetorum, ampullæ poeticæ, scholasticæ subtilitates, & id genus alia quæ carnem sapiunt, & Spiritum fortè *Ciceronis* sed non *Davidis*, acumen *Scoti* sed non *Pauli.* Quæ pastorem decent Evangelicum, alium longè Genium & indolem sibi vendicant, preces scilicet & lachrymæ, hortatus & minæ, præcepta & dogmata, conciones & scripta Deo plena, & per Deum efficacia πρὸς καθαίρεσιν ὀχυρωμάτων. Naturæ per lapsum depravatæ suæ sunt arces & munimenta, quæ corruunt cooperante Spiritu ad sonitum Evangelii, ut olim muri *Jerichuntis* ad clangorem tubarum. Sita sunt isthæc ὀχυρώματα partim in hominis intellectu irregenito, unde sequitur apud Apostolum λογισμοὺς καθαιροῦντες, quod de

de Græcorum ſyllogiſmis *Theophylactus*, *Haimo* de philoſophorum & dæmonum conſiliis interpretatur. *Beza* propiùs ad mentem Pauli de ratiocinationibus humani ingenii nondum renati. Siquidem ut egregiè Calvinus, *Quamdiu acquieſcimus in proprio ſenſu, & nobis ſapimus, procul abſumus ab omni ſenſu doctrinæ Chriſti.* (In loc.) Maleſana certè ratio, cùm naſuta ſit & dicax, in odium veritatis revelatæ nihil non comminiſcitur; in re præſertim Trinitatis, hypoſtaticæ unionis, & decretorum Dei. Unde *Melancthon*, *Dulceſcet noſtra de prædeſtinatione ſententia, ubi impia rationis judicium Spiritus Dei ſtultificaverit.* (Citat. à Thyſio in præfatione ad explic. doctrinæ de electione &c.) Partim verò ſita ſunt in voluntate, cujus ea eſt ſuperbia donec per gratiam renovetur, ut velit cum Deo de primatu contendere, proin addit Apoſtolus καὶ πᾶν ὕψωμα ἐπαιρόμενον κατὰ τῆς γνώσεως τοῦ Θεοῦ. Salutari quippè cognitioni nil magìs obeſt quàm faſtus ille naturalis; Præclarè Bernardus, *Superbo oculo veritas non videtur, ſincero patet.* (Serm. 62. in Cantic.) Miniſtris igitur Evangelicis id negotii datum eſt ut armis ſuis arces haſce munitiſſimas, & minantes cœlo turres adoriantur. Quòd ſi illis Dominus potentiam indiderit, ut δυνατὰ ſint τῷ Θεῷ, eò res redibit ut miſelli prædicatores evadant victores nobiliſſimi, αἰχμαλωτίζοντες πᾶν νόημα εἰς τὴν ὑπακοὴν τοῦ Χριστοῦ, prout hìc concludit Paulus. Enimvero ſubactâ jam mente, & ſublato per Dei gratiā peccati dominio, quæ ſuperſunt notiones Chriſto ſe libenter dedunt in ſervitutem, atq; adeò vinci gaudent, ut præ illâ captivitate libertatis, ſi qua fuit, priſtinæ dulcedo ſordeat.

§ III. Videtis, fratres, quænam noſtra vocatio ſit. Milites ſumus univerſi, nec eſt cur nos illius tituli pudeat vel pigeat. Ipſa enim Eccleſia habet ſe *ut acies caſtrorum ordinata.* (Cantic. 6. 7.) Ipſi angeli audiunt πλῆθος στρατιᾶς οὐρανίου, (Luc. 2. 13.) Imò ipſe Jehova *vir belli* dicitur. (Exod. 15. 3.) Oratorum ille princips, à quo ſatis pro imperio juſſa ſunt arma togæ cedere, in eà tamen quam habuit oratione pro Murænâ, *Omnes*, ait, *urbanæ res, omnia præclara noſtra ſtudia, & hæc forenſis laus & induſtria latent in tutelâ ac præſidio bellicæ virtutis.* Pariter & in jure Civili Theodoſius, *Militum ordine maximè communitur univerſa Reſpublica.* (Novell. 31.)

publica. Quidni perinde dicatur à nobis de eâ, quam tractamus, militiâ? Cùm universæ vel genti, vel urbi, nè dicam Orbi, præsidio sint qui illic degunt veri nominis Christiani. Aquæ diluvium mortem *Mathusalæ*, profluvium ignis exitum *Lothi* præstolabatur. Nequiit *Hippo* devastari ante obitum *Augustini*, uti nec ante obitum *Parei Heidelberga*. Certè piis & eruditis Evangelii prædicatoribus quotquot sunt, acclamari meritò potest ut olim Eliæ & Elisæo, *Pater mi, Pater mi, currus & equites Israelis*. Piis, inquam, & eruditis Evangelii prædicatoribus: neque enim convenit præcoci cuivis adolescentulo (utut se militem profitenti, licet eum nemo conscripserit) tantæ molis character; nec dum ità delirat Israel, ut agnoscat pro patribus pueros, pro curribus eos qui omni aurigâ, pro equitibus, qui omni fræno destituuntur.

§ IV. Pergo jam ad officia militum spiritualium; quorum primaria (si ad normam civilium exigantur, ut exigi debent ad continuandam allegoriam) ista sunt, hoc agere, Imperatori morem gerere, in acie ordinem servare, extra pugnam militaribus exercitiis vacare, & in pugnâ fortiter dimicare.

1°. *Hoc agere*. Qui totus est in rebus Martiis, alia spectat tanquam aliena; neque enim, verbi gratiâ, mercaturam simul & militiam, artem institoriam & stratioticam fæliciter exercere poterit. *Nemo qui militat implicatur hujus vitæ negotiis, ut ei placeat à quo delectus est miles*. Sic Apostolus. Dici solet à scriptoribus Latinis *Expeditio bellica*. Meritò autem Expeditionem nominavere majores, quia mens devota præliis non debet aliis cogitationibus occupari. Sic in Epistolis *Cassiodorus*. Esto licitum Christiano secularibus *occupari* negotiis; erit tamen eisdem *implicari* periculosum, penè dixeram exitiale. vox ἐμπλέκεται apud Paulum laqueum sonat, & *amor rerum terrenarum*, monente Augustino, *fit viscus spiritualium pennarum*. Sicut flumina, dum in oceanum, è quo orta sunt, relabuntur, attingunt quidem oras & litora,

2 Tim. 2. 4.

Lib. 1. Epist. 17.

litora, ſed eis nequaquam immorantur; ſic & animabus noſtris in ſuo ad cœlum & Deum reditu Terra leviter fortè tangenda, ſed ſtatim prætereunda eſt. Caveat imprimis verbi miniſter nè mundanis hiſce laqueis ſe conſtringat. Enimvero lumen ſuum, qui otiatur, ſub lecto abſcondit, ſub modio, qui negotiatur, & ſúſque déque habet præ mundo miniſterium. Salſè *Hieronymus* ad Nepotianum. *Negotiatorem clericum quaſi quandam peſtem fuge.* Quid quòd miniſter in foro, præcipuè ſi aſſiduus ſit, perinde ſe habet ut mercator in templo? Uterque Chriſto flagellandus.

2°. *Imperatori morem gerere.* Prima militis laus parere. Pro ignavo habetur quiſquis *Imperatoris juſſa interpretari mavult quàm exequi.* *Æmilius Paulus* apud *Livium* militem dixit hæc tria curare debere, corpus ut quàm validiſſimum habeat & perniciſſimum, Arma apta, animum paratum ad ſubita imperia: Cætera Diis immortalibus & Imperatori curæ eſſe. De ſuis Evangelicus Centurio, *Dico huic, proficiſcere, & proficiſcitur; alteri veni, & venit; ſervo meo fac hoc, & facit.* Pariter & nobis Chriſto duci obtemperandum. Illum enim penes imperium, penes nos obſequium eſt. *Mallem obedire*, ſic olim Lutherus, *quàm miracula facere.* Bellè dictum, ſi intelligatur de obedientiâ Chriſto præſtandâ; quam ideo doctor idem incomparabilis *fidem incarnatam* appellare ſolitus eſt. Siquidem ut inviſibilis Deus factus eſt in carne manifeſtus, ita latens in corde fides per obedientiam prodit ſe, & in aprico conſtituitur. Ex eo laudibus inſigniuntur *Alexandri* milites apud Curtium, *quòd intenti fuerint ad ducis non ſignum modò, ſed & nutum.* Nos Chriſti ſignum in verbo conſpicimus, nutum in afflatu Spiritûs, utrique parendum eſt alacriter.

Tacit. hiſtor. l. 2.

Mat. 8. 9.

Scult. Annal. decad. 1. p.

Lib. 3.

§ V. 3°. *In acie ordinem ſervare.* Ordinem, inquam, quo ſublato mundus in chaos, exércitus in turbam verteretur. *Pulchra es, amica mea,* ait ſponſus in Cantico Canticorum, *ſuavis & decora ſicut Jeruſalem, terribilis ut caſtrorum acies ordinata*: Scilicet acies niſi fuerit ordinata nunquam

Cantic. 6. 7. τεταγμένη ἡ στρατιὰ κάλλιστον μὲν ἰδεῖν τοῖς φίλοις, δυσχερέστατον δὲ τοῖς πολεμίοις. *Xenoph.* in Oecon. Coloss. 2. 5.

futura est terribilis. Bene *Xenophon*, Ordinatus exercitus amicis aspectu jucundissimus est, hostibus molestissimus: Non minor in spirituali militiâ servandi ordinis necessitas est. Unde Paulus ad Colossenses, gaudii sui materiam prædicat illius Ecclesiæ non solùm πίστιν sed & τάξιν, *ordinem*, unà cum *fide* commemorans. Contra, diabolo, cui lethalis olim erat suæ stationis derelictio, nihil magìs curæ aut cordi est, quàm ut inter homines Ordo violetur. Quia sicut in corpore naturali sua singulis humoribus parantur vasa, extra quæ, si fortè profluant, morbus illico sequitur; sanguini venæ, flavæ bili vesica fellis assignatur, sin autem sanguis extra venas emanet, fit Apostema; si bilis extra fellis vesiculam, generatur Icterus: Sic in statu politico & Ecclesiastico, quoties proprii quisque muneris negligens invadit alienum, toties morbidæ fiunt Ecclesiæ atque Respublicæ, & tantùm non morti proximæ. Hoc illud est quod Apostolus vocat

2 Thessal. 3.

ἀτάκτως περιπατεῖν *inordinatè ambulare*; neque hoc solùm, sed & aliter se, multò aliter gerere quàm officii sui ratio postulat. Dicam breviter, *pessima creaturarum visibilium est homo degener, pessimus hominum pseudo Christianus, Christianorum verò pessimus nequam verbi Minister.*

De lin. lat. l. 4

4°. *Extra pugnam militaribus exercitiis vacare.* Inde dictus est exercitus, si *Varroni* credendum sit, quòd melior fit exercitando. Hunc etiam in finem adhibiti sunt à veteri-

Lips. politic. l. 5. c. 13.

bus, quos Romani *Campidoctores*, Græci ὁπλοδιδάκτας vocant, ut tirones condocefacerent arma tractare, missilia torquere, castra munire, fossam ducere, sudes figere, solem pulveremq; ferre, inter se ad modum justæ pugnæ concurrerere, & quæcunq; evenire in acie atque præliis possunt in campestri meditatione prænoscere. Sunt & nobis exercitia quotidiana, quibus in pace vel profundissimâ opus erit & usus longè maximus. Princeps Ascetarum Paulus ἐν τούτῳ δὲ αὐτὸς ἀσκῶ,

Actor. 24. 16.

in hoc, inquit, *me exerceo, nimirum ad habendam omni tempore conscientiam* ἀπρόσκοπον *apud Deum & apud Homines.* Otium *Seneca, vivi hominis sepulturam* nominavit; ego desidi-

am

am nullus vereor appellare *Christiani Barathrum*; à quâ Paulum abhorruisse tanquam à Tartaro, patet ex illo negotiorum suorum compendio, *Gratiâ Dei sum quod sum, & quæ in me collata est gratia non fuit inanis; sed abundantiùs* (sive ampliùs) *laboravi quàm illi omnes: non ego tamen sed gratia Dei quæ mecum est.* Non ampliùs ditatus sum, sed ampliùs laboravi. Non nactus sum pinguius beneficium, largius salarium, abundantius prædium; sed abundantiùs laboravi. Euge Apostole! Deus te coronet ampliùs & ampliùs (si beatis spiritibus bene precari fas sit) nos autem O si exemplo tuo discere poteramus omnes unicum hoc *Laborare*! — 1 Cor.15.10.

5°. Denique, *In pugnâ fortiter dimicare.* Joabus prælium initurus, *Agamus*, inquit, *viriliter pro populo nostro, & pro urbibus Dei nostri.* Et ad præfectos militares Ezechias, *Confirmamini & fortes estote, nolite timere neque consternamini metu.* Pari fere verborum apparatu Christianos allocutus est Apostolus; *Vigilate, perstate in fide*, ἀνδρίζεσθε, κραταιοῦσθε, *viriliter agite, fortes estote.* Milites suos *Cornificius* eò quòd timidiores essent, *galeatos lepores* vocitabat. *Justi* autem, teste Solomone, *Sunt ut Leunculus qui confidit.* Opus est illis leoninâ fortitudine, quibus cum leone tartareo rugiente conserendæ sunt manus. — 1 Chron.19.13. — 2 Chron.32.7. — 1 Cor.16.13. — Prov.28.1.

Quocirca monitum Apostolicum Ἀγωνίζου τὸν καλὸν ἀγῶνα τῆς πίστεως, opus est ut paulò altiùs imbibamus singuli. In bellis suis tubâ olim utebantur *Hetrusci*, *Arcades* fistulâ, *Cretenses* lyrâ, *Lacædemonii* tibiâ, cornu *Thraces*, tympano *Ægyptii* & *Arabes* cymbalo, quó pugnandi ardor excitaretur. Christianis & ministris dictum illud breve sed θεόπνευστον, omni tubâ tympanóque potentius sit ad accendendam fortitudinem; *Certa bonum certamen fidei.* — 1 Tim.6.12.

§ VI. Utinam verò spiritus ille, quem hactenus conati sumus delineare, in nobis omnibus resideret! Danda quidem est opera quoad ea, quæ diximus, universa, ut bene militemus. Quotusquisque tamen est hominum? Quotusquisque

quisque, proh dolor! Academicorum, qui sedulò dat? Si genio strenuè indulgere aut solis opibus accumulandis inhiare sit, *Hoc agere*; Si comam alere, aulicéque vestiri sit *Imperatori morem gerere*; si priùs docere quàm didiceris, & mox è Sophistis in Evangelistas assurgere sit *In acie ordinem servare*; si progymnasmata literaria tum intra Collegiorum parietes, tum in Templo Academico & scholis publicis insuper habere sit *Extra pugnam militaribus exercitiis vacare*; si philosophorum cuniculis rem Theologicam solicitare; scripturis interim intelligendis minus olei operæque impendere sit *In pugnâ fortiter dimicare*: næ tantus ubique, bonorum militum numerus est, quantus muscarum cùm calet maximè.

Sin autem ignavorum sint, maléque feriatorum ista, quæ memoravimus, & eis similía, prout sunt; excutiamus, commilitones, per amorem Dei, per Christi viscera torporem omnem excutiamus; & nos ad bene militandum bonitas causæ tandem aliquando provocet: Enimvero nobis causa est, siqua alia, longè optima, justissimáque. Satana siquidem procurante tum nostras ipsorum animas, tnm eorum mentes, qui nobiscum fœdere conjuncti sunt, invadunt quotidie hinc errores, illinc vitia. Postulat itáque partim nostra, partim aliena defensio, ut bellum quotidie, non dico meditemur sed, ineamus. Classicum canit sacra pagina. Vestrûm est O campidoctores (præfectos intelligo Collegiorum, & Tutores) sub quorum auspiciis, uti loquitur Silius, Lib. 1.

Pubescit miles castris, galeâque teruntur
Nondum signatæ flavâ lanugine malæ,

Chara parentum suorum pignora, juvenes curæ vestræ commissos ad hanc militiam spiritualem quà præceptis quà exemplis formare: ut ingenia, quæ recepistis marmorea, relinquatis argentea; quæ argentea, remittatis aurea; & si quæ vobis

vobis aurea contigerint, ut ea reddatis verè gemmea. Nos progressum ulteriorem meditamur.

§ VII. Beatissimus Dominus noster Jesus Christus, qui in Actis Apostolorum Ἀρχηγὸς καὶ σωτὴρ audit, & in Epistola ad Hebræos Ἀρχηγὸς τῆς σωτηρίας, habendus est pro duce primario in eâ, quam describimus, militiâ: id enim propriè sibi vult ista vox ἀρχηγός. Ipse verò cùm solitus fuerit incarnationi suæ præludere, & tempore perquàm opportuno servis adesse, talem se *Josua* patefecit in ipso rerum gerendarum initio sub specie visibili. Idem ille Dei filius, qui priùs in ardenti rubo, sed tamen incolumi apparuerat, ut se custode populum Israeliticum, ad cujus gubernacula tunc admotus erat *Moses*, in mediis calamitatum flammis superfuturum innueret, Postea visus est à *Josua*, tunc temporis ad clavum collocato & inter medios hostes versante, in specie viri fortissimi strictum gladium vibrantis. Interrogatus autem ab illo, utrùm noster es an hostium nostrorum? statim respondit, *Ego sum princeps militiæ Jehovæ*, Et meritò quidem titulum hunc, quo vix ullus augustior, sibi vendicavit; quoniam Ecclesiæ ea semper præstitit omnia, & semper præstiturus est, quæ bonus Imperator exercitui. Arma scilicet, & stipendia, commeatum, exemplum, & auxilium.

Act. 5. 31.
Heb. 2. 10.
Josuæ 5. 12, 13.

§ VIII. Primò *Arma*. Pro imbelli siquidem habetur inermis; & cùm præliandum est, *Ad arma* conclamatur illicò. quæ Christus suppeditat, duplici in sacris literis charactere insigniuntur. *Arma lucis* vocantur, id est, lucidissima (capite ad Romanos decimo tertio) factâ, ni fallor, alusione ad consuetudinem eorundem Romanorum, apud quos in more positum erat milites suos armis fulgentibus exornatos in aciem emittere; Unde Juvenalis, *Argenti quod erat solis fulgebat in armis*. Suetonius de Julio Cæsare, *Milites habebat tam cultos ut argento & auro politis armis ornaret, simul & ad speciem, & quò tenaciores eorum in prælio essent metu damni*. Spectabat etiam huc *Onosandri* monitum,

Rom. 13. 12.
Cap. 65.

Strategic. c. 28. monitum, *videat imperator ut exercitus armis splendentibus instructus fulgeat: milites enim quasi micantibus armorum scintillis terribiliores apparent.* Sed tenebrescit iste fulgor præ illâ luce, quâ radiant Arma spiritualia, luce scilicet cognitionis, pietatis & lætitiæ. 2 Cor. 6. 7. Audiunt alibi *Arma justitiæ.* Quo nomine continetur illustre discrimen inter hæc nostra & arma secularia, quibus injustitiæ plerumque litatur; Lucan. pharf. l. 1. *Jus-que datum sceleri.* prout ille queritur. Notum est illud *Antigoni* hominem seriò irridentis, qui sibi urbes alienas oppugnanti commentarium de justitiâ offerebat; necnon Vid. *Grotium* de bello & pace in proleg. illud *Marii, negantis præ armorum strepitu leges à se posse audiri,* quin & illud *Pompeii, Egonè armatus leges ut cogitem?* Rem acu tetigit Horatius, cùm ferociam *Achillis* ità descripsit;

Jura negat sibi nata, nihil non arrogat armis.

§ IX. Secundò, *Stipendia.* Duo sunt bellorum nervi, ferrum & aurum. E priori fiunt arma, è posteriori solvuntur stipendia. Boni ducis est efficere, si quà possit, nè subtrahantur: 1 Cor. 9. 7. Enimverò *Quis unquam militat propriis stipendiis?* ait Apostolus; vel hoc argumento deberi asserens ministris Evangelii mercedem honestam; adeò ut nihil iniquius sit, quàm ut milites dum stipendiis sibi debitis perfruuntur, sua verbi ministris salaria vel invideant vel deberi negent. 1 Cor. 9. 14. Non sic Imperator Christus, qui *speciali lege constituit,* ὁ κύριος διέταξε, *iis qui Evangelium annunciant ut ex Evangelio vivant.* Quòd si insuper habita sit ab hominibus (uti proh pudor! cæpta est ab aliquibus haberi) constitutio divina, non tamen deerunt Christi militibus sua stipendia. Erit enim, ô homo Dei, quisquis es, licet ab hominibus mundi tracteris pessimè, modo tu revera sis, homo Dei, Job. 22. 25. *Erit omnipotens lectissimum aurum tuum, & argentum viréſq; tibi,* prout redduntur verba *Eliphazi* in versione Junio-Tremellianâ.

Tertiò

Tertiò, *Commeatum* bonus dux suppeditabit; neque enim disciplinam servare potest jejunus exercitus, ait *Caßiodorus*, & attestatur experientia. Scitè *Caspar* ille *Collignius* in laniena Parisiensi trucidatus, verba faciens de exercitu: *Si quis*, inquit, *belluam hanc formare voluerit, ordiendum est à ventre*; ut annonam inprimis necessariam innueret. Hæc adeò curæ est Duci nostro, ut Spiritu suo nos nutrire, & verbo pascere; imò nè quis in ipsius castris inediâ laboret, sanguinem nobis suum in potum, & carnem in cibum exhibere non dedignetur. Cujus rei testimonium extat liquidissimum apud Evangelistam; *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Variarum 4. c.13. Joh.6.55,56.

§ X. Quartò *Exemplum*. Exercitui strenuus Imperator non dictis modò sed & factis præibit. Solebat *Cæsarum* nescio quis, ni fallor, *Julius*, cùm ardui quid erat tentandum, ità suos affari, *Non ite Milites, sed eamus Commilitones.* De Catone Lucanus, Lib.9.

Ipse manu sua pila gerens præcedit anheli
Militis ora pedes; monstrat tolerare laborem,
Non jubet ———

Dixit ad suos Abimelechus in libro Judicum, *Quod vidistis me facere, citò facite.* Quid autem Christus? Ipsum audiamus. *Exemplum præbui, ut prout ego feci vobis, ità & vos faciatis.* Audiamus de ipso Petrum, *Christus pro nobis passus est, relinquens exemplar, ut subsequamini vestigia ipsius.* Utrique concinit Augustinus, *Verbi verba sunt nobis documenta, verbi facta sunt nobis exempla.* Alibi verò, *Tota Christi vita morum disciplina fuit.* Leo pariter, *Frustrà appellamur Christiani, si imitatores non simus Christi; qui ideo se viam dixit esse, ut conversatio magistri esset forma Discipuli, & illam humilitatem eligeret servus, quam sectatus est Dominus.* Judic.9.48. Joh.13.15. 1 Pet.2.21. De vera Relig.c.16. Serm.de nativitate Dei.

Quintò *Auxilium.* Succurrere militi vel gregario peri-
Dio Cassius. clitanti verè Imperatorium est. *Trajanum* ferunt suorum vulneribus medicam manum adhibuisse; & cùm fasciæ deficerent, nec suæ quidem vesti pepercisse, sed eam totam in ligamenta & fomenta discidisse. Docent nos sacræ literæ Christum Dominum, non dico vestem, sed carnem propriam lacerandam præbuisse, *ut per ejus vulnera sanaremur.* Laborantibus autem Christianis, & Ministris præstò semper est ad ferendas per Spiritum Sanctum, quibus opus est, sup-
Philip. 4. 13. petias: unde Paulus ad Philippenses, *Omnia possum per eum, qui me corroborat, nempe Christum.* Non tamen absolutè omnia, neque enim potuit mundum condere; sed cùm dicit omnia, intelligit duntaxat ea quæ suæ vocationis sunt, observante *Calvino.* Nolo jam singulis immorari. Sat erit ad summa rerum capita digitum intendere. Legendum est?
Lucæ ult. 14. 45. Discipulis *Christus aperuit mentem ut intelligerent Scripturas.* Bibliorum janitorem agnoscimus Christi Spiritum. Illo non intromittente datum est nemini sacra hæc adyta penetrare. Orandum est? Audiatur Apostolus ad Romanos,
Rom. 8. 26. *Spiritus unà sublevat infirmitates nostras: Quid enim oremus ut oportet non novimus, sed ipse spiritus intercedit pro nobis suspiriis ineffabilibus.* Præclarè Augustinus in confessio-
Lib. 10. c. 2. nibus, *Nihil à me audis, Domine, quod non mihi Tu priùs dixeris.* Concionandum est? Si qua sit in verbis nostris
Galat. 2. 8. efficacia, debetur Christo. Sic enim Paulus, *Qui efficax fuit per Petrum ad Apostolatum circumcisionis, efficax etiam fuerat per me apud gentes.* Audiendum est denique? Dicitur Dominus *aperuisse cor Lydiæ, ut attenderet eis quæ dice-
Actor. 16. 14. bantur à Paulo.* Et de Spiritu Christi verba faciens *Nazi-
In Apologet. anzenus*, ᾧ μόνῳ inquit, Θεὸς καὶ νοεῖται καὶ ἑρμηνεύεται καὶ ἀκούεται, *per quem solum Deus & intelligitur, & exponitur, & auditur.*

§ XI. Hæc cum ità se habeant, nil profectò miri est, quòd apud apud veteres Spiritualium Tacticorum observantissimos, quando quis ad Baptismum adultus accederet, post-

postquam hisce verbis exire se Diaboli castris innuisset, Ἀποτάσσομαί σοι Σατανᾶ, confestim dicere solitus sit, Συντάσσομαί σοι Χριστέ, id est, si ad normam militarem exigatur, *Tuis Christe, militibus me adjungo, & in acie locum capesso, strenuè per tuam gratiam sub tuis vexillis bellaturus.*

Agamus itaque confidenter, viri fratres, quæ nostrarum partium sunt, sub auspiciis tanti Ducis, ut ut ardua fuerint, & naturæ impervia. *Nil desperandum Christo duce*; sed & nil sperandum est ubi non ducit Christus. Si enim *turba* Lib. 10.
militaris sine duce corpus sit sine Spiritu, ut est apud Curtium, quàm misera est & deploranda illorum hominum conditio, quibus Paulina descriptio competit, χωρὶς Χριστοῦ, ἐλπίδα μὴ ἔχοντες, Ephes. 2. 12.
καὶ ἄθεοι ἐν κόσμῳ! Absque Christo quisquis est, eundem & absq; Deo esse, & absque spe locus indicat. Nobis autem sperandi materia nunquam defutura est quamdiu Christus audiri mereatur (uti meritus est & merebitur in æternum) *Salutis nostræ princeps & Dux.* Heb. 2. 10.
Imperator Atheniensium *Chabrias* magìs timendum esse dicebat Cervorum exercitum cui leo Dux præfuit, quàm leonum, qui ducem habebat Cervum. Nostro præficitur exercitui ipse *Leo de tribu Juda*, cujus intuitu qui potest non corroborari, næ ille parùm fidelis est. *Antigonus* olim trepidanti gubernatori & *Plutarch.* in
multitudinem navium hostilium causanti Ἐμὲ δ' ἔστη, αὐτὸν παρόντα πρὸς πόσας ἀντιτάττεις; Apophthegm.
me veró ipsum, inquit, *præsentem cum quot comparas?* Certè nec myriades hominum, nec ipsæ dæmonum legiones, si cum Ducis nostri virtute comparentur, tanti sunt, ut esse debeant eis formidabiles, quibus meritò pluris est unus Christus, quàm universæ Creaturæ.

Cap. VI.

Demonstrans panopliæ necessitatem, & artes diaboli patefaciens.

Locum ad Ephesios, 6. 11. *& sequentes versiculos author aggreditur. Armatura Dei dici potest ob rationem triplicem. Jacob.*1.17. *Lux infertur*, Sect. 1. *Cur induenda sit* πανοπλία. *Catena virtutum spiritualium*, 2 *Pet.* 1. 5, 6, 7. *Integra nostra armatura Christus est*, Sect. 2. *Satanæ ut sophistæ competunt fallaciæ logicæ, ut principi doli politici, ut bellatori strategemata. Potentiæ & nequitiæ in illo nexus*, Sect. 3. *Utitur fallaciâ non causæ pro causa, quando Deum esse suggerit authorem peccati. Scriptura & natura suadent contrarium, quòd etiam parabolâ quâdam historicâ illustratur*, Sect. 4. *Se dolosè accommodat ad cujusvis indolem & statum.* Corinthii incestuosi & Johannis Knoxi *tentationes contrariæ*, Sect. 5. *Loca priùs sacra eligere solitus est diabolus ad cultum suum, Hoseæ* 9. 15. *& ejusdem*, 4. 15. *illustratio.* Hieronymi *testimonium illustre*, Sect. 6. *Amicitiæ simulator Satanas.* Theurgia *& Alba magica quàm perniciosæ. Testimonium ipsius* C. Agrippæ, Sect. 7. *Verbi gladio & orationis hastâ privare nos studet Adversarius. Episcoporum quorundam* Gallico-

rum

rum *facinus.* *Act.*16. 16,17 *perpenditur*, Sect. 8. *Dissidiorum seminator diabolus*, 2 Cor. 11,3 *pensitatur.* Andreæ Riveti & Samuelis Sorberii *dicta egregia*, Sect. 9. Μεθοδεία *tribuitur Satanæ, quoniam methodicè à minori àd majus solet progredi. Exemplum* Alipii. *Insignioribus Dei servis fortiùs se opponit diabolus.* Athanasii, Bernardi, Lutheri, *experimenta*, Sect.10. *Satanam Dei simiam esse multis modis ostenditur, qui ad sex capita reducuntur.*

§ I. EXtat insigne Pauli monitum capite ad Ephesios sexto, cui illustrando (utpote rem, quæ præ manibus est, intimè spectanti) operam & oleum lubens impendam: *Induite universam armaturam Dei ut possitis stare adversùs artes diaboli.* Ut ut onerosa sit aliis armorum gestatio, militem generosum imprimis juvat. De Romanis Cicero, *Scutum*, inquit, *galeam & gladium nostri milites in onere non plùs numerant, quàm humeros, lacertos, manus.* Solebant autem scriptores Ethnici, præsertim poetæ, milites primarios à numinibus suis armis instructos ad prælium emittere; ut Æneam *Virgilius*, & Achillem *Homerus.* *Perseum* fingunt adversùs *Medusam* pugnaturum, arma ac dona à tribus diis mutuò accepisse; alas scilicet à *Mercurio*, à *Plutone* galeam, scutum à *Pallade* unà cum speculo. Illa similiter, quam induendam monet Apostolus, *Armatura Dei* nominatur: vel quia per Hebraismum Dei esse dicuntur quæcunque præcellunt in suo genere. Sic Abrahamus *Princeps Dei* audit, id est, illustrissimus: & flamma, quæ descendit è cœlis armenta *Jobi* prædatura, *Ignis Dei*, id est vehementissimus. In Psalmis etiam mentio fit *montium*, *Rivi*, *Cedrorum Dei*, quæ omnia præstantiam singularem indigitant. Vel quoniam

Tusculan. secund.

Genes. 23.6.

Job. 1.16.

Psalm. 36.7. 65.10. 80.11.

eadem arma complectitur, quæ sibi Dominus ad militiam in carne obeundam præparavit. Nam ut *Davidi* ad duellum exituro *Saulus Rex* arma sua commodare voluit; ità suis nos Christus induit. Illi siquidem tribuuntur ipsissima saltem ex parte apud prophetam, quæ hîc Christianis apud Apostolum. Locum appello disertissimum, *Indutus est justi-*
Isai. 59 17. *tiâ ut loricâ & galeâ salutis in capite ejus.* Vel ex eo denique quòd è donis Spiritûs Sancti salutaribus veritate nimirum, justitiâ, fide, & reliquis tota conflectur; quæ quidem omnia, ut Jacobi verbis utar, *Supernè sunt, & descendunt à Patre lu-*
Jacob. 1. 17. *minum.* Nobiscum itaque non nascuntur, sed desuper adveniunt; nec cadunt ex improviso, sed descendunt ordinatè: neutiquàm tamen in sensu Pontificio, cujus meminit *Lorinus* in locum, ac si omnis gratia quæ in hoc seculo communicatur, triplicem haberet processum, & à Deo in Christum, à Christo in B. Virginem, à virgine in nos ordinatissimè dispensaretur: sed in orthodoxo, (ut innueretur Deum ordinariè dona sua paulatim largiri & per media) quem exhibuit *Laurentius.*

§ II. Memores interim simus oportet, Armaturam hanc Dei, ut verè panoplia sit, non ex hac solùm aut illâ parte, sed totam induendam esse. Quemadmodum enim requiritur ut miles Christianus perdius & pernox in armis stet, quia nunquam non impugnatur: ità, quoniam nulla competit illi facultas quæ non obsidetur ab adversariis, necessarium est ut undiquaque etiam armetur; nè siquâ parte nudus sit, in & per illam lethali plaga feriatur: sicut de *Achille* fabulantur mythologi, quem mater *Thetis* in fontem immersit, cujus ea virtus fuisse perhibetur ut invulnerabilem redderet; ità tamen ut calcaneus, quo inter lavandum tenebatur, utpote qui minimè tinctus erat aquis, capax vulnerum permanserit. Eum *Paris* in illâ calce sagittâ percussum & sauciatum occidisse fertur. Omnino quidem inermis est, qui non induit omnem hanc armaturam: de quâ verè dicitur ἢ ὅλως, ἢ μὴ ὅλως. Ratio est quia virtutes Theologicæ, &

& dona Spiritûs salutifera, quæ panopliam hanc conficiunt, adeò connectuntur invicem, ut nullius fructum percipiat quisquis aliquo destituitur. Unde fit ut apud Paulum in tribus versiculis quinquies occurrat vox illa syncategorematica *Omnis. Non desinimus pro vobis orare ut impleamini agnitione voluntatis ejus cum omni sapientia; ut ambuletis sicut Domino convenit, cui per omnia placeatis, omnis operis boni fructum proferentes; omni potentiâ potentes facti, ad omnem tolerantiam*, &c. Coloss. 1. 9, 10, 11.

Quocirca militi Christiano summopere curanda est, & quasi pro monili gestanda catena illa, quam Petrus formavit, Apostolica. *Adjicite fidei vestræ virtutem, virtuti verò cognitionem, cognitioni temperantiam, temperantiæ tolerantiam, tolerantiæ pietatem, pietati philadelphiam, philadelphiæ charitatem.* 2 Pet. 1. 5, 6, 7 Primas obtineat, sine qua Deo placeri nequit, & cui jure debetur primatus, *fides*; quæ tamen ipsa sine operibus mortua est. Quamobrem nè inefficax sit, adjicite fidei virtutem; per quam intelligimus cum *Martinio*, vim illam qua quod decet agimus, quod dedecet fugimus; & amplectimur illud Augustini, *Ars ipsa benè rectéque vivendi virtus à veteribus definita est.* Illi addenda est *cognitio*, nè verbum Dei ignoretur, ad cujus normam exigenda virtutum praxis, quæ idcircò dicitur, λογικὴ λατρεία, id est, uti ego quidem existimo, *Cultus verbi*, ut apud Petrum λογικὸν γάλα Lac verbi redditur: Cognitioni *temperantia*, quæ præsentis mundi bonis uti nos docet moderatè: Temperantiæ *patientia*, quæ ejusdem mala magno animo ferre. Neque tamen sufficiunt temperantia & patientia qualescunque, Stoicæ scilicet aut Monasticæ, è principiis philosophicis vel Antichristianis, non è spiritualibus & divinis oriundæ; ideoque prioribus adjungenda est *pietas*, quæ Deum respicit; pietati verò *philadelphia*, quæ versatur circa homines, sed bonos tantum quà fratres: Illi *charitas*, quæ fertur etiam in malos & inimicos, quà homines sunt. Totam Dei armaturam induisse dicendus est, quisquis hisce Dei donis totus armatur: vel

Lexic. philolog. De civit. Dei l. 4 cap. 21. Rom. 12. 1. 1 Pet. 2. 2.

vel ut breviùs dicam, quiſquis verè Chriſtum induit, qui ſolus vitale principium eſt gratiarum omnium. Unde Paulus poſtquam dixerat ἐνδυσώμεθα τὰ ὅπλα τοῦ φωτός, mox ſubjungit ἐνδύσασθε τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστόν, fortè per modum exegeſeos, ut innueret unicum Chriſtum integram eſſe panopliam.

Rom. 13. 12, 13.

§ III. Si quis autem interroget, ad quem finem induenda eſt tota hæc, quam indigitavimus, armatura? Reſpondet Apoſtolus, *ut poſsitis ſtare adverſùs artes diaboli.* Harum artium tres aſſignari poſſunt claſſes, Fallaciæ logicæ, doli politici, ſtrategemata bellica; juxta triplicem notionem quam ſubire ſolet diabolus, unam ſophiſtæ, principis alteram, tertiam verò bellatoris. Sophiſta eſt omnium ſubtiliſſimus & antiquiſſimus, utpote qui protoplaſtos fefellit in ipſo integritatis ſtatu; & auſus eſt inſuper, teſte *Juda* adverſùs *Michaelem Archangelum* diſputare. Quod ſi vetus Eccleſia Chriſtiana argumentis *Auguſtini* nondum renati, & in hæreticorum luto volutantis toties laceſſita, ſic precari ſolita ſit, *Ab Auguſtini logica libera nos Domine*; facile erit de ſophiſtica Satanæ conjectari, quàm ſit impendiò magìs pernicioſa. Audit porrò *Princeps mundi*, cujus dominium uſurpavit per ſummum nefas. De Pontifice Romano *Bonifacio* illius nominis octavo vulgò dicitur, *Intravit ut vulpes, regnavit ut Leo, mortuus eſt ut canis.* Diabolo meritiſſimè convenit hoc dicterium, *Intravit ut Serpens, regnavit ut Draco.* neque enim fundamento caret, ſi conſulatur Apocalypſis, ubi iſta legimus; *Projectus eſt Draco ille magnus, ſerpens ille antiquus, qui vocatur diabolus & Satanas, qui ſeducit totum terrarum orbem.* Quin & illum eadem prophetia Bellatorem etiam exhibet. *Factum eſt*, inquit, *prælium in cælo: Michael & Angeli ejus præliati ſunt cum Dracone, & Draco pugnavit & angeli ejus.* Atque iterum, *Iratus eſt Draco adverſùs mulierem; & abiit ut gereret bellum cum reliquis ex ejus ſemine.* Ecce, Lector, Antagoniſtam verè & valdè formidabilem. Enimvero qui abſque potentia nequam eſt, latrabit potiùs quàm mordebit: qui potens abſque nequitia parùm

Samuel de Lublino in Tractatu ſummularum p. 137.

Joh. 12. 31. item c. 14. 30. & c. 16. 11.

Apoc. 12. 9.

Ibid. v. 7. & v. 17.

parùm nocebit. Illa ſunt interim Eccleſiæ flagella longè peſſima, quorum funiculi ex potentia & nequitia contorti ſunt & complicati. Hunc eſſe genium diabolorum patet ex Paulina eorundem deſcriptione, *Non eſt nobis lucta adversùs ſanguinem & carnem; ſed adversùs imperia, adversùs poteſtates, adversùs mundi potentes, id eſt tenebrarum ſeculi hujus principes, aduersùs Spiritales malignitates quæ ſunt in ſublimi.* Ubi voces illæ τὰς ἀρχὰς, τὰς ἐξουσίας, τοὺς κοσμοκράτορας ſingularem potentiam; hæ verò τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ſingulårem nequitiam indicant. Ephef. 6.12.

§ IV. Inter ſophiſticos elenchos ab *Ariſtotele* memoratos locum haud poſtremum occupat, *Fallacia non cauſæ pro cauſa.* Eam uſurpare ſolet diabolus; ut quando Evangelium diſcordiæ, pietatem triſtitiæ parentem indigitat. Nuſquam verò periculoſiùs, quàm cùm ſuggerit Deum authorem eſſe peccati. *Jovem* ſuum *Homerus* hac de re ità conquerentem introducit --- Odyſſ.α.

--- Θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται·
Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι --- i. e.
Deos culpant
Mortales : ex nobis enim dicunt eſſe mala.

Sic, exempli gratiâ, *Lyconides*, adoleſcens laſcivus apud *Plautum* in Aulularia, *Deus*, inquit, *mihi impulſor fuit; is me ad illam illexit*. O artificium diabolicum ſummo bono ſummum malũ adſcribere, & humani criminis ipſum Dominum participem reddere ! Cui peſti ut obviam iret Apoſtolus, ità monuit. *Nemo cùm tentatur, dicat, à Deo tentor : nam Deus tentari malis non poteſt, nec quenquam tentat.* Et Dominus apud Prophetam ſic, *Perditio tua ex Te Iſrael; tantummodo in me auxilium tuum.* Quid opus eſt Prophetam & Apoſtolum adducere, cùm idem ipſa naturæ lex dictaverit ſanioribus Ethnicis ? *Plato*, ſiquidem hæc habet, *Omni contentione pugnandum eſt, nè quis in civitate, quam benè regi volumus*

Jacob.1.13.

Hoſea.13.9.

Lib.2. de Repub. κακῶν δὲ αἰτίαν φάναι θεόν τινι γίγνεσθαι ἀγαθὸν ὄντα διαμαχετέον παντὶ τρόπῳ, &c.

volumus, vel dicat, vel audiat, seu senex seu juvenis, seu in poemate, seu in alia narratione, Deum causam esse alicui malorum; quod neque sanctè ità dici potest, neque utile est civitati, neque secum consentiens. *Plutarchus* etiam recitat, & probat dictum *Euripidis*, εἰ θεοί τι δρῶσιν αἰσχρὸν, οὐκ εἰσὶν θεοί, *si turpe quid patret Deus, non est Deus.* Me quod attinet; quoties de providentia Dei circa peccatum apud me cogito, toties fere occurrit illud in memoriam, quod apud *Trebellium Pollionem* legitur de *Mario* quodam Tyranno, qui postquam in officina fabri ferrarii educatus fuisset, cultrísque & ensibus conficiendis occupatus, cœpit inter milites inclarescere, atque adeò uno die factus est Imperator, altero imperavit, tertio interfectus est à gregario milite. Is verò dum sicam adigeret in pectus *Marii*, acerbissimo hoc sarcasmate utebatur, *Hic est gladius, quem ipse fecisti.* Dici quippe potest similiter de peccatore, quem non Dei decreta vel præmotiones, sed facinora sua transfodiunt. Hic est gladius quem ipse fecisti. Perditio tua, mi homo, ex te. *non* quidem *absque*; sed tamen *non ex* providentia divina.

Libro Στοιχῶν ἐναντιωμάτων.

§ V. Inter dolos politicos vix alius frequentior est apud invasores alieni imperii, quàm suimet accommodatio ad eorum sive genium sive statum, quibus vel dominari satagunt, vel ut instrumentis uti ad dominium acquirendum. Sic apud *Danielem Antiochus multos contaminabat blanditiis.* Apud *Samuelem Absolomus* dicere solitus est cuivis jus petenti, "Rationes tuæ bonæ sunt & rectæ; sed qui te audiat, "nemo est à rege constitutus. Utinam poneret me judicem "in hac terra, ut ad me veniret, cuicunque est lis aut causa: "atque adeò suffurabatur animum Israelitarum. Apud *Salustium Catilina, ut cujusque studium ex ætate flagrabat, aliis scorta præbuit, aliis canes atque equos mercatus est.* Ità Satanas, cui semper in votis est secundo flumine navigare, se cujusvis indoli & conditioni didicit attemperare. Habuit olim in numerato proponenda, Regnum *Abimelecho*, *Achani* togam Babylonicam siclos argenti & lingulam auream; *Sampsoni*

Daniel. 11. 32

2 Sam. 15. 3, 4, 6.

Sampsoni Dalilam, *Achabo* vineam, *Gebazi* talentum & vestimenta; *Judæ* proditori triginta argenteos, & *Diotrephi* prælaturam. Cùm ætas anterior libidini magìs obnoxia sit, provectior superstitioni; *Solomonem* in ætate virili ad uxores & concubinas ultra modum accumulandas, in senectute ad turpissimam idololatriam provocavit: In prosperis luxuriæ, in adversis impatientiæ velificatur: Biliosos ad excandescentiam, ad incontinentiam sanguineos, phlegmaticos ad desidiam, melancholicos ad diffidentiam; pauperes ad mendacium & furtum, divites ad luxum & atheismum impellit. Unde sic precatus est Agur, *Paupertatem aut divitias nè des mihi; ale me cibo demensi mei; nè saturatus illiciar ad negandum, & dicam, quis est Jehova? aut egestate compulsus furer, & abutar nomine Dei mei.* Si quem invenerit sub iræ divinæ, suorúmq; delictorum sensu ingemiscentem, eum conatur in desperationis barathrum præcipitare; sin alium conspexerit probè sibi conscium vitæ non inculpatæ modò, sed fructuosæ; operam dat ut ille, quem nequit diffidentiæ machinis demoliri, occultis tamen superbiæ cuniculis subruatur. In prioris exemplum sistam licet Corinthium illum incestûs stigmate dehonestatum, cui tunc sceleris conscientiâ laboranti metuebat Apostolus, nè tristitiâ absorptus, & animum despondens, eò, procurante diabolo, perduceretur, ut & sibi perniciem, & Ecclesiæ scandalum afferret: ideo monentur fratres veniam illi & solatium indulgere; *nè nos*, inquit Paulus, *superemur à Satana.* Ad posterioris elucidationem producere libet recentem quidem, verùm haud ignobilem historiolam. Floruit apud majores nostros *Johannes Knoxus* magnum reformandæ Scotiæ instrumentũ. Is morti jam proximus ultimam agebat noctem inter crebros gemitus & suspiria; de quorum causa interrogatus ità respondit. *Multa quidem hactenus in vita fragili certamina, multósque Satanæ insultus sustinui: at jam fortissimè me adortus est Leo ille rugiens, omnésque vires, ut me devoraret & perderet, simul effudit. Sæpè prius mea mihi peccata* ob

1 Reg. 11. 3, 4

Prov. 30. 8, 9.

2 Cor. 2. 7, 10, 11.

Melch. Adam. in vitis Theol. exter. p. 141

ob oculos posuit, sæpe ad desperationem sollicitavit; sæpe mundi illecebris irretire studuit: at fractus gladio Spiritûs, quod est verbum Dei, nihil efficere potuit. Jam verò me aliâ adortus est viâ. Callidus enim serpens persuadere studuit, me, propter fideliter obitam legationem in ministerio, vel ipsum cælum, & beatam immortalitatem mereri. At benedictus esto Deus, qui mihi eos scripturæ locos suggessit, quibus eum jugularem, & ignitum hoc jaculum extinguerem; inter quos erat ille, Quid habes quod non accepisti? & gratiâ Dei sum quod sum; & non ego, sed gratia Dei in me. Atque ità victus discessit: gratias itaq; ago Deo meo per Iesum Christum, qui me victoriâ potiri voluit.

§ VI. Delibatis hunc in modum, id est quàm levissimè, illis artium diabolicarum generibus, quæ minùs, tum ad propositum nostrum, tum ad locum hunc Paulinum, habitâ contextûs ratione, pertinere videantur; fusiùs deinde tractanda sunt strategemata bellica, eorum saltem nonnulla primæ magnitudinis, utpote multò magìs propria.

Primum esto *Locorum, unde pugnetur electio*, cujus exempla quatuordecim proferuntur à *Sexto Iulio Frontino*, viro consulari. Perinde se gessit Satanas in omnium pænè seculorum decursu, ac si id sibi negotii datum esse crederet, ea præsertim loca cultu idololatrico, aliísque sordibus inquinare, quæ speciali priùs præsentiâ gratiâque suâ Deus sacraverat. Ut rem ab ovo repetamus: cùm vetustissimo "illo ævo Græci vescerentur glandibus, ante fruges inven-"tas, ex eisdem quercubus ex quibus petebatur cibus, pete-"bantur oracula; Satanâ sic illudente hominibus, utì loqui-"tur vir clarissimus. His oraculis clara præcipuè fuit *Sylva Dodonæa* in Epiro. verisimile autem est *Dodonam* hanc *Delphorum* æmulam (utì patet ex versiculo Ovidiano, *Non mihi si Delphi Dodonáque diceret ipsa*) nomen suum mutuatam esse à *Dodonim Iaphetis* nepote, cujus meminit Moses. Eum Theologi eo ipso in loco scholam olim existimant ad suos erudiendos aperuisse. Dignus est qui hac de re audiatur.

Strategemat. lib. 1. cap. 1.

P. Molinæi *Vates* p. 165.

Genes. 10. 4.

tur *Tilenus.* " Tandem, inquit, Satanas effusis omnibus
" furorum habenis, sic merente mundi perfidiâ, μαντεῖα si-
" ve χρηστήρια, id est, blasphemiarum suarum arces quasdam
" extruxit, in quibus responsa sua, sive oracula summa cum
" contumelia Dei, certissimaque hominum pernicie evom-
" ret. Ac consentaneum est ipsas sanctorum Patrum sedes,
" eáque loca, in quibus piorum cœtus coire solebat, cœlestis
" doctrinæ audiendæ causâ, in fœdissima mendaciorum lu-
" stra à diabolo fuisse conversa. Quippe haud aspernandæ
" eruditorum conjecturæ existimantium locum Hammonis
" oraculo celebrem antea, vel Chami vel posterorum ipsius,
" præcipuam scholam fuisse (nam nè inter hos quidem om-
" nem Dei notitiam statim post maledictionem *Noha* eva-
" nuisse constat ex iis, quæ de *Pharaone* & *Abimelecho* in Hi-
" storia *Abrahami* & *Isaaci* referuntur:) in Dodonæi autem
" oraculi loco familiæ ecclesiæque *Dodanim* καλοικητήριον ali-
" aliquod extitisse. Duo hæc oracula omnium consensu an-
" tiquissima diabolum primò occupasse venenóque suo pol-
" luisse credibile est; tum ob prioris celebritatis admiratio-
" nem; tum ob antiquitatis opinionem, quâ illecebrâ ho-
" mines facillimè pellectum atque irretitum iri persuasum
" habebat. Hæc ille.

Syntag. part. 1 Disput. 2. thes. 20, 21, 22

Nos eidem observationi lucem & fidem è sacris literis conciliabimus. Apud *Hoseam* ità legimus, *Omnis malitia eorum in Gilgal, quia ibi exosos habui eos.* Ibi dictum est emphaticè; quia in eo præsertim loco suâ Dominum idololatriâ irritârunt. Totum malum eorum velut in compendio quodam in *Gilgale* est; ubi, quia arca fœderis aliquandiu substitit, locum illum reliquis esse sanctiorem dicebant pseudoprophetæ; & propterea ibi instituebant idolatriam, in qua est peccatorum Ilias. Sic *Johannes Tarnovius*. Locus ille nobilissimus olim erat circumcisione Israelitarum, qui in deserto nati essent, celebratione primi paschatis post eorum ingressum in terram promissam; apparitione Christi Domini, ut exercitûs Israelitici Imperatoris facta Josuæ;

Hos. 9. 15.

In Hoseam, p. 309.

 residen-

residentiâ tabernaculi, aliísque divinæ præsentiæ signis. In eo itaque præ aliis loco aras postea excitavit superstitio, & ibi simulacra posuit, ad quæ voti & religionis gratiâ concursationes fiebāt ab his, qui verâ religione proditâ falsam erant amplexati. Itâ procurante diabolo, qui effecit, cùm locus ille celebris esset, & religiosius haberetur, ut alienæ religionis error ibidem inolesceret. Sic *Andreas Rivetus*. Huic *Gilgali* adjungitur apud eundem prophetam *Bethaven*, *Nè ingrediamini in Gilgal*, *& nè ascendatis in Bethaven*. Cui priscum nomen erat *Bethel* satis quidem honorificum; sed eo locum hunc impertire dedignatur Dominus, postquam ibi *Jeroboamus* aram suam & vitulam erexerat. De illo dixerat multis retrò seculis Jacobus, *Terribilis est iste locus*, *hic est Domus Dei & porta cæli*. Hoseâ verò prophetante versa fuerat strategemate diabolico domus Dei (id enim significat *Bethel*) in domum sive stabulum vanitatis, quod exprimitur voce *Bethaven*. Porrò post ascensum Domini dictu mirum est & auditu, quanto studio Satan fœdaverit ea loca ipsissima, quæ Christus dum agebat in carne, præ aliis omnibus sanctificaverat. Testis sit *Hieronymus*, qui multum temporis contriverat in Palæstina, & cui proinde notissima erant isthæc omnia, de quibus in epistola ad Paulinum itâ loquitur. *Ab Hadriani temporibus usque ad imperium Constantini per annos circiter centum octoginta in loco resurrectionis simulacrum Jovis, in crucis rupe statua ex marmore veneris colebatur: existimantibus persecutionis authoribus, quòd tollerent nobis fidem resurrectionis & crucis, si loca sancta per idola polluissent. Bethlehem nunc nostram, augustissimum Orbis locum, de quo Psalmista canit, veritas de terra orta est, lucus inumbrabat Thammuz*, i. e. *Adonidis*; *& in specu, ubi quondam Christus parvulus vagiit, veneris amasius plangebatur.*

Commentar. super Hoseam in 4. p. 154. & 311.
Hos. 4. 15.
1 Reg. 12. 29.
Genes. 28. 17.

§ VII. Strategema secundum sit *Amicitiæ simulatio*. Notum est *Zopyri* facinus, qui ut *Dario* regi suo Babylonem tunc temporis obsidenti, atque alia omnia frustrà tentanti, per-

pergratum faceret; domi se verberibus lacerari, nec non nasum sibi & aures præcidi jussit: deinde facto Rege consiliorum suorum participe, sub transfugæ titulo Babylonios adibat, illis se amicum, suis infensissimum simulabat, ob eam scilicet corporis sui lanienam, quam ab ipsis illatam mentitus est. Creduli nimis *Babylonii Zopyrum* hypocritam universo suo exercitui præfecerunt, quem ille totum *Dario* prodidit, urbémque ipsam in ejus potestatem redegit. Ità diabolus nunquam pejores inducit tenebras, quàm cùm se in Angelum lucis transfiguret. *Simulata Sanctitas* dici solet *duplex iniquitas*; audiat per me licet *simulata necessitudo duplex simultas*. Inimicior certè diabolus est quando blanditur, quàm quando sævit. Verissimè *Leo*, *Beneficia dæmonum ait cunctis esse nocentiora vulneribus*, *& præstare illorum odium quàm pacem meruisse*. Homil. 19. de passion. Dom. Dari dæmones plenos candore & beneficentiâ, quique suis cultoribus præstò sunt ad quælibet officia, vulgò creditur. Eos Latini *Spiritus familiares*, Græci πάρεδρους vocant. Talem ferunt circumgestâsse in ensis sui capulo *Theophrastum Paracelsum*. Talem fuisse *Cornelii Agrippæ* canem, etsi discipulus ejus *Wierus* neget; alii veriùs affirmant, ait *Martinus* ille *Delrius* in ipsa calce libri secundi disquisitionum magicarum. Docebit nos, si consulatur, *Augustinus*, & in eum *Vives*, divisam fuisse à veteribus magiam in *Goetiam*, quam omnes illicitam, & *Theurgiam*, quam multi laudabilem existimabant. De civit. Dei l. 10. c. 9. Eam recentiores in *Nigram* & *Albam* diviserunt. Sed si rem æquâ lance perpendamus, constabit, opinor, per utramque Satanam credulis nimùm mortalibus imponere, & summam vel albissimæ *Magiæ* nigredinem esse. Testem appello non hunc aut illum emunctioris naris Theologum; sed *Cornelium* ipsum *Agrippam*, quem in hisce mysteriis norunt & agnoscunt viri docti fuisse Delium natatorem. Is in libro de vanitate scientiarum, Cap. 46. cui titulus, est de Theurgia. *Theurgiam*, inquit, *plerique putant haud illicitam*, *quasi hæc bonis Angelis*, *divinóque numine regatur*; *cùm sæpissimè tamen sub Dei & Angelorum nominibus*

malis

malis dæmonum fallaciis obstringatur. Clauditur tandem illud caput dicto admodum memorabili (si dicentis habeatur ratio) *Ejus scholæ sunt ars Almadel, Ars notoria, Ars Paulina, Ars Revelationum, & ejusmodi superstitionum plura; quæ eò ipso sunt perniciosiora, quò apparent imperitis diviniora.*

§ VIII. Tertium, *Hostium devictorum exarmatio.* Usi sunt hoc strategemate Philistæi tunc rerum Domini, ut Hebræos meliùs sub imperio continerent.

Juvenal. Sat. 8

--- Tollas licet omne quod usquam est
Auri atque argenti, scutum gladiúmque relinquens,
Et jaculum & galeam; spoliatis arma supersunt.

Ait satyricus. Sin autem ipsa tollantur Arma, parùm tunc spei reliquum erit. Fuit hæc illorum conditio deploratissima; sic enim sacræ loquuntur literæ, *Faber non aderat in tota terra Israelitarum: dixerant enim Philistæi, Caveamus nè faciant Hebræi gladium, aut hastam. Ità fuit tempore belli ut non adesset gladius aut hasta penes totum populum, qui erat cum Saule & Jonathane: tantùm aderat penes Saulem & Jonathanem filium ejus.* Alludam licet. Gladius esto verbum Dei annuente Paulo. Hasta quidni sit oratio? quæ si per fidem amentata fuerit, hostem eminùs ferit & perdit. Nihil diabolo vel cordi vel curæ magìs est, quàm ut hisce duobus orbatum reddat genus humanum. Verbi gladio quantum invideat, discamus licet ex non antiquâ narratione, dignâ tamen quæ recitetur, de Episcopis quibusdam Gallicanis; qui, utì ferunt Reformatorum martyrologia ad annum Domini millesimum quingentissimum quadragessimum tertium, post peractum *Auenioni* convivium splendidum, per viam mensulariam transeuntes, inhonestissimarum imaginum venditorem allocuti sunt, eásque omnes coemebant. Alium verò, qui sacra Biblia venum exposuit, *Lutheranum* esse suspicati, fecerunt ut igni adjudicaretur gestans bibliorum codices

1 Sam. 13. 19. 22.

Ephes. 6. 17.

Vid. Martyr. latin. in 8° impress. Hanoviæ à pag. 273 ad 276.

ces duos collo suo appensos, nè lateret causa martyrii: quin & paulò pòst ut promulgaretur edictum, quo sub pœna capitali interdictum est populo, *Nè libros quoscunque Gallicanos mentionem aliquam Jesu Christi facientes apud se diutiùs retinerent.* Quod ad orationis hastam attinet, observanda est summopere illa temporis circumstantia cujus meminit S. *Lucas* in Actibus Apostolicis. *Factum est*, inquit, *proficiscentibus nobis ad precationem, ut ancillula quædam habens spiritum Pythonis occurreret nobis, quæ quæstum magnum præbebat dominis suis vaticinando. Hæc subsecuta Paulum ac nos clamabat*, &c. Ἐγένετο δὲ πορευομένων ἡμῶν εἰς προσευχήν. Duo significat ista vox προσευχὴ, orationem & oratorium. Suprà, versu decimo tertio locum designabat (Judæi quippe tunc temporis ubi deerant synagogæ, soliti sunt in suburbanis juxta rivos aut fontes *Proseuchas* extruere; ad imitationem, utì creditur, *Isaaci*, qui veniebat ex ambulatione ad puteum *Lahai-roi*, quò egressus erat ad meditandum (sive precandum) in agro appetente vesperâ) Locum, inquam, in quo non preces modò, sed & conciones habebantur. Sic enim Lucas, *Die sabbati egressi sumus ex urbe ad flumen*, οὗ ἐνομίζετο Προσευχὴ εἶναι, id est, emendante ni fallor Heinsio priores omnium interpretationes) *ubi ex recepto more erat aut solebat esse Proseucha. Et cùm consedissemus, allocuti sumus mulieres quæ convenerant.* Huc eunte Paulo unà cum sociis ad sacra peragenda, semet illis obtulit Pythonissa in obstaculum. Adeò prædicationi simul & precationi adversarius est diabolus. Unde sæpenumero fit, ut sicut in die belli apud *Saulum* tantummodo & *Jonathanem* inventi sunt gladius & hasta; ità in totis quibusdam oppidis, quorum tamen incolæ se Christianos nominant, lectio sacrarum scripturarum, & quotidiana precum domesticarum oblatio, nedum utraque, vix & nè vix quidem, nisi forsan apud unum & alterum reperiatur.

Cap. 16. vers. 16, 17.

Genes. 24. 62. 63.

Actor. 16. 13

§ IX. Quartum esto *Dissidiorum seminatio.* Hoc adhibuit strategema rerum potiunte *Jehosaphato* ipse Dominus exercituum,

2 Chron. 20. 22, 23.

cituum, ad hostes populi sui fundendos, prout Annales sacri referunt. *Disposuit Jehova insidiatores contra Hammonitas, Moabitas, & montanos Sehiris. Nam institerunt Hammonitæ & Moabitæ contra habitatores montis Sehiris ad internecioni devovendum & perdendum eos. Et cùm absolvissent contra habitatores Sehiris, juverunt inter se, ut alter esset alteri perditor, vel, ut habet* vetus interpres, *In semetipsos versi mutuis concidêre vulneribus.* Eodem uti gaudet Satanas adversùs inimicos regni sui, Catholicæq; Ecclesiæ alumnos; dum ubique discordias serit, quas potest maximas & multifarias inter Ceristiani nominis professores. Sæpius me permovit

2 Cor. 11. 3. illud Apostoli dictum ad Corinthios, *Metuo nè quo modo, sicut serpens Evam seduxit calliditate suâ, ità corruptæ cogitationes vestræ degenerent à simplicitate quæ est in Christo.* Unde colligi posse sentio simplicissimam fuisse doctrinam Christianam ante natas hæreses.

Tunc brevis hoc totum, melior quo vita paratur,
Regula dictabat, non solis nota magistris,
Sed populi commune bonum; neq; docta ferebant
Jurgia dissidium ——

Postquam verò per dolos serpentinos introducta sunt opinionum monstra, quæ *Satanæ profunditates* audiunt, & in ar-

Apoc. 2. 24. tem ivisset religio; itum est etiam in dissidia, quæ ab eodem

Jacob. 3. 14, 15. ibid. v.6. fonte profluunt, adeò ut sapientiam rixosam Jacobus *dæmoniacam* appellaverit, & linguam perditè contentiosam *à gehenna* dixerit *inflammari.*

In oratione habita Lugd. Batavorum Ann. 1620. En tibi Lector, *Andream Rivetum* hac de re more suo, id "est gravissimè differentem. Cùm Deo & virtutibus cœ-"lestibus nihil tam proprium sit quàm pugnas & dissidia "nescire; omnes qui pacis bonum amplectuntur, eíque con-"trariam discordiam & seditionem infensè oderunt, ad De-"um & divinas mentes accedunt. Contrà, qui sunt iis mori-"bus ut contentionibus gaudeant, ac novitate famã captent, "adversæ partis sunt, Satanam imitantes, qui sub discordiæ "caligine se occultat, ac velut locum sibi furtim aperit, ut

" Ecclesiæ corpus in occulto sagittet. Novit enim acutus ho-
" stis telis suis impenetrabilem esse Ecclesiam, nisi seipsam
" diffindat. *Riveto* si placet adjungamus *Samuelem Sorberium*. Is in epistola dedicatoria ad *Salmasium*, quam præfixit Diatribæ cuidam *Samuelis Petiti* de Jure, principum edictis &c. hæc habet lectu dignissima. *Quid pacē in exilium pepulit, quid illa miscuit incendia, quibus flagrant cum nostris regiones exteræ, nisi de religione dissidia? Nam & inquieta captari solent ab iis tempora, qui Christi tunicam inconsutilem diloricare meditantur; & umbraticæ quæ dicuntur controversiæ nimium sæpe in discordias exeunt, discordiæ in bella, bella in clades proficiunt. Quæque videbantur Lycei parietibus, ac palæstræ regionibus claudi certamina, postquam in pulpitis ac thronis ex umbone jactari cœpta sunt, & in aula narrari, & in vulgus disseri, provincias invadunt, regna tota conturbant, & susque deque vertunt. Disputatione in dimicationem versâ stylus in telum desinit, & pro atramento cruore imbuitur, à prælo ad prælium itur; cessatur à calamis, pugnatur armis; pro linguis lanceis, pro graphiis gladiis utimur. Exempla utinam in promptu non essent!*

Illud ego *utinam* dolens repeto. Ea siquidem fuerunt, ea sunt tempora, ut illius vaticinii veritatem, quod multis retro annorum centuriis edidit Paulus, nemo nunc dierum in dubium vocare possit. *Illud* inquit, *scio lupos graves, non parcentes gregi ingressuros esse in vos post discessum meum; & ex vobis ipsis exorituros, qui loquantur perversa, ut discipulos post se abstrahant.* Cùm utique lupos hosce Leo Tartareus, ut suas olim vulpes *Sampson*, capitibus licèt plurimùm adversis, per caudas nectit; & insertis hinc illinc fascibus agrum Domini frumentarium, omnes scilicet provincias Christianas, durissimis incendiis impleat. Quæ quidem ego fletu mallem, quàm eloquio prosequi.

Actor. 20. 29, 30.

§ X. Quintum erit *minorum admissio. Pompeium* ferunt iter cum exercitu facientem per minimè confœderatas regiones à cujusdam urbis rectoribus veniam impetrâsse, ut paucos quosdam milites, eósque valetudinarios & infirmos re-

focillationis ergô intra mœnia sua reciperent; illos verò, per noctem trucidatis excubitoribus, civitatis portas reserâsse ad totum exercitum intromittendum. Sic plerumque diabolus ad leviora tentat crimina, quò facilior aditus sit ad graviora: Quæ fortasse ratio est, cur universas Satanæ artes per τὰς μεθοδείας designet Apostolus, ut eum innueret methodicè, juxta certum quendam ordinem, à minore scilicet ad majus progredi. Verecunda solent esse hæresium, verecunda scelerum initia. Ad nequitiæ culmen, ut plurimùm, itur paulatim, & *nemo repentè fuit turpissimus.* Pone sis ante oculos, Lector, *Alipium* de quo sic *Augustinus*, amicus illi

August. Confess. lib. 6. cap. 8.

" summâ quidem necessitudine conjunctissimus. Eum à ludis gladiatoriis valde aversum, duxerunt tamen familiari " violentiâ in Amphitheatrum, recusantem vehementer & " resistentem quidam ipsius condiscipuli. Ad quos ille, si " corpus meum, inquiit, in illum locum trahitis, & ibi con- " stituitis, nunquid & animum & oculos meos in illa specta- " cula potestis intendere? Adero itaque absens, ac sic & vos " & illa superabo. Ubi illuc ventum est, fervebant omnia " immanissimis voluptatibus. Ille clausis foribus oculorum, " interdixit animo nè in tanta mala procederet, atque uti- " nam & aures obturavisset. Nam quodam pugnæ casu, " cùm clamor ingens totius populi vehementer eum pulsâs- " set, curiositate victus, & quasi paratus, quicquid illud es- " set, etiam visum contemnere & vincere, aperuit oculos; " & percussus est graviore vulnere in anima, quàm ille in " corpore quem cernere concupivit; cecidítque miserabi- " liùs quàm ille, quo cadente factus est clamor. Ut enim " vidit illum sanguinem, immanitatem simul imbibit; & " & non se avertit, sed fixit aspectum, & hauriebat furias, " & nesciebat, & delectabatur scelere certaminis, & cruentâ " voluptate inebriabatur, & non erat jam ille qui venerat, " sed unus de turba ad quam venerat, & verus eorum so- " cius, à quibus adductus erat. Quid plura? Spectavit, cla- " mavit, exarsit. Abstulit indè secum insaniam, quâ sti-

" mularetur

" mularetur redire, non tantùm cum illis, à quibus priùs " abstractus, sed etiam præ illis, & alios trahens.

Sextum, *Majorum impugnatio. Tarquinius Superbus*, agente tunc *Gabiis* ipsius filio, & patrem per nuncios consulente quid fieri vellet; eminentia papaverum capita virgulâ decussit, & indè voluit intelligi interficiendos esse viros principes. *Florus*, l.1.c 7.

Nec mora principibus cæsis ex urbe Gabina,
Traduntur ducibus mœnia nuda suis,

ait in Fastis suis Ovidius. Pariter & *Thrasybulus Milesiorum* tyrannus, à *Periandro* consultus, coram nuntio ejus suprema eminentium spicarum capita amputavit, jussitque ut quæ viderat *Periandro* referret. Diabolo nihil magìs solenne quàm servos Christi & Ecclesiæ columnas insigniores, quibus poterit sive machinis, sive cuniculis, sive telis impugnare. *Surrexit Satan adversùs Israelem, & incitavit Davidem ut numeraret populum. Jehoshua sacerdoti maximo stabat à dextra ut adversaretur ei. Paulum* Apostolum colaphis cædebat. Dixit *Antonius* apud *Athanasium. Cunctis dæmonibus hostile odium in homines esse, gravius in Christianos, atrocissimum in religiosos. Bernardum* ferunt inter concionandum vanâ gloriolâ titillatum per injectionem diabolicam; quod cùm persensit vir piissimus, oratione quam habuit interruptâ, ad Satanam se convertit & dixit, *Non propter te hoc opus cæptum est, non propter te, nec in te finietur.* Quid autem *Lutherus? Videtur*, inquit, *mihi Satanas à pueritia mea aliquid in me prævidisse eorum quæ nunc patitur. Ideo ad perdendum me & ad impediendum insanivit incredibilibus machinis; ut sæpius admiratus fuerim ego nè solus essem inter mortales quem peteret.*

1 Chron. 21. 1
Zachar. 3. 1.
2 Cor. 12. 7.

In Epist. ad Patrem suum præfixa libro de votis monasticis.

§ XI. Septimum, idémque ultimum, nè Lectori nausea creetur, esto *morum hostilium imitatio.* Cujus extant apud *Frontinum* inter alia duo exempla illustriora. Priùs, *Arcades Messeniorum* castellum obsidentes, factis quibusdam armis ad similitudinem hostilium, eo tempore quo successura

Strategem. l. 2. c. 2. exemp. 4. & 9.

alia præsidia exploraverant, instructi eorum qui expecta-bantur ornatu, admisśique per hunc errorem ut socii, pos-sessionem loci strage hostium adepti sunt. Alterum. *Antio-chus* in *Cappadocia* ex Castello *Suenda*, quod obsidebat, ju-menta frumentatum egressa intercepit, occisísque calonibus, eorundem vestitu milites suos tanquam frumentum repor-tantes, submisit. Quo errore illi custodibus deceptis castel-lum intraverunt, admiserúntque milites *Antiochi*. Satanam profectò ab ipsis mundi incunabulis in hunc usque diem Dei & Christi simiam egisse, illóq; artificio plurimum Ecclesiæ detrimenti attulisse satìs constat. Ego summa rerum fasti-gia, sed breviter attingam, ordine súsque déque habito.

1°. Deus cum electis suis fœdus iniit gratuitum, in quo se illis Deum fore pollicetur, & cum eis stipulatur, ut ipsius populus sint, & integrè ambulent. Ità diabolus, cum suis mancipiis, veneficis & præstigiatoribus in fœdus descendit, promittens se illis præstiturum quicquid petierint, modò se vicissim illi parituros stipulentur. Et quemadmodum Deus in fœdere suo liberos etiam & semen fidelium inclusum vo-luit, adeò ut teneantur parentes eos ad Jehovæ agnitionem simul & cultum instituere. Sic diabolus huc impellit artium infernalium professores, ut progeniem suam, filias impri-mis ipsi mancipent, & eisdem artibus magicis imbuant; neq; novum est Matres etiam verberibus filias huc vel adduxisse, vel adducere conatas esse. Imò sicut fidem exigit Dominus à suis cultoribus, eámque constituit novi fœderis conditio-nem: ità suis Satanas hoc præcipuè dat in mandatis, ut in ipsum credant; quod etiam magi & maleficæ à suis dicun-tur consultoribus flagitare.

Zepper. explanat Legum Mosaic. forens. l. 4. c. 5. ibid. p. 298.

2°. Christo visum est diplomati fœderis gratiæ duo quasi sigilla appendere, Baptismum & Cœnam. Utriusq; ritus imi-tatus est diabolus sedulò. Habuerunt enim illius Mystæ tum ablutiones, tum etiam libamina. De prioribus Augustinus, *In multis idolorum sacrilegis sacris babtizari homines perhiben-tur.* Et Tertullianus, *Nationes extraneæ ab omni intellectu spiritu-*

De Baptism. contra Donatistas.
Libro de Baptismo.

ſpiritualium poteſtatum eâdem efficaciâ idolis ſuis ſubminiſtrant, ſed viduis aquis ſibi mentiuntur. Nam & ſacris quibuſdam per lavacrum initiantur, Iſidis alicujus aut Mithræ. De poſterioribus *Lipſius* ad illa verba *Cornelii Taciti* de morte *Senecæ, Poſtremò ſtagnum callidæ aquæ introiit, reſpergens proximos ſervorum, additâ voce, libare ſe liquorem illum Jovi liberatori*; ſic commentatus eſt: Ità Thraſeas moriturus, “Libemus inquit, Jovi Liberatori. Cauſa viris magnis hujus “in ſupremis joci à more Græcorum, qui diſceſſuri è convivio libabant Jovi Servatori; ſic iſti è vita Jovi Liberatori. *Grotius* etiam ad illud Evangeliſtæ, *Bibite de hoc omnes.* “In ſacris, inquit, ſanguis in pateris fundi ſolebat, ut quarto “Thebaidos Papinianæ & aliis in locis legimus. Sed quia “bibere ſanguinem inhumanum erat, inſtitutum eſt apud “populos manſuetiores, ut vinum ſanguinis loco biberetur, “quod *ſanguis uvæ* dicitur, &c. Quid quòd ſolitus eſt diabolus Magicorum & maleficarum corporibus occultum aliquod ſtigma imprimere, ſicut olim Deus per circumciſionem fœderatos ſuos characterem fœderis in corpore geſtare voluit?

Annal. l. 15. non procul à fine.

Ad Matth. 26, 27.

3°. Cùm finxit Satanas, Ethnicorum doctor, *Palladem* ipſorum, id eſt, ſapientiam, è *Jovis* cerebro prognatam eſſe, conatus eſt per iſtam fabulam mimicè pingere, & pingendo elevare æternam Filii ab æterno Patre generationem: quin & fidem incarnationis corrumpere per ſuas humanorum corporum frequentes, quas vocant, obſeſſiones & poſſeſsiones. Cùm verò Chriſtus Θεάνθρωπος unicus ſit mediator inter Deum & homines, finxerunt ethnici dictante Satanâ, dæmonia quædam ſive deaſtros & ſemideos, quorum interceſſioni apud Deos ſuperiores nitebantur: utì plurimis teſtimoniis probatum dat *Medus* noſter in aureo libello *De apoſtaſia ultimorum temporum.*

pag. 9. & ſeq.

4°. *Abrahamus* apud *Moſen* cum Jehova paciſcitur diſſectis pecudibus, inter quarum ſegmenta altrinſecus è regione poſita lampas ardens tranſiit, Deum ipſum, opinor, repræſentans,

Gen. 15. 9. 10. 17.

ſentans. Gentiles eaſdem, vel eis ſimiles Ceremonias in fœderibus ſanciendis adhibere docuit Satanas. Sic enim
Lib. 39. *Livius*, *Caput mediæ Canis præciſæ*, *& prior pars ad dextram cum extis*, *poſterior ad lævam viæ ponitur: Inter hanc diviſam hoſtiam copiæ armatæ traducuntur*. Ab eodem *Abrahamo* Dominus filii ſui immolationem poſtulabat. Ex eo tempore cœpit diabolus humanas hoſtias, quæ ſumma erat inhumanitas, flagitare. Cùm Græcorum claſsis Aulide adverſis ventis detineretur, *Calchas* vates diaboli ſuaſit ventos placandos immolatione *Iphigeniæ Agamemnonis filiæ*: & *Tireſias* promiſit *Thebanis* victoriam, ſi *Creontis* Regis filiam mactarent in ſacrificium. *Sinon* apud *Virgilium* redditum ait *Græcis* hoc oraculum,

> *Sanguine placâſtis ventos*, *& virgine cæsâ*,
> *Sanguine quærendi reditus*, *animâque litandum*
> *Argolica.*—

2 Reg. 17. 17 Jerem. 32. 35. Pſal. 106. 35. Quin & apertiſsimè tradunt ſacræ literæ ipſos Iſraelitas eò dementiæ progreſſos eſſe, ut ſuos etiam liberos immolarent dæmoniis, & per ignem tranſire cogerent. Dæmon autem præcipuus (ut illud obiter obſervemus) cui fiebant iſta ſacra nefandiſsima *Molech* dicitur in pleriſque Scripturæ locis, quæ de hoc cultu agunt. Sol autem *Molech* (utì & *Baal* à dominio vocabatur, utpote qui locum Regis inter ſtellas occupat. Jam verò quoniam ſol, ut cauſa univerſalis fortiter concurrit ad generationem (unde illud philoſophorum *Sol & homo generant hominem*) ideò ſolis cultores traducebant filios ſuos, quos ejus virtute natos ſibi cenſebant per ignem (cui ſol etiam præeſt) eo ritu profitentes, & quaſi dicentes, *A Te omnia*, *& de tuo damus Tibi*.

Muis in Pſalmos pag. 637.

5°. Chriſtus orbem terrarum Evangelio ſuo colluſtravit: fundebat & diabolus ſua oracula, quibus mundum dementare conatus eſt. Imò quoniam oraculum Dei ſitum erat olim in adytis Tabernaculi cortinis undique cooperti, utì

utì tradit *Moses* in *Exodo*; ideo diabolus Deum imitatus, edere solitus est oracula è cortinis in templorum adytis. Hinc apud Poetam dicitur

--*Mugire adytis cortina reclusis.* atque iterum, Æneid. l. 3. carm. 92. & l. 6. carm. 347.
--*Neque te Phœbi cortina fefellit.*

6°. Denique Christus doctrinam Evangelicam per miracula statuminabat. Habuit & Satan suos thaumaturgos, populorum oculos in se convertentes ut à Christo averterentur. *Advenit homo ille peccati, & filius perditionis*, de quo Paulus, *ex vi efficaci Satanæ, cum omni potentia & signis ac prodigiis mendacibus*. Scripsit *Philostratus* octo libros de *Apollonio Tyanæo*, déq; rebus ab eo gestis, quarum magnitudine & præstantiâ adeò permotus est *Hierocles*, ut in libro, quem φιλαλήθη inscripsit, è *Philostrati* scriptis contexto, *Apollonium* hunc Christo Salvatori non contulerit modò, sed & prætulerit. Hujus autem rei indignitas adeò bilem movit (2 Thess. 2. 3. 9.)
" *Lactantio*, ut in hunc *Hieroclem*, suppresso tamen nomine, Institut. l. 5. cap. 3.
" hunc in modum invectus sit; Cùm facta Christi mirabi-
" lia destrueret, nec tamen negaret: voluitque ostendere A-
" pollonium vel paria, vel etiam majora fecisse; mirum
" quòd Apuleium prætermisit, cujus solent & multa & mira
" memorari. Cur igitur, O delirum caput, nemo Apollo-
" nium pro Deo colit, nisi fortè Tu solus? illo scilicet Deo
" dignus, cum quo Te in sempiternum verus Deus puniet.

Libri primi FINIS.

TACTICORUM SACRORUM
Liber Secundus.

Cap. I.

De Balteo veritatis in intellectu, id est, Orthodoxiæ.

Celeusmata militaria Sect. 1. *Verba textûs Apostolici, Ephes.* 6. 14. *expenduntur. Stare quàm necessarium Christiano militi, quàm possibile cùm adsit Christus. Discinctum esse, quid. Quid lumbis succingi. Duplicis veritatis balteus, orthodoxiæ scil. & sinceritatis.* Sect. 2. Mirandulani *dictum nobile.* Paganismi, Judaismi, & Mahumetismi *deformitas.* Sect. 3. Socinismi *censura. De illo* Grotii *quondam sententia.* Sect. 4. Papismi *malus Genius.* Christianismi *summa pulchritudo.* Sect. 5. *Veritatis & baltei duplex analogia. Laudatur* Academia Lugduno-Batava, & Jansenius Yprensis. Sect. 6. *De erroribus hodiernis querela instituitur.* Sect. 7.

§ 1. Æc cùm ità se habeant universa, de quibus in libro superiore dictum est & peroratum; *Arma, viri, ferte arma. Miles, age, faciem feri. Hannibal* ad portas, *Cæsar* in foro, *Catilina* in senatu. *Nunc animis opus est, nunc pectore firmo.*

 Indulge

Indulge mihi veniam, Lector, ſi magnitudine periculorum attonitus, me ſtatim converterim ad κελεύσματα militaria. Enimvero refert *Annibalem* Satanas, Mundus *Cæſarem*, Caro, *Catilinam*. Iſthæc autem omnia nos eminus cominúſq; adoriuntur, & impugnant, adeò ut qui imbelles fuerint, utpote inermes, in ipſa, quod aiunt, acie novaculæ poſiti ſint. Quocirca nobis curæ erit in eo, quem nunc inchoamus libro, de *Paulina panoplia* diſſertationem inſtituere, non qualem tanta res efflagitat, (neque enim poſſumus) ſed qualem noſtra valet tenuitas exhibere.

§ II. Induendus occurrit primò veritatis balteus hiſce verbis, Στῆτε οὖν περιζωσάμενοι τὴν ὀσφὺν ὑμῶν ἐν ἀληθείᾳ. *State igitur ſuccincti lumbos veſtros in veritate.* Semel atque iterum in ea periocha quæ propria quidem ſedes eſt hujuſce materiæ (capite nimirum ſexto ad Epheſios circa medium) monet Apoſtolus ſtandum eſſe militi Chriſtiano: quod ulteriùs etiam innuitur, ex eo quòd in tota, quam exhibet armatura, nulla pars aptatur tergo: neq; enim terga nobis vertenda ſunt, aut de fuga cogitandum in bello, quod agitur ſpirituali. *Oportet Imperatorem ſtantem mori*; dixit olim *Veſpaſianus*, ſed & gregarium militem decet. Nec deeſſe poteſt illis ſtandi cauſa, quibus adeſt *Emanuel* nobiſcum Deus, prout experti ſunt fideles in *Antiochia*, ubi primùm noſtræ profeſſionis hominibus inditum eſt auguſtum nomen *Chriſtianorum.* Illic ſæviente terræ motu Anno Domini 52. quo & ædificia multa conciderunt, & 4870 homines ruinis oppreſſi perierunt; vir quidam pius, viſione divinâ, utì ferunt, monitus, præcepit civibus urbe exeuntibus, & crebris ejulatibus exclamantibus Κύριε ἐλέησον, ut ſuperioribus ædium ſuarum poſtibus inſcriberent. Στῆτε, Χριστὸς μεθ' ἡμῶν. *State, Chriſtus nobiſcum eſt.* Quo facto ira Dei reſedit.

Vide *Evagrium*, l. 4. cap. 5.

Succincti ſtate, ſic Apoſtolus. Apud veteres diſcinctos eſſe propudioſum erat; unde Perſius,

Non pudet ad morem diſcincti vivere Natta?

Sueton.

Et res mali ominis malè cingi; Undè illud *Sylla de Cæſare*,

sare Optimates sæpius admonentis, *ut malè præcinctum puerum caverent.*

Succincti lumbos veritate. Eadem membra designat *Petrus*, & addit insuper vocem Mentis, *succincti lumbos mentis vestræ.* Mens interioris hominis suprema quasi regio est, & nobilissimas facultates comprehendit, intellectum scil. ac voluntatem. Veritas quâ intellectus cingitur est orthodoxia, & errori opponitur; quâ voluntas, ea cordis integritas, quam sinceritatem appellant Theologi, & Hypocrisi è regione stat. 1 Pet. 1.13.

§ 3. Ordiendum est itaque nobis, quò distinctiùs progrediamur, ab orthodoxia, ut ut eam nunc dierum homines malè feriati quoad rem abrenuncient, quoad vocem exsibilent. Inter alios Remonstrantes Belgici, qui ad mentionem Epitheti orthodoxæ adjuncti Ecclesiæ ità paratragœdiant. *Ejusmodi epitheta stulta amuleta sunt, quæ controversiæ collo appenduntur, ut armillæ maleficarum.* Præclarè dictum est á Comite Mirandulano *Veritatem philosophi quærunt, Theologi inveniunt, Religiosi possident.* Eam profectò veritatem, de qua nobis sermo, apud solos veri nominis Christianos reperire est, ad quos si comparentur alii aliarum religionum mystæ, immane quantum è vero aberrent, si non abhorreant. Mihi quod expertus sum sæpius ultrò profiteri liceat. Quotiescunque mecum reputo varias illas, quæ jampridem obtinuerunt, formas & imagines Religionis (nam alia alibi Religio est, ubique aliqua) toties pectus meum in admirationem sui rapit genuina Christianismi pulchritudo, præ qua omnia quotquot sunt, aliarum professionum mangonia se quovis *Thersite* deformiora, seriò contemplantibus offerunt. *Vedel.* Rhapsod. pag. 124.

Siquidem videor mihi videre in *Paganismo* degenerem *Adami* progeniem, creaturas longè infra se positas turpiter adorantem, donec uni inter Ethnicos nationi deridiculo sint alterius Numina, ut olim *Ægyptiorum* Dii sannionibus Romanis; *Juvenali* præsertim in limine satyræ decimæ quintæ. In *Judaismo* nefandam præjudicii malignitatem.

Illud enim in causa est cur ista gens, utpote dogmati de legis *Mosaicæ* perpetuitate, de adoptione filiorum sibi propria, de *Messia* carnem tenus florentissimo, cæterísque quas à Patribus receperunt traditionibus fidem adhibens, in hunc usque diem à persona Jesu Christi & ab ejus Ecclesia tantùm abhorreat. In *Mahumetismo* delusionis miram vim & efficaciam. Vix enim aliquid mirabilius, quàm ut unus impostor, patrem nactus (utì ferunt) virum ethnicum, matrem fœminam Judaicam, & socium Monachum quendam apostatam, postquam Religionem extractioni suæ consimilem, è laciniis quibusdam Paganismi, Judaismi & Christianismi consarcinâsset, & Alcoranum singulorum ingeniis attemperâsset; quintam omnino partem orbis nobis cogniti (si rectè calculos ponat *Breerwoodus*) dementaret, illi se pro eximio Dei propheta, aliisque omnibus præcellente venditans, ídq; sic ut fidem inveniat.

Scrutin. Religion. cap. 14. p. mihi 118.

§ IV. In *Socinismo*, qui *subtilior Mahumetismus* non immeritò vocatur, pandit os suum ipsa vorago, ipsum barathrum irreligionis. Dei quidem Patris personalitatem & æternitatem deprædicant pessimæ istius sectæ antesignani; ità tamen, ut de illius simplicitate, omnipræsentia, præscientia, & aliis quibusdam attributis dilutè admodum scepticéque philosophentur. Filii interim, cujus personam agnoscunt, Deitatem, æternitatem & satisfactionem perfractè negant; utì etiam Spiritûs sancti personalitatem & Deitatem, ut ut de illius æternitate minimè dubitare videantur. Beatissime Christe! Túne ut tantam ab illis ignominiam patereris, pro quibus tanta passus es? sanctissime Spiritus! Quisquámne ut te per Te abrenunciet; séque ab ipso sancto Spiritu edoctum prædicet ipsius Deitatem abnegare? O æterne Pater Domini nostri Jesu Christi, ignoscas eis quæsumus; quid enim loquuntur, & quonam spiritu acti sunt (utì quidem speramus) nesciunt. Interim sunt qui eos ex albo Christianorum delendos esse contendunt acriter. Audi sis, Lector, ipsum *Grotium* antequam in partes abiverat. Is in anno

anno hujusce seculi undecimo, scribens ad *Antonium Wallæum* de Socinianis hæc habet; *Eos non modò Christianorum, sed nec hæreticorum nomine dignor. Quæ enim ipsi docent, cum universali omnium ætatum atque gentium fide pugnant, & Christianitatem (quantum ego intelligo) nomine retinent, re destruunt. Itaque hos à Mahumetistis non longè separo, qui nè ipsi quidem Jesu maledicunt.* *Wallæi oper. in fol. pag. 399.*

§ V. In Papismo, à cujus asseclis sub usurpato Christi nomine Antichristi negotium agitur, cernere est misturarum farraginem unà cum impudentiæ speculo. In ipso quippe Romanensium *Pontifice* prælatus & princeps, *in Canone* Scriptura & Traditio, In *missa* sacramentum & sacrificium, *In doctrina de Conversione*, liberum arbitrium & gratia, *De Justificatione* fides & opera, *De salute* misericordia & meritum adeò inter se *commiscentur*, ùt nullus apud eos locus Evangelicæ *simplicitati* reliquus sit. Ausa est insuper Ecclesia Romana frontem ostentans meretriciam, sibimetipsi puram putam, & quæ soli sacro codici jure debetur, infallibilitatem impudenter assumere: adeò ut *Campianus* dixerit, *Quicquid me credere jubet Ecclesia, tam credo quàm me vivere.* Quin & Sanctos, Angelósque præter Deum adorans, & præter Christum alios agnoscens Advocatos, postquam unâ & alterâ distinctione (de duplici scilicet mediatore, redemptionis & intercessionis, déque triplici cultu λατρείας, δουλείας & ὑπερδουλείας) cum scorto apud *Solomonem os suum terserit*, commisso licèt adulterio spirituali, audacter asserit se nihil mali perpetrâsse. *Campian. opuscul. orat. 5. p. 317.* *Prov. 30.20.*

Cùm verò Te penitùs intueor, magnũ Jehovæ incrementum, veri nominis *Christianisme*, quem Protestantes reformati profitentur ac colunt, prout resplendes in sphæra propria, prout Te sacer Codex delineat: vix me contineo quin
" exclamem, Salve Regina professionum. Si pedes eorum
" qui te annunciant pulchri sint, O quàm formosa est illius
" facies qui te primitus revelavit! Christus Patris est efful-
" gentia, & tu Christi. Mundi visibilis perfectionem agno-

" scimus hominem, hominis intellectum, intellectûs scienti-
" am, scientiæ Religionem, Religionis Christianismum. Tu
" misellis Deum in Christo, Christum in carne, & in utroq;
" salutem pandis, salutem aliàs nequaquam ab Adami po-
" steris obtinendam.

§ VI. Videamus jam quâ præsertim ratione veritas hæc assimilari possit zonæ militari. Inter ornamenta militum locum sibi non infimum vendicat Balteus: quem honestare solebant bullis ex argento vel auro, interdum & gemmis. Unde illud Maronis de Pallante,

Æneid. ult. *— Humero cùm apparuit alto*
Balteus & notis fulserunt cingula bullis. Et illud

De raptu *Proserpinæ* lib. 2. Claudiani. *Parthica quæ tantis variantur cingula gemmis*
Regales vinctura sinus?

Ità tum Ecclesias tum personas singulares Orthodoxia reddit ornatissimas, & piorum asspectui jucundissimas. Ad electam dominam Joannes, *Gavisus sum valde, quoniam inveni de filiis tuis qui in veritate ambulant.* Idem ad Gaium, *Majus non habeo gaudium, quàm ut inveniam filios meos in veritate ambulare.* Academiam Lugduno-Batavam reformati scriptores, suo quidem merito, plurimis elogiis prosecuti sunt: sed vix ullum augustius me judice, quàm illud, quo eam *Gulielmus Rivetus* Andreæ frater insignivit, cùm *Orthodoxiæ sacrarium* appellat.

Epist. 2. v. 4. Epist. 3. v. 4. Epist. Apolog. ad *Thom. Russel.* pag. 202.

Cæterùm non ornatui solùm inservire solebat balteus, sed & usui commodóq;: reponebant enim & gestabant nummos in cingulis; unde inter leges militares, quas olim tulit *Aurelianus*, reperitur ista, *Miles stipendium in balteo, non in popina gestet.* Quin & in proverbio *zonam perdidisse* dicuntur ἀχρήματοι, sicut apud Horatium,

Ibit eò quò vis, qui zonam perdidit.

Pariter & hîc, ditescunt illi profectò maximè, quibus maxi-
Apoc. 2. 9. mè cordi est orthodoxia, *Novi*, inquit Dominus ad Angelum Smyrnensem, *paupertatem tuam, sed dives es.* quare verò? quia veritatis tenacissimus? Ecquis est, modò cordatus

tus, qui non mallet divitias *pauperum*, quos vocabant, *de Lugduno*; quàm mercatorum quotquot sunt, *Babylonis mysticæ?* Divites profectò æstimandi meritò sunt, qui præ divitiis veritatem æstimant. Quo quidem nomine, inter alia nonnulla mihi præ reliquis (neque enim diffitebor) Pontificiis scriptoribus gratus & acceptus est *Cornelius Jansenius* Episcopus Iprensis, de quo hæc consignantur literis. *Rogatus aliquando à sodali quodnam Dei attributum maximè veneraretur, Veritatem respondit; & sæpius inter horti sui spatia, & solitarias meditationes visus auditúsque est oculis in cælum sublatis erumpere in hanc vocem, O veritas!* In Synopsi vitæ *Jansenii* præfixa ipsius *Augustino.*

§ VII. Atqui ut dolori debito fibula tandem aperiatur, est quod Angliæ matri charissimæ compatiamur universi; eò quòd annis hisce novissimis, qui diu apud nos floruerat veritatis balteus, cum illo cingulo, quod *Jeremias* Dei jussu lumbis suis detractū in foramine petræ abscondisset, computruisse videatur. Quocirca si veritati cum miseriis aliquid esse possit commercii, ô Te miseram Theologiam! ô nos infelices, qui sacris tuis initiamur! Ea siquidem tempora redierunt, de quibus Hilarius ad Constantium, *Facta est fides temporum potiùs quàm Evangeliorum, & dum alter alteri anathema esse cœpit, propè jam nemo Christi est*: de quibus Optatus ad Donatistas. *Vos dicitis licet, nos dicimus non licet; inter Licet vestrum, & Non licet nostrum nutant & remigant animæ populorum.* Circumspice lector, & dic si potes, Ecquis apex est fidei quem controversiæ non fœdârunt? Ecquod membrum in toto corpore Religionis Christianæ, quod alicujus hæreseos lepra non pervasit? Utinam verò non nisi foris in regionibus transmarinis lues ista grassaretur! Sed ut olim *Africa*, ità nunc proh dolor! *Anglia* quotannis aliquid monstri parit. Unus *appellat Evangelium*, ut expellat veritatem. Alter *furem prædestinatum* adunco, quod aiunt, naso suspendens, Paulinæ interim prædestinationis furtum & rapinam meditatur. Tertius dum Synodum Westmonasterii nuper habitam *toto cælo errare* contendit, *errat ipse toto tartaro.* Quartus

Cap. 13.

Lib. 2.

De schismate Donatist. pag. mihi 65.

O *redem-*

redemptionem redimere conatus est, ſed quo pretio? Ipſius nimirum *electionis reprobatione*, & ipſius *gratiæ reditu in ingratiam*. Quintus --- ſed reprimo me: nam de Biddelli noſtratis erroribus, horrendíſq; blaſphemiis tacere præſtat, quàm pauca dicere. Sin autem hujuſce ſeculi *Borboritas* & *Gnoſticos*, ſi *Quærentes*, *Trementes*, alióſque fanaticos oratione proſequi vellem; non ad clepſydram modò, ſed & ad amphoram querimonia noſtra protraheretur.

Cap. II.

In quo graſſantis in Anglia Heterodoxiæ origo, & cauſæ ſpeciales declarantur.

Errorum hodiernorum cauſa ſpecialis 1ª *veteris philoſophiæ admiratio. Hiſtorica parabola* Sect. 1. *Notati ſcholaſtici & Pelagiani unà cum quibuſdam patribus. De Platonica philoſophia* Auguſtini, *De Ariſtotelica* Janſenii *Cenſura* Sect. 2. *Philoſophia ancillans, & imperans. Huic* Melancthon & Lutherus *ſuccenſere*, Caſtellio *favere viſus eſt* Sect. 3. 2ª Scepticiſmi *reſurrectio. Illius impugnatores* Seneca, Cicero, Auguſtinus, Lutherus & Altingius; *propugnatores Remonſtrantes &* Carteſius Sect. 4. 3ª *Licentia prophetandi. Perpenſus à* Calvino & Luthero *Jeremiæ locus cap*. 21. v. 21. 32. Hieronymi Bernardi & Petri Bleſenſis *querimoniæ* Sect. 5. Epiſcopius & Theophilus Nicolaides *mediatam miſſionem impugnant.*

pugnant. Locus Rom. 10. 13, 14, 15. *explicatus & vindicatus. Presbyterorum in* nova Anglia *circa licentiam prophetandi sententia* Sect. 6. *Circa libertatem concionandi quatuor theses orthodoxæ* Sect. 7. 4ª. *Temeraria S. Spiritûs arrogatio. notati veteres quidam hæretici, laudati scriptores reformati* Sect. 8. 5ª *Institutionis Catecheticæ vilipendium.* Valentiniani φλυαρία. Lutheri *&* Parei *mens* Sect. 9. 6ª *Disciplinæ Ecclesiasticæ desuetudo. Illius in Ecclesia primitiva vigor, sub Papatu corruptela, post factam reformationem imperfectio, tum in* Germania, *tum in* Anglia *sub Episcoporum regimine; status eo cessante.* Bucholceri *votum, & querela* Sect. 10. 7ª *Quæstionis de potestate circa sacra Christiano magistratui competente sequior determinatio. Sententia* Thomæ Hobbes *in excessu peccans, proposita & rejecta: Aliorum in defectu errantium opinio refutata.*

§ I. COgitanti verò de malorum apud nos tantorum origine, præter causas errorum communes (quas hîc prætereo) divinam scilicet permissionem, deceptionem diabolicam, & humanæ naturæ depravationem; se mihi statim obtulerunt septem aliæ, quæ influxu suo speciali, illi de quo questi sumus diluvio incrementi plurimum attulisse videantur.

1ª *Nimia Philosophiæ veteris admiratio.* Apud Philippum *Camerarium* in subcisivis occurrit Historica narratio, quæ si vertatur in parabolam, rerum nostrarum quasi faciem in se depictam vivis coloribus exhibebit. *Camerar. meditat. histor. cent. 1 cap. 69. p. 309.*

Duobus Regibus, huic *Angliæ*, illi *Galliæ*, postquam

utrinq; copias ſuas in aciem produxerant, jamjam prælium inituri, viſum eſt experiri colloquio, an abſque ſanguine tranſigi res inter ipſos poſſet. Itum eſt ab armatis, ſed ſolis, in vetus ſacellum, quod utriq; exercitui fuit ob oculos; ipſorum interea familiaribus, quos pari ſecum numero armatos aſſumpſerant, ad oſtium ſacelli excubias agentibus. De induciis amicè conventum eſt, ad ſuos reditum meditantur. Ecce autem ſerpentem è latebris inopinatò prodeuntem, & ſibilis Reges adorientem. Illi repente gladios ſtringunt, quò ſibi meliùs caverent à colubro, ſéque foras proripiunt. Excubitores rati ſimultatem inter principes recruduiſſe, ſuos etiam enſes apparant quaſi conflicturi: Quod cùm vidit uterque exercitus, qui non procul in acie ſtabant, quaſi ſigno dato, pugnam ineunt, & nequicquam prohibentibus Regibus, tanto furore manus conſerunt, ut multa ſtatim millia ceciderint. Sic aliquoties habita ſunt in diverſis terrarum oris, atque hîc etiam apud noſtrates pia colloquia, quæ ſpem bonis aliquam pacis in negotio Religionis præ ſe tulerunt ſæpenumero. Sed antiquus ille Serpens nunquam non nouis diſſidiis anſam præbuit. Vetus ſacellum unde prodire ſolitus eſt, quidni ſit moralis veterum philoſophia? De qua tempeſtivè Paulus ad Coloſſenſes, *Videte nè quis ſit, qui vos deprædetur per philoſophiam.* Illos ego veteres intelligo, qui de labe primigenia minùs edocti ubique crepant τὸ αὐτεξούσιον, τὰ ἐφ᾽ ἡμῖν, vires naturæ, rationis, arbitrii, & id genus alia in veritatis revelatæ præjudicium. Horum decempedâ, teſte *Scaligero*, nonnulli Theologi noſtræ Religionis immenſos agros metiri ſe poſſe ſibi perſuaſere. De quibus rotundè Laurentius Valla, *Ità* inquit, *exiſtimo nullum vehementiorem philoſophiæ admiratorem poſſe Deo placere.* Deperire profectò viſus eſt *Epicurum Gaſſendus, Platonem Ficinus, Senecam Lipſius, Ariſtotelem Hermolaus Barbarus*, de quo ſuprà.

De ſubtilit. exercit. 365. § 3.
In tractatu quodam ſuo de libero arbitrio.

§ II. Mitto ſcholaſticos, qui Græcorum philoſophiam ut *Equum Trojanum* magno conatu in urbem Eccleſiæ introduxerunt, unde urbis everſio ſecuta eſt. Utinam patres

ad unum omnes immunes fuissent ab ista porrigine! Sed & ex iis nonnulli sunt, qui pro ea, qua imbuti fuerunt adolescentes in scholis ethnicorum, philosophiâ naturæ viribus plùs æquo tribuunt; ut ipsi fatentur Pontificii, inter alios *Sixtus Senensis & Toletus Cardinalis*. Audiamus si placet *Maldonatum* in sextum Joannis ità monentem; caveat Lector, si *Chrysostomum* in hunc locum legat, nè in Pelagianorum hæresin incidat. Illis autem hæreticis quid in usu fuerit, si quis ignoret, docebit eum hisce verbis Bradwardinus, *Antiqui Pelagiani ventoso nomine secularium scientiarum inflati, Consistorium Theologicum contemnentes, philosophicum flagitabant*. Ità & moderni in Anglia nostra stabulantes. Quod observavit *Bradwardinus* multò antè subolebat *Augustino*, qui proinde in ipso ferè limine Retractationum detrahit philosophis, quæ impenderat priùs encomia. *Laus*, inquit, *ista, quâ Platonem & Platonicos tantùm extuli, quantùm impios homines non oportuit, non immeritò mihi displicuit, præsertim quorum contra errores magnos defendenda est Christiana doctrina*. Pari, si non majori impetu fertur adversùs Aristotelem *Jansenius Iprensis*, qui sic intonat. *Desinat hic obstrepere Aristotelica philosophia, quæ in ista causa cum Pelagio atque Juliano plenis buccis eam crepante, damnata est. Neque enim aliud est quicquam hæresis Pelagiana de gratia & libero Arbitrio, quàm pura puta Aristotelica philosophia. Quid verò Aristoteles vel quisquam alius Gentilis philosophus de gratia in ipsam voluntatem operante vel audivit unquam vel suspicari potuit? Quid de Arbitrii infirmitate, de plagis illis horrendis, propter quas solas Christi gratia necessaria est, illi cogitare potuerunt?* Concludit tandem, *nihil magis in hoc argumento suspectum esse debere quàm Aristotelicam philosophiam, cujus solius armis instructus Julianus & Pelagius libertatem humani arbitrii defenderunt*.

Apud *Lucium* in Histor. Jesuitica p. 216.

De causa Dei in præfatione.

Retractat. l. 1. cap. 1.

In præfat. ad librum sextum *Augustin.* sui, qui est de gratia Christi Salvat. p. mihi 255.

§ III. Hæc autem, Lector, nec ab eis opinor, dicta sunt, nec à me certè recitata, ut sanæ quicquam philosophiæ derogetur. Absit ut illi, quas meretur laudes, invideam.

Quin emineat per me licet, imò fulgeat in orbe suo, Naturali scilicet & Civili; *illa se jactet in aula*, modò Regiam Theologiæ non invadat. Contentus sit iste *Reuben* proprio thalamo, Patris sui cubilia non conscendat, nè deperdat excellentiam. Egregiè Clemens Alexandrinus, *Philosophia Theologiæ se submittat, ut Agar Saræ. Patiatur se admoneri & corrigi: sin minùs pareat, ejice Ancillam.* Me quod attinet, ancillantem amplector, si quis alius, sed odi imperantem philosophiam. Oderunt etiam reformatæ Religionis antesignani. *Philippus Melancthon* (si *Bellarmino* ista citanti fides sit) *Sensim*, inquit, *irrepsit philosophia in Christianismum. Usurpata est vox liberi arbitrii à divinis literis, à sensu & judicio spiritûs alienissima. Additum est è Platone vocabulum rationis æquè perniciosum. Aristotelem pro Christo nunc dierum sumus amplexi; utì statim post Ecclesiæ auspicia per Platonicam Philosophiam Christiana doctrina labefactabatur.* Philippo σύγχρονος *Lutherus* magna cum emphasi, *Expostulant viri excellentes ingenio, ut Deus agat jure humano, & faciat quod ipsis rectum videtur, aut Deus esse desinat. Nihil illi profuerint secreta majestatis; rationem reddat quare sit Deus, aut quare velit, aut faciat quod nullam speciem justitiæ habeat. Caro non dignatur Deum gloriâ tantâ, ut credat justum esse & bonum, quod suprà & ultrà dicit & facit, quàm definivit codex Justiniani, vel quintus liber Ethicorum Aristotelis.* Hæc ille Phosphorus redeuntis evangelii. Quid verò Sociniani, quid Remonstrantes hoc in apice statuant, notius est quàm ut opus sit indigitamentis. Audiatur pro omnibus unus *Castellio*, qui *de prædestinatione & libero arbitrio vulgus hominum ait meliùs & saniùs sentire, quàm literatos; quoniam illiterati sequuntur rationis & sensuum judicium.* O bellos judices! ô præclaras normas ad quas exigatur Christiana Religio!

Stromat. lib. 1.

Bellarm. in præfat. ad lib. de gratia & libero arbitrio.

De servo arbitrio c. 173. edit. *Kimedontianæ.*

Castellio. præfat. in suos Dialog.

§ IV. 2ª *Scepticismi resurrectio.* Floruit inter philosophos *Pyrrho*, qui professus est circa res omnes & singulas (utì apud Laertium videre est) ἀκαταληψίαν & ἐποχήν. De illius asseclis hæc habet *Seneca*, eos conferens cum aliis qui superflua docuerunt.

In vita *Pyrrhonis.* *Senec.* epist. 88. circa finem.

cuerunt. *Illi non profuturam scientiam tradunt, hi spem omnis scientiæ eripiunt. Satiùs est supervacua scire, quàm nihil. Illi non præferunt lumen, hi oculos mihi effodiunt. Non facilè dixerim utrùm magìs irascar illis qui nos nihil scire voluerunt, an istis qui nè hoc quidem nobis reliquerunt, nihil scire.* Credideram ego scepticismum hunc sive Pyrrhonismum (quem etiam amplexi sunt philosophi quos Academicos appellabant) jamdudum verè mortuum fuisse, & sepulchro conditum; ex eo scilicet quo prodierunt libri *Ciceronis* primùm, dein etiam *Augustini* adversùs *Academicos*. Sed eam nuper resuscitâsse videantur inter Theologos *Remonstrantes Belgici*, quorum hæc verba sunt, *Theologiæ ipsius anima suffocatur atque eliditur ubi decisiones fiunt, quibus constanter firmitérque hærendum est*. Inter Philosophos Cartesiani, quorum præ-
" ceptor *Renatus Des-Cartes* in principiis philosophiæ suæ
" statim ab initio utilissimum esse tradit, ut semel in vita de
" iis omnibus studeamus dubitare, in quibus vel minimam
" incertitudinis suspicionem reperiemus. Quin & illa de
" quibus dubitavimus utile, inquit, erit habere pro falsis, ut
" tantò clariùs quidnam certissimum, & cognitu facillimum
" sit, inveniamus. Annon parùm abesse videntur (etsi per omnia non consentiant) hujusmodi effata à veteris scepticismi genio, cujus cultores dum nihil scire aut pro vero statuere professi sunt, sed intra probabilitatis cancellos se continere, *Andabatarum* more semper in tenebris ínque dubitandi caligine palpitârunt? Articulis profectò fidei talis σκέψις ex diametro repugnat, & ad opinionum prodigia viam sternit. Scripserat *Erasmus* in exordio Diatribæ de libero arbitrio, *se adeò non delectari assertionibus, ut facilè in Scepticorum sententiam pedibus discessurus sit, ubicunque per divinarum scripturarum inviolabilem authoritatem, & Ecclesiæ decreta liceat*. Quid ad ista Lutherus? qui profiteri solitus est se *de illa quam vulgavit doctrina, certum adeò fuisse, ut eam judicio Angelorum nollet submittere, quoniam per eam cum hominibus etiam Angelos esset judicaturus*. Is in sua ad Erasmum responsione,

Apolog. suæ fol.7. in examine censuræ præfationis Leidensium.

Joh. Læti compend. univers. histor. p. 535.

De servo arbitrio cap 4. sponsione, *Absint*, inquit, *à nobis Christianis Sceptici & Academici; adsint verò vel ipsis Stoicis bis pertinaciores assertores. Tolle assertiones, & Christianismum sustulisti.* Hæc ille. Ego certè valde vereor, nè quod prædixit *Henricus Altingius*, Problem. Theolog. part. 1. p. 17. *Theologia sceptica tandem exeat in Atheismum*: certus interim eam apud nimiùm multos nimiùm altas radices egisse.

§ V. 3ª *Licentia prophetandi.* Expectemus licet uberem errorum messem, ubicunque licitum est cuilibet volenti sementem facere. Cap. 23. v. 21. Dominus apud Jeremiam, *Non mittebam prophetas & ipsi currebant; non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* In quem locum Calvinus, *Ubicunque est Ecclesia ritè constituta, illic nemo debet sese ingerere ad munus propheticum vel pastorale, etiamsi omnes Angelos æquaret sanctimoniâ.* Attendas velim Lector, ad ea quæ non longè pòst sequuntur apud prophetam, Ibid. vers. 32. *Cùm ego non miserim eos, neque præciperem eis, & omnino non prosint populo huic, dictum Jehova.* Quæ verba *Lutherum* usque adeò commoverunt, ut ità scripserit in suo super epistolam ad Galatas commentario (non illo qui extat inter ejus opera in folio, sed alio quodam ipsius ex prælectionibus collecto, & ipso approbante seorsim edito Wittemberg. Anno Dom. 1535; postea verò in linguam Anglicanam verso) non procul ab exordio; *Vocatio mediata per hominem fit, & tamen divina est. Atque hæc est generalis post Apostolos vocatio in orbe terrarum. Neque est mutanda, sed magni facienda propter sectarios nostros, qui eam contemnunt, & jactant aliam, quâ à Spiritu se impelli dicunt ad docendum: sed mentiuntur impostores, impelluntur quidem à spiritu non bono, sed maligno;* & paulò pòst, *Non satis est habere verbum & puram doctrinam; oportet etiam ut vocatio certa sit; sine qua qui ingreditur, ad mactandum & perdendum venit. Nunquam enim fortunat Deus laborem eorum, qui non sunt vocati; & quanquam quædam salutaria afferunt, tamen nihil ædificant.* Hæc ille satis, fortè satis superque ferventer.

Utinam verò itum fuisset opportunè, vel quamprimùm eatur obviàm huic malo in nostra Britannia! ità ut præscindatur

datur deinceps occasio renovandi querimoniam illam Hieronymi, *Heri Catechumeni hodie sunt episcopi: heri philosophi, hodie, cùm vix ex Aristotelis sinu prolapsi sunt, ad episcopatûs dignitatem evehuntur. Docent Scripturas quas non intelligunt, priùs imperitorum magistri quàm doctorum discipuli.* Illam Bernardi, *si sapis, concham te exhibebis, & non canalem. Hic quidem penè simul recipit & refundit; illa verò donec impleatur expectat, & si quod superabundat, sine suo damno communicat. Verùm canales multos hodie habemus in Ecclesia, conchas verò perpaucas. Tantæ charitatis sunt, ut antè effundere quàm infundi velint; loqui quàm audire paratiores, & prompti docere quod non didicerunt.* Illam denique Petri Blesensis, *Hodie per fas & nefas currunt infelices ad pastoralem cathedram, nec attendunt quòd sit iis cathedra pestilentiæ, dum sibi & aliis occasio sint ruinæ.*

Serm. 18. in Cantic.

Epist. 12.

§ VI. Istum interim concionandi pruritum nostratibus "affricuisse videntur è Belgio Remonstrantes, inter quos "*Episcopius* concludit, fas licitúmque esse homini Christia-"no quovis tempore verbum divinum docere, si ad docen-"dum idoneus sit, & qui doceri volunt id seriò & obnixè "postulant. Et Anabaptistæ, qui (teste *Zanchio*) tuentur li-"cere cuique sese ad ministerium obtrudere, functionésque "ecclesiasticas usurpare, modò sentiat se à Spiritu, ut lo-"quuntur, vocari. E *Germania*, *Weigeliani*, qui apud *Crotium* multis argumentis contendunt, sed perquam futilibus, mediatè vocatos prædicare non posse res divinas, & Christum crucifixum. E *Polonia Sociniani*, è quibus *Theophilus Nicolaides*, postquam quæstionem ità formâsset, An liceat docere absque missione, hoc est, an absque antegressa humana vocatione, & licentia ab aliis data (quam mediatam missionem appellant) liceat ei, qui ad docendum alios aptus est, & vitæ inculpatæ, alios docere Christi Evangelium? *Notandum*, inquit, *hic imprimis illud est*, *Nullam missionem quæ ab hominibus proficiscatur, sive mediatam dari; & missionem non esse necessariam ad ministrum constituendum.* Sic illi; sed Apo-

Thes. privat. Disput. 26. thes. 5.

In quartum præcept. columnn. mihi 768.

Anti-Weigel. part. altera c.2.quæst. 1.

In refut tract. de Ecclesia & ministror. p. 97. & p.105.

ſtolo refragante, cujus admodum clara ſunt ad Romanos verba, & radiis quaſi ſolaribus ſcripta, *Quiſquis invocaverit nomen Domini ſervabitur. Quomodo invocabunt eum in quem non crediderint? quomodo credent ei de quo non audierunt? quomodo audient abſque prædicante? quomodo autem prædicabunt niſi miſſi fuerint?* Ubi neceſſaria ſtatuitur ad ſalutem Dei invocatio, ad Dei invocationem fides, ad fidem verbi auditio, ad verbi auditionem prædicatio, & ad prædicationem miſſio; in via ſcilicet ordinaria. Aliàs enim extra ordinem fieri poteſt, ut cum fructu prædicet qui non eſt miſſus; ſicut interdum ex providentia ſingulari ſurdus credit abſque auditu.

Cap. 10. p. 13, 14, 15.

Sociniani pro ſuo acumine, quod nullibi ſubtilius eſt quàm in Scripturis eludendis, & qui illorum arant vitulâ Remonſtrantes, ità ſolent reſpondere, fuiſſe quidem miſſionem Apoſtolis neceſſariam, de quibus hîc loquitur Paulus; quoniam illis prædicanda erat doctrina nova & priùs inaudita; non autem expectandam ab iis Miniſtris, quibus in officio poſitum eſt non novi quid annuntiare, ſed ea ſolummodo quæ Apoſtoli tradiderunt. Valeat per me licet reſponſio quoad *immediatam miſſionem*, de qua minimè contenditur. Sin autem adhibeatur ad negationem *mediatæ*, ut pateſcat hujus effugii vanitas & φλυαρία, dico 1°, Socinianis ſaltem Doctoribus Arminianíſque, quin & eis ferè omnibus qui nunc dierum invadunt paſtoralem cathedram, & ſuggeſtum occupant non vocati; neceſſariam eſſe miſſionem ex conceſſis, utpote novam plerumque doctrinam prædicantibus, ipſis etiam Apoſtolis inauditam; puta de Chriſto ψιλῷ ἀνθρώπῳ, de remiſſione peccatorum abſque ſatisfactione Deo præſtita, de ſcientia media, de ſanctorum apoſtaſia finali, unà cum mille portentis aliis. 2°, Legatos & Caduceatores, (à quorum miniſterio metaphoram ſuam hoc in loco Paulus mutuatur, quíque κήρυκες audiebant) etiam eos qui non nova proponunt fœdera, ſed inſtaurant antiqua ab aliis antehac propoſita, opus habere delegatione; quin & læſæ majeſtatis

Catechiſm. Raccovienſ. in cap. de regimine Eccleſ. *Theoph. Nicolaid.* paſſim. *Epiſcop.* theſ. privat. diſp. 26. theſ. 2, & 3.

tis

tis reos esse, si vel ad hasce legationes obeundas ausi sint currere priusquam mittantur. 3° Facillimum esse Reformatarum Ecclesiarum testimonia, quibus externæ missionis necessitas suffulciatur, è suis quæ extant confessionibus, non modio vel trimodio, sed toto, quod aiunt, horreo Lectoribus emetiri: me tamen impræsentiarum nihil aliud producere velle præter suffragium Ecclesiarum in *nova Anglia* militantium, quod eò quidem facio libentiùs; quia fortè sunt qui credunt, fratres illic nostros, jure nobis dilectissimos, contrariæ sententiæ nimis favere. Scripsit ante novennium *Joannes Nortonus* minister Ecclesiæ Novanglicanæ, quæ est *Ipsuici*, suasu compresbyterorum, qui suo etiam calculo librum ipsius approbârunt, responsionem ad *Apollonium*, in qua leguntur hæc ipsissima verba, *Institutum aliquod Christi ordinans fratrem privatum, nullo ecclesiastico munere gaudentem, habere ordinariam & statis (licèt occasionaliter) vicibus fixam verbum prædicandi potestatem coram toto cœtu, in Ecclesia sufficienti ministerio instructa, nondum ex Scripturis didicimus, nedum credimus.* Pag. 124

§ VII. Cæterùm nè, dum impugnatur prophetandi licentia, libertas ædificandi prodatur; & ut in isthoc apice theologiæ, nunc in triviis agitato, quid tenendum sit appareat: Libet genuinum controversiæ statum proponere, deinde verò per aliquot theses quid ego saltem sentiam in medium producere, & si viris cordatis minimè placeat, in medio relinquere. Quæstionis nucleus est, *Utrùm non-ordinatis licitum sit publicè & ordinariè Scripturas exponere & applicare?* Intelligimus autem per non-ordinatos eos omnes, qui nondum adepti sunt solennem aliquam separationem ad ministerium verbi & sacramentorum, ab eis factam quorum interest, præeunte examine.

Thesium prima sit, *Non-ordinatis de præsenti, modò ordinandi sint de futuro, licet publicè Scripturas exponere & applicare; sed non ordinariè, nec pari cum ordinatis jure.* Hoc est, possunt filii prophetarum, qui in spem & usum Ecclesiæ

adolescunt; possunt ministerii candidati, quorum studia & conatus universi eò diriguntur, aliquoties ad donorum suorum explorationem & experimentum, in ordine ad capessendum officium Pastoris evangelici, publicè conciones habere. Istiusmodi enim *Expectantes*, prout alicubi vocantur, licèt non actualiter & realiter ministri sint, sunt tamen virtualiter, dispositivè, & in potentia, quod aiunt, proxima. Quin & hæc quasi progymnasmata tum ipsos reddunt habiliores ad Ecclesiastica ministeria, tum eos, à quibus deinceps ordinandi sunt, instructiores, nè (quod prohibet Paulus) alicui manus imponant temere. Verùm an hoc ordinariè faciendum sit statis vicibus, in stato cœtu, viderint alii; Esto, possint, utì dictum est, aliquoties (addam si placet, multoties) idque publicè concionari; haud indè sequetur posse eos per biennium, triennium, quadriennium (utì nuper à nonnullis factum novimus) Ecclesiæ certè præesse, & ab ea duplicem istum honorem recipere, qui debetur presbyteris in verbo & doctrina laborantibus, cùm ipsi nondum presbyteri sint. Quod de juris imparitate dictum est, patebit illico ex quadruplici differentia, quæ assignari meritò poterit intrà fratrem adhuc privatum (utut donis eximiis cumulatum) & Ministrum Evangelii ritè constitutum. Ille siquidem docet *ex debito communis charitatis*, *& fraterni amoris:* hic ex *debito specialis officii*, *& cum authoritate paterna.* Ille sic concionatur, *ut prosit* quidem, sed *non ut præsit* auditoribus: hic ità *ut prosit simul & præsit*, secundùm illud ad
1 Thess. 5.12. Thessalonicenses, *Rogamus, fratres, ut agnoscatis eos qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & admonent*
Hebr. 13. 17. *vos.* Illud etiam ad Hebræos, *parete* τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν, *ductoribus sive præpositis vestris, & obsecunditate: Excubant enim ipsi pro animabus vestris, tanquam rationem reddituri.* Illi licet utcunque verbum Dei prædicare; sed non baptismum aut cœnam administrare; quod ex adversariis plerique libenter concedunt: huic utrumque licitum est. Illi denique competunt promissa quædam generalia, quibus excitantur

Christiani

Christiani ad opera mutuæ charitatis: Huic illa promissio specialis, *Ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*, à Christo facta, non Apostolis solùm (neq; enim illis datum est ad consummationem usque seculi superesse) sed & eorum ex officio successoribus in opere pastorali. Matth.28.ult.

Sequitur secunda thesis, *Non-ordinatis de præsenti, nec de futuro ordinandis licet ordinariè Scripturas exponere & applicare; sed non publicè.* Licet, inquam, ordinariè, modò fiat privatim, juxta præcepta, *Erunt verba ista, quæ ego præcipio tibi hodie* (toti scilicet Israeli) *in corde tuo; eáque acutè ingeres filiis tuis, ac loquèris de eis cùm sedes domi tuæ, & cùm ambulas per viam, quum cubas & quum surgis.* Item, *Adhortamini alii alios, & ædificate singuli singulos, sicut & facitis.* Incumbit unicuique talentum sibi creditum, intra sphæram vocationis propriæ, ad suorum in fide & bonis moribus profectum diligenter impendere. Esto quilibet episcopus in domo sua, modò non sit foris ἀλλοτριοεπίσκοπος. Idem in cathedra pastorali siquis fecerit absque legitima missione, quod ipsi liceret intra privatas suas ædes, perinde esset, ac si hero insalutato in domum viri nobilis irrumperet, arreptis clavibus, sui quémque officii admoneret, & rem familiarem instar œconomi ausu proprio administraret; vel invito patrefamilias. Succedit tertia, *In Ecclesia, sive nondum constitutâ, sive adeò dissipatâ, vel collapsa, ut desint pastores, & nulla supersit legitimæ ordinationis ratio; licita est pro tempore fratribus privatis, quibus dona largitus est Dominus, Scripturarum publica simul & ordinaria tum expositio, tum applicatio, non habitâ quidem, sed non posthabitâ ordinatione.* Ratio est, quia *jus divinum positivum rituale cedit juri morali, cùm necessitas id exigit*; de qua verè dicitur, *Necessitas quos cogit, defendit.* Hanc *Fulco* noster vir clarissimus vocationem appellat providentiæ. Quid in istiusmodi casu factum sit ab *Ædisimo* & *Frumentio*, qui apud Indos, ubi nullo tunc munere ecclesiastico functi sunt, cœtus publicos convocârunt, & divina mysteria obierunt; quid à captiva illa muliere, quæ fertur

Deut.6.6, 7.

1 Thess.5.11.

Advers. Rhemenses in Roman. 10. 14.

Vide Theod. lib. 1.cap.23.

Iberos ad agnitionem Christianæ religionis perduxisse satis, opinor, innotescit. Sola jam superest quarta. *In Ecclesia ritè instituta & bene valente, non-ordinatis publicè & ordinariè Scripturas exponere & applicare non licet.* Ideo verò non licet, quia deest illis utraque missio, tum immediata, quam sibi non ausi sunt vendicare, utpote donis miraculorum, & linguarum destituti; tum mediata, ad quam requiruntur ista duo, δυνάμις & ἐξουσία (quas interdum separari vel indè constat, quoniam mulieribus esse potest *in labiis lex Dei*, quibus tamen *in Ecclesia docere non permittitur)* priorem supplet collatio donorum, posteriorem omnibus numeris absolutam sola confert ordinatio: ex utraque conflatur missio. In voto desinam. Hodiernis cathedræ pastoralis invasoribus, utinam nunquam applicari merito possint verba *Cypriani* de Novatianis, uti conjecturam facit *Rigaltius! Hi sunt qui se ultrò apud temerarios convenas sine divina dispositione præficiunt, qui se propositos sine ulla ordinationis lege constituunt; sedentes in pestilentiæ cathedra, pestes & lues fidei, serpentis ore fallentes, & corrumpendæ veritatis artifices, venena lethalia linguis pestiferis evomentes, quorum sermo ut cancer serpit*, &c.

Prov. 31. 26. 1 Tim. 2. 12. 1 Cor. 14 34.

Observat. ad *Cyprianum* pag. 165. *Cyprian.* de unitate Eccles. Edit. Paris. A. 1648. p. 110.

§ VIII. 4o. *Temeraria sancti Spiritûs arrogatio.* Sub veteri testamento eminuit promissio Dei de Christo mittendo; sub novo, Christi promissio de mittendo Spiritu; cujus in hisce novissimis temporibus effusio copiosior expectatur. Unde sicut diabolus in illo præsertim ævo, quo carnem assumpsit Filius Dei, ingressus est & possedit mortalium corpora (prout patet ex Evangelistis), quò magis stupendum illud mysterium & miraculum Incarnationis elevaret: ità ex quo discipulis suis pollicitus est Dominus & præceptor optimus *Spiritum veritatis, qui ipsos in omnem veritatem duceret*: cœperunt etiam pseudodoctores de sancti Spiritûs manuductione gloriari; nunc autem dierum multò quàm antehac abundantiùs. *Montanum* ferunt veteres hæresiographi suos asseclas spirituales appellâsse, reliquos verò omnes

Joan. 16. 13.

omnes carnales & ψυχικοί. Antiquus scriptor *Harmenopulus*, in libro de Sectis verba faciens de *Massalianis & Euchitis* hæc habet, Ἐνθουσιασμὸν τὰς τῶν ὀνείρων φαντασίας καλοῦσι, *somniorum suorum phantasmata vocant afflatus sancti Spiritûs*. Qua de re reformati etiam theologi, suo quisque tempore questi sunt. Lutherus, *Fanatici spiritus hodie quicquid somniant, volunt esse Spiritum sanctum* Sed egregiè *Basilius dixit*, οὐ πᾶν ἐνύπνιον εὐθὺς προφητεία. Scripsit *Calvinus* tractatum eximium adversùs fanaticam & furiosam sectam Libertinorum, qui se spirituales vocant. Hic titulus est quo gaudebat liber, in cujus capite secundo *Totus*, inquit, *eorum sermo de Spiritu est, idiomate peregrino loquuntur*, &c. Bucerus *hunc*, ait, *Spiritum scilicet veritatis, non minùs hæretici, quàm orthodoxi, sibi vendicant, si non ampliùs*. Davenantius noster tres assignat proprietates impostorum, quarum ultima est, *Non modò amare & efferre doctrinas ortas ex mente sua carnali; sed ità insuper turgescere, ut habeant hæc sua somnia pro ipsius Spiritûs sancti revelationibus. Putant*, inquit, *se Spiritu repletos, cùm inani vento distenti sunt & turgidi*. In exemplum adducit Pontificios, qui in omnibus illis, quæ sine verbi authoritate obtrudunt populo Christiano, non erubescunt illud Apostolorum usurpare, *Visum est nobis & Spiritui sancto*. Me quod attinet, paratissimus sum, esse saltem debeo & conor, assurgere Paracleto, sine cujus influxu nihil sumus, nihil possumus. Illud *Elihu* apud *Jobum*, *Spiritus est in hominibus, & afflatus omnipotentis efficit eos intelligentes*, libentissimè amplector: Illud etiam Augustini, *Nolite putare quenquam hominem aliquid discere ab homine, boni scilicet. Admonere possumus per strepitum vocis nostræ; si non sit intus qui doceat, inanis fit strepitus noster. Interior magister docet, Christus docet, Inspiratio docet*. Ea tamen tempora sunt in quibus, illi homines quibuscum vivitur, ut nullus mirer, si in erroris nassam incidat quisquis usque adeò desipit, ut ad eum capiendum solum nomen sancti Spiritûs abundè sufficiat. Præclarè *Calvinus* in hæc verba Joannis, *Dilecti, nè omni spiritui credatis; sed probate*

Tom. 4. fol. 511.

Operum tom. 7. p. 433.

In Epist. ad Ephes. præfat. p. 13.

In epist. ad Coloss. c. 2. v. 18. pag. mihi 304.

Job. 32. 8.

Tractat. 3. in epist. Joannis.

1 Epist. 4. 1.

bate spiritus, an ex Deo sint; quia multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. Poterat Apostolus dicere, non esse quibusvis hominibus credendum: sed quoniam falsi doctores Spiritûs titulum mentiebantur, eum sic ipsis relinquit, ut simul admoneat frivolum ac nugatorium esse, nisi reipsâ exhibeant quod profitentur; Stultos verò esse, qui ad solum honorifici tituli strepitum attoniti, de re inquirere non audent.

Analys. de Eccles. p. 205.

§ IX. 5° *Institutionis Catecheticæ vilipendium*, Narrat & laudat *Gregorius de Valentia* consilium mercatoris cujusdam *Placentini*, qui ità ratiocinatus est: Mecum sic statuo, velle me pontificiam potiùs quàm Lutheranam Religionem amplecti, ob id imprimis, quia illic compendio quodam discere possum veritatem, videlicet si aio quod ait Pontifex, nego quod negat Pontifex. Hîc verò, si Lutheranus vellem fieri, *Catechismus mihi discendus, & Scriptura scrutanda esset*, quod equidem facere non possum, cùm potiùs Italicæ naves mihi observandæ, & transmarinæ merces investigandæ sint. Addit Valentianus, *Deum omnino nihil habiturum, quod in tremendo illo judicio ei opponere possit.* Aín' vero Jesuita? Num institoribus æquè convenit ac carbonariis fides implicita? Nihílne peccavit mercator tuus pontificem in Christi locum surrogando? Nihil in eo quòd Catechismum, imò quòd ipsas sacras literas Italicis navibus mercibúsque posthabuerit? Ignosce nobis Transalpinis, si de Scriptura reverentiùs, de Catechismis magìs honestè sentiamus.

Ibid. p. 207.

Quanquam sunt etiam inter nostrates nonnulli, *Theologiæ* quam vocant, *liberæ* professores, quibus synopses, medullæ, systemata, confessiones & id genus alia planè sordescunt, quíque solent statuere proletariam esse religionem, quæ peti possit è catechismis triobularibus. Verùm alia longè mens erat *Martino Luthero*, qui in epistola quadam ad Wolfangum Fabritium Capitonem Anno Dom. 1539 ità scripsit, "de tomis meorum librorum disponendis ego frigidior sum "& segnior; eò quòd Saturninâ fame percitus magìs cupe- "rem

Teste *Zanchio* in lib. 3. miscellan. & *Wendelin.* in.

" rem omnes devoratos: nullum enim agnosco meum ju-
" stum librum nisi fortè de servo Arbitrio, & Catechismum. Alia *Davidi Pareo.* Is cùm corpori doctrinæ orthodoxæ ab Ursino præceptore traditæ ultimam manum imposuisset, non absque lætissimo cordis motu, *Nunc,* aiebat, *Domine sine abire servum tuum in pace; quia quod volui, feci.* Imò datis ad Philippum filium literis ità de se testatus est venerandus senex septimo ante obitum mense, *Verè confirmo post sancta biblia vix alium librum frequentiùs me manibus trivisse, quàm hunc thesaurum Catecheticum; præ quo omnes lucubrationes meas alias vix cassæ nucis æstimo.* Saburra profectò mentis est (siquid ego sapiam) doctrina Catechetica, ideóque ab illis serio penitúsque imbibenda, qui fluctuare nollent, & circumferri quovis vento doctrinæ, in hominum alea per veteratoriam ad artificiosè fallendum versutiam, utì satìs quidem operosè, sed & satìs emphaticè Pauli verba ad Ephesios reddit *Beza.*

Teste Philip. Pareo in vita patris sui.

Ephes. 4. 14.

Minimè hîc prætereunda nobis sunt elogia, quæ magni viri tribuerunt parvo cuidam *Lutheri* catechismo Germanico. D. *Selneccerus* in eo *tot res quot verba, tot utilitates quot apices contineri dixit.* Eum D. *Antonius Probus* Superintendens Vinariensis hisce versiculis insignivit,

Viva Dei digito signata in corde Lutheri
Iste Catechismi verba libellus habet.
Scripturæ succus latet hîc, mel dulce, medulla;
Plùs ea sex mundis gemmula mille valet.

Ap. *David Majorum* in Jubilæo Evangelico. pag. 92.

§ X. 6° *Disciplinæ ecclesiasticæ desuetudo.* Ex illo Pauli elogio, *Laudo vos, fratres, quòd omnia mea meministis, & sicut tradidi vobis, traditiones retinetis;* proclive est colligere, quantùm viguerit apud primævos Christianos Ecclesiastica disciplina, cùm certum sit Apostolum multa eò spectantia præcepisse, quoad falsos imprimis doctores, qualia sunt, *Precor vos fratres ut observetis dissidiorum, & offendiculorum auctores contra doctrinam, quam didicistis; et declinetis ab iis: Hæreticum hominem post unam et alteram admonitionem repelle,* & alia plurima.

1 Cor. 11. 2.

Rom. 16 17.
Tit. 3. 10.

rima. Sub Papatu miserè fœdata est, & versa in rem pecuniariam, utì fatetur *Antonius de Dominis* Archiepiscopus Spalatensis, *Claves*, inquit, *regni cælorum in claves arcarum et scriniorum commutavimus*. Reformatio Germanica quantùm abfuerit à disciplinæ puritate, testantur literæ *Zachariæ Ursini* theologi consummatissimi ad *Andream Stephanum* fratrum Bohemorum Antistitem datæ Anno Domini 1574 " in hæc verba, Licèt vota & studia nostra jamdudum eò " contendunt, ut aliquid melioris ordinis tandem inter nos " conspiciatur: tamen quia nomen ecclesiasticæ disciplinæ " (aliis imprudentiùs & importuniùs eam urgentibus & tra- " ctantibus, aliísque acerbiùs & sine discrimine repudianti- " bus) ità factum est odiosum, ut magna pars illud aver- " setur, atque deletum cupiat: vix etiam nomen ipsum aut " tenuem umbram disciplinæ hactenus obtinuimus. Quantùm Anglicana sub episcopatu, constat ex ea querimonia, quam ab illius ordinis viro primario D. *Lanceloto Andrews* extorsit rei ipsius veritas & evidentia. Is in concione ad clerum habita Anno Dom. 1593 sic alloquitur præsules & presbyteros in Synodo provinciali congregatos. *Omnium abusuum medicina abusus ipsa est. Censura scilicet ecclesiastica. Vos quæso attendite, et medicinam apponite medicinæ vestræ. Quæ enim ad scelera profliganda data sunt, flagellum Christi et claves Petri, solam jam crumenam pulsant: ad scelera verò et flagellum Christi funiculis exarmatum, et claves Petri rubiginosæ jam sunt; nisi vos flagello funiculos novos, novum clavibus splendorem attentione vestrâ inducatis*. Post exauctoratam Episcoporum prælaturam, ecclesiam hanc nostram disciplina, ut Æneam olim uxor Creüsa,

De Repub. Eccles. lib. 5. c.7. parag. 86.

Opuscul.posthum.pag.41.

—Lacrymantem et multa volentem
Dicere deseruit, tenuésque recessit in auras.

Sæpius quidem Cœtus ille presbyterorum qui Westmonasterii paucis abhinc annis convenerat ex mandato Ordinum, utriusq; scilicet Domûs Parliamentariæ, conatus est eam reducere, Verùm ut de *Ænea et Creüsa* sequitur apud Poetam,

Ter

Ter conatus ibi collo dare brachia circum;
Ter frustrà compressa manus effugit imago,
*Par levibus ventis, volucrique simillima somno.**

Sin autem verum sit quod dici solet, idem esse Religioni disciplinam quod cortex est arbori; vix fieri potest ut in tuto fides sit, ubi actum est de censuris ecclesiasticis; vel ut lupi non intrent ubi in eo statu sunt ovilia, quem ecclesiis Germanicis dolens asscripsit *Bucholcerus*. *Optarem*, inquit, *nostris ecclesiis sanctam disciplinæ ecclesiasticæ severitatem. Nostrum enim ovile, nostræ caulæ carent januis, repagulis, & seris.*

*Dicam apertè, Quæ jamdudum evilu-it, nuper evanuit disciplina.

In epistola ad F. R. quæ habetur in libro cui titulus, Ratio disciplinæ fratrum Bohemorum, p. 120.

§ XI. 7° *Quæstionis de potestate circa sacra Christiano magistratui competente sequior determinatio.* Enimvero duæ sunt ea de re extremæ sententiæ, in excessu una, in defectu altera; & erratur utrinque turpiter, tam ab illis qui magistratui in negotio Religionis concessa volunt ferè omnia, quàm ab illis qui ferè nihil attribuunt. Isti autem errores ejusmodi sunt, ut aliis multis obstetricentur. Sententiæ prioris in excessu peccantis author extitit *Thomas Hobbes Malmesburiensis.* Is in elementis philosophicis de cive ità statuit, *Possunt cives jus decernendi de modo colendi Deum in eum vel eos transferre, qui civitatis habent imperium summum; imò debent.* In illo autem libro cui titulus est *Leviathan*, " postquam interrogâsset, Quid si Rex aut Senatus, aut alia " quævis potestas summa prohibeat nos in Christum credere? & respondisset, ejusmodi prohibitionem nihil valere; " quia fides & incredulitas nunquam sequuntur mandata " hominum. Rursum quærit, num obtemperandum sit " mandato principis legitimi jubentis Christianum ore saltem profiteri se in Christum non credere? licere respondit; cùm oris professio res tantùm externa sit, modò intus " apud se in corde fidem Christi retineat. Verùm ecquid " tunc dabitur responsi ad dictum illud Salvatoris, *Si quis " me negaverit coram hominibus, eum ego negaturus sum coram patre meo qui in cælis est?* Ad hoc, inquit, dici potest, Quicquid cogitur subditus facere, ut morem gerat

Pag. 279.

pag. 271.

"suo principi, modò non faciat ex animo, sed ut legi pa-
"triæ suæ conformis sit; illa demum actio non ipsius est sed
"principis sui, nec ille est qui hoc in casu Christum negat,
"sed Rex ejus & lex terræ. Exclamem liceat cum uno pro-
Jer. 2. 12. pheta, *Obstupescite cœli super hoc, et portæ ejus desolamini ve-*
Isai. 27. 1. *hementer:* & prædicam cum altero, *Animadvertet Jehovà gladio suo durissimo maximóque et validissimo super leviathan, serpentem illum tortuosum, et eum interficiet.* Dic enim sodes amice Lector, Ecquis unquam liber ad omne genus irreligionis potentiorem januam aperuisse compertus est? Credo equidem neminem, si de eis sermo sit, qui nomen Christi præ se ferunt.

Sententiæ verò posterioris advocati præcipui fuerunt olim Pontificii, qui politicos magistratus ab omni rerum ecclesiasticarum cura immunes esse voluerunt, præter eam solam, quæ in Episcoporum decretis & sanctionibus execu-
Tom. 2. p. 496. tioni mandandis impenditur. Sic enim *Becanus* in refutatio-
"ne præfationis monitoriæ Regis Jacobi, Quid facient Re-
"ges circa Ecclesiam & Religionem? Dicam verbo. Debent
"illam tueri & defendere, non ut domini, sed ut ministri,
"neq; ut Judices, sed ut executores.

Egregiam verò laudem, et spolia ampla tulistis,

O terrarum Domini! Placet enim hujusmodi doctoribus ut vos etiam sitis Domini sui Papæ apparitores, vel, si vultis, carnifices. Illis se, aliqua saltem ex parte, socios nuper adjunxerunt alii Novatores, è schola præsertim *Weigeliana*, qui nè reformandæ quidem Ecclesiæ, nedum hæreticos quovis modo coercendi potestatem concedunt civili magistratui, etsi Christianus fuerit, & insigni pietate præditus.

1 Tim. 2. 2. § XII. Hoc autem asserunt (quod eorum pace dictum velim) contra sensum sacræ Scripturæ, mentem Augustini, praxin Ecclesiæ, & dictamen rationis. Scriptura vehementiùs orari vult à Christianis pro Regibus, & quibusvis in eminentia constitutis, quòd eorum tutelæ non honestam solùm vitam & civiliter sanctam, sed etiam piam religiosámque

sámque debeamus. Satìs innotescunt quæ circa reformationes ecclesiasticas à *Davide, Solomone, Asa, Jehosaphato, Ezechia,* & aliis *Judæ* regibus peracta sunt, & in sacris annalibus celebrata. Quin & observatu, ni fallor, dignum est, quòd in libro *Judicum*, non adulterii solùm & homicidii impunè patrati, sed cultûs etiam idololatrici impunè præstiti causa iterum atque iterum redditur eisdem verbis, *quoniam scilicet In diebus illis non fuit Rex in Israele, sed fecit quisque quod rectum videbatur in oculis suis.* Unde proclive est colligere, cives ut ab adulterio & homicidio, ità quoque ab idololatrico cultu retrahendos fuisse principis gladio, si modò tunc temporis extitisset: quandoquidem illa flagitia moralia (atq; adeò ejusdem momenti sub utroque testamento) dicuntur hîc non ob defectum sacerdotis sed principis invaluisse. Mens *Augustini* peti poterit ex duobus testimoniis luculentissimis, uno ad Bonifacium, *In hoc serviunt Domino Reges, cùm ea faciant ad serviendum illi, quæ non possunt facere nisi Reges. Ea scilicet, quæ contra jussa Domini fiunt, religiosâ severitate prohibendo atque plectendo.* Contra Cresconium, altero, *In hoc Reges, sicut eis divinitùs præcipitur, Deo serviunt in quantum reges sunt, si in suo regno bona jubeant, mala prohibeant; non sola quæ pertinent ad humanam societatem, verùm etiam quæ ad divinam Religionem.*

Judic. 17. 1. 18. 1. 19. 1.

Epist. 50.

Lib. 3. cap. 51.

Quænam Ecclesiæ praxis fuerit, ex quo datum est Imperatori *Constantino* nomen suum Christo dare, liquidò patebit ex eorum temporum monumentis. Ipse (prout testatur *Eusebius*) Episcopatum sibi vendicabat τῶν ἐκτὸς, ministros autem appellavit Episcopos τῶν ἔσω τῆς Ἐκκλησίας, id est, sacrorum, quæ in publicis oratoriis administrantur. Distinguendi siquidem sunt accuratiùs actus imperati ab elicitis. Exercentur & magistratus *imperativè* circa ea, quæ spectant ad cultum Dei immediatè; quæ tamen peraguntur *elicitivè* à solis Ministris; atque adeò potestas etiam politici gubernatoris est *objectivè* ecclesiastica. Idem *Constantinus* in epistola ad Ecclesias scripta post synodum Nicænam, *Putavi,* inquit,

In vita *Constantini* lib. 4. c. 24.

Ibid. l. 3.

inquit, *mihi ante omnia in id enitendum esse, ut in Ecclesia fides una, felicissimi populi, sincera charitas, & religio erga auctorem omnium Deum nusquam discrepans observetur.* Extat etiam Imperatoris *Justiniani* vox heroica, memoratu dignissima, *Non minor mihi cura est horum, quæ sanctissimis ecclesiis prosunt, quàm mea ipsius animæ.* Addo *Leonem* qui sic, *Res humanæ aliter tutæ esse non possunt, nisi, quæ ad divinam confessionem pertinent, & regia & sacerdotalis defendat authoritas.* Patres Concilii *Calcedonensis* hunc in modum Imperatori gratulantes, *Tu Ecclesiam correxisti, Tu orthodoxam fidem reformâsti. Julium* denique *Firmicum* ad *Constantium* & *Constantem* Augustos ità scribentem, *Vobis, sacratissimi Imperatores, ad vindicandam & puniendam idololatriam necessitas imperatur; & hoc vobis Dei summi lege præcipitur.*

Novell. 3.

Epist. 29. ad *Pulcheriam Augustam.*

Rationem quod attinet; postquam illa didicerit ex sacro codice constitutos esse magistratus, *ut terrori sint malis operibus*, hæreses autem *inter opera carnis* recenseri; statim indè colliget incumbere magistratui ex officio ut terrori sit hæreticis; nè impunitas peccati fiat illis illecebra peccandi. Quod tamen ad capitale supplicium extendi nollem (modò nudi sint hæretici) cùm ad manum leviora sint, ut docendi inhibitio, mulcta, carcer, exilium & cætera. Enimvero perplacet mihi (neque enim diffitebor) hac in re moderatio *Lutheri*, cui fervor deesse non solebat. Is ad quæstionem, *An liceat magistratui occidere pseudoprophetas*, " ità respondebat, Ego ad judicium sanguinis tardus sum, " etiam ubi meritum abundat. Tum in hac causa terret me " exempli sequela, quam in Papistis ac Antichristis & in " Judæis videmus: ubi cùm statutum fuisset pseudoprophetas & Judæos occidi, successu temporis factum est, ut " nonnisi sancti prophetæ & innocentes occiderentur, au" toritate ejus statuti, quo impii magistratus freti, pseudo" prophetas & hæreticos fecerunt quosquos voluerunt. " Idem secuturum esse timeo & apud nostros, si semel uno " exemplo licitū probari poterit seductores esse occidendos; " cùm

Rom. 13. 3. Gal. 5. 19, 20.

Tom. 2. epist. pag. 381.

"cùm adhuc apud Papistas videamus hujus statuti abusu
"innocentem sanguinem fundi pro nocente. Quare nullo
"modo possum admittere falsos doctores occidi; satis est eos
"relegari. Quâ pœnâ si posteri abuti volent, mitiùs tamen
"peccabunt, & sibi tantùm nocebunt.

Cap. III.

De veritatis in voluntate, sive sinceritatis Balteo.

Primus character veritatis exemplari suo conformitas. Sinceritatis exemplar ἀρχέτυπον *simplex Dei natura,* ἔκτυπον *Dei mens in verbo.* τύπος διδαχῆς *quid Rom.* 6.17. Sect. 1. *Secundus lucis appetentia. Illustratur locus Joann.* 3. 20, 21. εἰλικρινείας *etymologia* Sect. 2. *Tertius perpetua secum congruentia. Sinceritas semper eadem. Quartus certitudo victoriæ. Observatio ex collatione Isaiæ & Matthæi* Sect. 3. *Triplex ratio comparationis sinceritatem inter & balteum. Sinceritate suâ munitus* Paulus *&* Ezechias. *Fraus* legati *cujusdam* Persici. Epiphanii *dictum de* Constantinopoli Sect. 4. *Magna baltei inter milites, major veritatis necessitas inter Christianos.* Abrahæ *&* Balaami *collatio* Sect. 5. *Ad induendum veritatis balteum exhortatio Christianis, Anglis, Academicis specialiter adaptata.* Sect. 6.

§ I. SUccedit altera veritatis acceptio, prout sinceritatem designat; de qua Psaltes, *Ecce veritatem dilexisti.* Psal. 51.6.

Jos. 24. 14. *lexisti in intimis.* Josua, *Timete Dominum, & servite ei perfecto corde & verissimo.* Paulus, *Festum agitemus non-fer-*
1 Cor. 5. 8. *mentatis panibus* εἰλικρινείας καὶ ἀληθείας. Quatuor autem sunt veritatis characteristicæ proprietates, quæ omnes sinceritati conveniunt.

Prima, *exemplari suo conformitas.* Enimvero cujuslibet veritatis ratio formalis consistit in aliqua conformitate. Veritas rei est illius conformitas Ideæ suæ in mente divina. Verè agimus cùm opera nostra dictis & promissis conformia sunt; verè loquimur, cùm sermo respondet conceptibus; verè concipimus, cùm ità res à nobis apprehenduntur prout in seipsis sunt, & non aliter. Jam verò sinceritatis exemplar duplex est, ἀρχέτυπον & ἔκτυπον. Ipsa primùm Dei natura cùm simplicissima sit, & expers omnis compositionis (Nam ut egregiè Damascenus, *Compositio pugnæ principium, pugna separationis, separatio solutionis, solutio à Deo quàm alienissima)* Archetypum est sinceritatis Christianæ, quæ fraudem nescit, utì colligere fas est ex illo Christi de *Nathaniele* testimonio longè celeberrimo, *Ecce verè Israelita*, ἀληθῶς, *in quo dolus non est.* Deinde mens Dei in verbo revelata, quæ naturæ divinæ vivam effigiem in se continet, vocari potest exemplar Ectypum, sacro textu non renuente: renati siquidem in epistola ad Romanos *tradi dicuntur* εἰς τύπον διδαχῆς, *ex corde auscultastis ei formæ doctrinæ, in quam estis traditi.* Sicut in imagine fusili componenda metallum, quod in proplasma traditur, erit typo suo conforme; ídque sic ut si quæ typo profundiùs insculpantur lineæ, extent etiam in imagine profundiores: ità quæ altiùs imprimuntur in sacro codice, & præ aliis urgentur Dei præcepta, credendi scilicet in Jesum Christum, pœnitentiam de peccatis agendi, Deúmque & proximos diligendi, unà cum reliquis primæ, quod aiunt, magnitudinis documentis, altiores in sincero corde radices agunt. Aliter verò se res habet in hypocritis:
Matth. 23. 23. unde Salvator, *Væ*, inquit, *vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham, & anethum, & cuminum, & omit-*

Σύνθεσις ἀρχὴ μάχης, μάχη δὲ διαστάσεως, διάστασις δὲ λύσεως, λύσις δὲ ἀλλότριον Θεοῦ παντελῶς. Orthodox. fid. l. 1. cap. 4.

Joann. 1. 48.

Rom. 6. 17.

titis

titis quæ graviora sunt legis, judicium, & misericordiam ac fidem.

§ II. Secunda, *Lucis appetentia*, de qua pulchrè Tertullianus, *Nihil veritas erubescit præterquam abscondi.* Eam ponit Dominus apud Joannem, & illustrat à contrario: Verba sunt, *Quisquis quæ mala sunt agit, odit lucem, nec venit ad lucem, nè arguantur opera ipsius.* Odiosi sunt eis lychni, qui furtum meditantur, oculíque morbo affecti solares radios ferre nequeunt. Τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης (ut phrasi utamur Apostolicâ) *Quorum nox conscia sola est*, lucem sibi inimicam experiuntur, utpote quæ proditricem se, atque etiam correctricem exhibet. Rem acu tetigit *Augustinus* de non-renatis verba faciens, *Quia falli nollent, nolunt convinci quòd falsi sint. Amant veritatem lucentem, oderunt eam redarguentem.* Nec ineptè Lactantius alicubi, *Qui in vitiis sibi placent, non credent nobis, etiamsi solem manibus gestemus.* Itá se res habuit cum *Herode* aliísque Joannis Baptistæ auditoribus. *Ille erat lucerna ardens & lucens, Judæi autem voluerunt, Christo teste, ad momentùm exultare in illius luce. Quin & Herodes ipse metuebat Joannem, sciens eum esse virum justum ac sanctum, & observabat eum, auditóque eo multa faciebat, & libenter eum audiebat*, ut est apud *Marcum*: sed quamprimum lucerna hæc ardens Herodis conscientiæ flammas injicere, & mordaci illum vero cœpisset radere, statim excandescens hypocrita, prehensum Joannem vinxit, & conjecit in carcerem propter *Herodiadem* uxorem *Philippi* fratris sui. Dixerat enim illi Joannes, Non licet tibi eam habere, prout testatus est *Matthæus*. Pergit Dominus in eo, quem suprà laudavimus, loco & mox subdit. *Qui verò dat operam veritati, venit ad lucem, ut manifesta fiant opera ipsius quòd secundùm Deum facta fuerint.* Hinc sincerus apud Græcos dictus est εἰλικρινὴς, παρὰ τὸ τῇ εἵλῃ κρίνεσθαι, i. e. solis splendore dignosci & dijudicari; factâ vel ad aquilam allusione, quæ pullos probare dicitur, eósque solos pro suis agnoscere, & fovere, qui obtutu firmo spectare possunt solares radios; vel ad merces

Joann. 3. 20.
2 Cor. 4. 2.
Confess. l. 10. c. 23.
Joann. 5. 35.
Marc. 6. 20.
Cap. 14. 3, 4.

ſuſpectas, quas emptores in apricum productas ad lucem ſolarem examinare ſoliti ſunt. In more ſiquidem poſitum eſt integris corde, lucis quantum opus eſt poſcere, & precari
Pſal. 43. 3. cum Pſalte, ***Emitte lucem tuam & veritatem, ipſa deducant me.*** Imò lucem redarguentem licèt, amant tamen & libenter excipiunt. Erga *Davidem Abigail* convictricis partes egerat; illi verò quam attulit lux adeò non erat ingrata, ut
1 Samuel. 25. verſ. 32, 33. dixerit, ***Benedictus Jehova, qui miſit te, benedictum eſto conſilium, túque ipſa benedicta ſis, quæ me cohibuiſti.*** Pro coroni-
Serm. 6. n. 38. de ſit dictum nobile, quod occurrit apud Stobæum, ***Nemo honeſtis actionibus caliginem obtendit, lucem earum teſtem reformidans. Imò totum mundum ſolem eſſe optaret, erga ea, quæ præclarè agit.***

Ὅλον ἅμα τὸν κόσμον ἥλιον ἠξίωσ' πρὸς ἃ κατορθοῖ βλέποντ' ἄν.

§ III. Tertia ſit, *perpetua ſecum congruentia.* Veritati pro ſymbolo aſſignari meritò poſſunt duo illa vocabula *ſemper eadem.* Uſque enim adeò ſibi conſtat ſecundùm Logicorum filios, ut quanquam ex præmiſſis falſis concluſio interdum vera deduci poſſit; tamen ex veris ritè poſitis nihil unquam concluditur niſi verum, quod nonnulli ſic enunciant.

Ex falſis falſum, verúmque aliquando ſequetur:
Ex veris poſſunt nonniſi vera ſequi.

Itâ ſinceritas ſemper ſui ſimilis eſt. Pollens integritate Chriſtianus, ubicunque ſit, Deum ſpectat, & cum Deo converſatur; non foris ſolùm aut in templo, ſed domi etiam intra privatas ædes. Idem Pſaltes, qui in quodam cantico gra-
Pſal. 122. 1. duum, ***Lætor,*** inquit, ***de eo quod dicitur mihi, domum Jehovæ***
Pſal. 101. 2. ***adeamus;*** ſic alibi profitetur, ***Indeſinenter ambulabo in integritate animi mei intra domum meam.*** Scitè Lactantius, ***Non eſt vera religio, quæ cum templo relinquitur. Ille dolet verè*** dixit olim Martialis, ***qui ſine teſte dolet;*** Immutem liceat aliquantulum, & dicam, ***Ille colit verè qui ſine teſte colit.*** Cùm aliis plerumque pietas inſit, uti de coloribus iridis loquuntur philoſophi, οὐ κατ' ἀλήθειαν ἀλλὰ κατ' ἔμφασιν.

Quarta, *Certitudo victoriæ.* Occultatur interdum veritas, ſed

ſed nunquam ſuperatur. Utar verbis Tertulliani, *Obſcurari poteſt, quia non eſt Deus; extingui non poteſt, quoniam eſt à Deo.* Quanquam in ſolis occurrat apocryphis, ſenſum tamen præ ſe fert ſatis canonicum illa ſententia, *Magna eſt veritas & prævalebit.* Illa pariter veritas, cui nomen ſinceritatis inditum eſt, victrix tandem evadit in bello, quanquam in hoc aut illo prælio fortè ſuccumbat. Etiam extinctâ per renaſcentiam hypocriſeos flammâ, carbones ſæpe moleſti ſunt, ſed non lethales. Rex *Aſa*, tametſi ſemel prophetæ dira minitanti ſubiratus fuerit, ſeque adeò luci oppoſuit, (quod virum ſincerum minimè decuit) quanquam etiam excelſa non amovit ex Iſraele; hoc tamen adeptus eſt à Spiritu ſancto teſtimonii, *quòd animus illi fuit integer, ídque omnibus diebus ejus.* Verba prophetæ, *Ad veritatem proferet judicium,* apud Evangeliſtam ità redduntur, *uſque dum protulerit ad victoriam judicium.* Ex qua fortaſſis immutatione colligendum eſt, gratiæ veritatem, id eſt ſinceritatem, (interprete *Piſcatore*) ſemper in victoriam deſinere.

2 Chron. 16. 10.

2 Chron. 15. 17.

Iſaiæ 42. 3. Matth. 12. 20.

§ IV. Producenda jam nobis ratio eſt, quare veritas hæc militari balteo comparetur, quam ſic expedio. Non ornamento ſolùm, ut priùs, & emolumento inſervit balteus; ſed & munimento, eam corporis partem cingendo inter loricæ & hypozomatis commiſſuras, quæ eſt vulneratu facillima (dum coſtis ibi deſinentibus manet naturali munimento deſtituta) & in quam incidiſſe creditur ictus iſte ſagittæ lethalis, per quem è vita ſublatus eſt Rex *Achabus.* Pari modo *Paulum* à telis Pſeudapoſtolorum ubique calumniis depugnantium, (de quibus aliàs uſurpari potuiſſet illud *Bernardi, Verba leviter volant, ſed graviter vulnerant,*) incolumem præſtitit cordis integritas. Jaculati ſunt illi perpetim, *Corinthii* præſertim: ſed Apoſtolum veritas ſua cuſtodivit, adeò ut auſus fuerit, ídque in epiſtola ad ipſos *Corinthios* ità profiteri; *Glorìatio noſtra hæc eſt, teſtimonium videlicet conſcientiæ noſtræ, quòd cum ſimplicitate, & ſinceritate Dei, non cum ſapientia carnali, ſed cum gratia Dei verſati ſumus*

1 Reg. 22. 34.

2 Cor. 1. 12.

mus in mundo, abundantiùs autem apud vos. Hezechiam invasit præsentissimæ mortis impetus, quo nullum esse poterat telum acuminatius; illi tamen solatio fuit & tutelæ, sinceritatis in vitæ anteactæ curriculo meminisse: unde sic precatus
Isaiæ 38. 3. est, *Obsecro Domine, memento quomodo ambulaverim coram te in veritate & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim.*

Aliis insuper armaturæ particulis firmamento est balteus, utpote qui loricam stringit, & gladium sustentat. Ità requiritur ut ád omnia Religionis officia salutariter præstanda
1 Tim. 1. 5. præstò sit sinceritas. Fides nostra sit oportet ἀνυπόκριτος; di-
1 Joann. 3. 18. lectio μὴ λόγῳ μηδὲ γλώσσῃ ἀλλ' ἔργῳ καὶ ἀληθείᾳ. Prædicatio ὡς ἐξ εἰλι-
2 Cor. 2. ult. κρινείας oratio non in labiis dolosis. Dicam paucis. Veritas
Psal. 17. 1. cordis illa est Spiritûs sancti gratia, quæ reliquis donis salutaribus gratiam affert; sine qua nec amanda est ipsa charitas, nec ipsi fidei fidendum, nec bene sperandum de ipsa spe. Quinimo duplicatur iniquitas, ubicunque transit in artem pietas, &, quæ simplicitate gaudet, religio simulatur. Exemplo sit *legatus* ille *Persicus*, qui dum apud Christianos versabatur, ut idem cum eis de summo numine sentire crederetur, in ore ipsa pene saliva frequentiorem habuit tritam illam doxologiam *Soli Deo gloria*; apud se interim, quoties ità locutus est, pro Deo solem agnovit & coluit. Dixisse fertur *Epiphanius* tunc abituriens è *Constantinopoli*, ubi diutiùs moram traxerat, *Relicturus statim à tergo sum tria magna, ingentem urbem, ingens palatium, & ingentem hypocrisin.* O malè cinctam civitatem, & minimè sanctam præ defectu veritatis!

§ V. Ea denique fuit olim in militia politica gestandi baltei non interrupta consuetudo, ut apud *Homerum* tota armatura per zonam, & per ζώννυσθαι designetur ὁπλίζεσθαι; testibus *Eustathio* & *Suidâ*; & apud Græcos communiter εὔζωνος dicatur, qui ad iter aut prælium, aut negotium aliquod
2 Reg. 3. 21. paratus & expeditus. In sacris etiam literis pro *armatis* ponitur ista periphrasis *zonâ succincti*; & *accingi* idem sonat quod

arma

arma induere; *discingi* quod *eis exui*; ut in illo *Achabi* monito, *Nè jactet qui accingit se ut qui discingit.* In militia profectò Christiana multò major est necessitas veritatis: nam etiam discinctus, miles tamen esse poterit qualiscunque; sed nemo sinceritatis expers habendus est pro veri nominis Christiano, etiamsi naturæ dotibus, illiúsque insuper gratiæ donis, quæ electis & reprobis communia sunt, quamplurimum emineat. Magni itaque momenti est vox illa Pauli ὁπότης τῆς ἀληθείας in loco notissimo, *Si modò edocti estis, sicut est veritas in Jesu, induere novum hominem, qui secundùm Deum conditus est in justitia & sanctitate veritatis:* Videtur enim plus quàm innuere omnino sanctitatem abesse, ubicunque deest veritas. Illam si de medio tollas, fieri potest ut hypocrita veros Christianos antecellat, eadem cum illis externa religionis opera perficiendo, ídque specie tenus majori cum alacritate: ut expertus histrio vehementiùs interdum gaudere videbitur aut dolere, quàm qui re ipsâ tales affectus intimè sentiunt. *Abrahamus* Pater ille fidelium solitus est inter sacrificandum, uno altari unâque hostiâ sibimetipsi satisfacere. Ecce verò *Balaamum* hypocritam uno eodémq; tempore septem altaria construentem, & super singulis duo diversi generis pecora, juvencum scilicet & arietem Domino offerentem in holocausta. Imò quid ampliùs dicere non verebor; fieri potest ut ipse diabolus se pro Christiano venditet, & apud incautos laudem obtineat. Enimvero fidem & reverentiam erga Deum præ se feret. *Credunt dæmones*, ait Apostolus, *& contremiscunt.* De bonis optimè testabitur; ut spiritus ille in Pythonissa clamans, *Isti homines servi sunt Dei altissimi, qui annunciant vobis viam salutis.* Ecce dæmonem satìs blandiloquum! quo teste *Paulus* & *Silas* Dei servi, ipse Deus omnium altissimus, & evangelium via salutis indigitatur. Quinetiam apud Evangelistam, si quid adhuc desideretur, diabolum videre est genu flectentem & orantem quàm disertissimè, *Jesu Fili Dei altissimi rogo Te nè me torqueas.*

Marginal notes: 1 Reg. 21. 11. — Ephes. 4. 21. 24. — Numer. 23. vers. 1, 2. — Jacob. 2. 19. — Actor. 16. 17. — Lucæ 8. 28.

§ VI. Cæterùm apud gehennæ incolas, quoſcunq; demum fucos adhibeant, decoram veritatis faciem fruſtrà quæri, non eſt cur miremur; cùm apud mundi, pene dixeram Eccleſiæ inquilinos rariſſima ſit. *Corruit in plateis veritas*, ſic olim propheta; nos etiam in conclavibus, etiam in templis cecidiſſe querimur. Ità comparatæ ſunt res humanæ, ut nihil uſpiam boni ſit abſque aliquo ſui idolo, & imagine fallaci. Solem Parelius, aſtra ſtellæ-cadentes, margaritas adulterini lapides imitantur. Doctrinæ ſophiſtica larvam induit, pietatis hypocriſis, quam ubique graſſantem cernere eſt. Præfuiſſe dicitur *Pachomius* Abbas inter veteres celebratiſſimus mille & trecentis monachis, atq; illos in viginti quatuor claſſes diviſiſſe, ſecundùm numerum literarum Græci alphabeti; ſic ut qui in ſingulis forent claſſibus, ab una eadémque litera nominarentur, quæ quantum fieri potuit, eorum mores indicaret; adeò ut ſimpliciores nuncuparentur Iotâ, quâ literâ nihil eſt ſimplicius, cùm unâ lineolâ rectâ conſtet; vafri autem, quibus animus erat involutus ut non facilè internoſci poſſet & pervideri, dicerentur ζ vel ξ, quòd eæ literæ ſint tortuoſæ, & anfractus habeant multos, qui aptè eorum ingenium exprimerent. Si nobis eadem ineunda eſſet ratio in eis diſpeſcendis, qui Chriſtianam Religionem profitentur, utique verendum eſt fore, ut quamplurimis inter literas anfractuoſas locus meritò deberetur. Quapropter expergiſcere Lector, quiſquis es, Chriſtiane, Anglicane, Academice. Hæc ipſa te ad ſectandam, exercendámque veritatem permoveant.

Iſaiæ 59. 14.

Zozomen. l. 3. cap. 13.

Chriſtianus es, illóque nomine ea ſummopere conſectari teneris quibus ſummopere Deo placetur, inter quæ veritatem eminere conſtat; tum ex effato quodam Davidis, *Scio, Deus meus, quòd probes corda, & ſimplicitatem diligas*; tum ex Chriſti ipſius teſtimonio, *Venit tempus, & nunc eſt, quum veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate; Etenim Pater tales quærit qui ipſum adorent.* Anima pietatis eſt ſinceritas. Illa ſi abſit, cadaveroſa planè ſunt mortalium opera,

1 Chron. 29. 17.

opera, & à Deo pro mortuis habentur, ut ut hominibus satìs bella videantur. Quò spectat illa Domini vox ad Pharisæos, quibus hypocriseos notam ipse sæpius inusserat; *Vos ii estis qui justificatis vosipsos in hominum conspectu. Deus autem novit corda vestra; quia quod apud homines sublime est, abominatio est in conspectu Dei.* Lucæ 16. 15.

Anglus es, & erga patriam ut communem parentem affectus optimè. Sin autem illi bene consulere animus sit, non potest iniri via magìs compendiosa, quàm per veritatis exercitium. *Gentes* enim *hypocriticæ*, si quæ aliæ, *populi sunt furoris & excandescentiæ divinæ.* Admonitionis plena sunt " Jehovæ verba apud Isaiam de Assyriæ Rege, Ad gentem " fallacem, sive hypocriticam, mittam eum; & contra po" pulum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia, & di" ripiat prædam, & ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum. Questus est haud ità pridem Gallorum Rex *Ludovicus XI*, *Aulæ suæ quanquam aliis bonis omnibus locupletatæ unum defuisse, nimirum veritatem, quam nemo ipsi paratus erat annunciare.* Væ nostræ Angliæ, si quando (quod prohibeat Deus Optimus Maximus) hujusce veritatis, de qua nobis sermo est, inops fuerit, ut ut vicinas regiones aliorum omnium abundantiâ præcellat.

Isaiæ 10. 6.

Richteri Axiomat. politica p. 243. & *Camerar.* medit. histor. centur. 1. cap. 90.

Academicus es, hoc est eo loci educatus, ubi omnes se studiosos profitentur & veritatis indagatores; quam tanti æstimandam duxerunt *Platonici*, ut sæpius dixerint, hoc supposito, velle scilicet Deum ex anima & corpore compositionem admittere, proculdubio *fore, ut lucem pro corpore, pro anima veritatem assumeret.* Quòd si pretiosa sit, uti quidem est, omnis veritas, etiam ea quæ sciolos aut veriloquos reddit; illa profectò jure maximi æstimetur, quæ salvos & beatos constituit. Mirandulani dictum nobile, cujus suprà meminimus, hîc libet repetere, *Veritatem philosophi quærunt, Theologi inveniunt, Religiosi possident.* Quósnam ille voluerit per Religiosos, nolo jam curiosiùs inquirere; ego libenter intelligerem genuinæ sinceritatis participes, & indè colligerem,

gerem, perduci nos à philosophia ad disquisitionem & indaginem veritatis; non ulteriùs: Theologiæ ex verbo Dei haustæ illius acquisitionem debere; non autem ad eam veritatis possessionem, quæ nos cœlo inserat, pervenire posse nisi post vitam in orbita veræ Religionis sincerè peractam. Enimvero hujus indolis & genii Christianis, eísque solis, patebit aditus in æternam beatitudinem, de qua *Hieronymus* locum propheticum interpretatur, ac si verba Christi essent ad Angelos de cœlo reserando, quæ occurrunt apud Isai-
Cap. 26. 2. am, *Aperite portas, & ingrediatur gens justa veritatem custodiens.*

CAP. IV.

De thorace justitiæ habitualis & actualis.

Justitia quale indumentum. Non imputata sed personalis hìc intelligitur, utì etiam Matth. 5. observante Sculteto Sect. 1. *De justitia originali, cui succenturiatur in renatis habitualis, quid Scriptura tradiderit; quid* Sociniani, Pontificii *&* Remonstrantes *sentiant* Sect. 2. *Repellitur calumnia Papistarum falsò asserentium à* Luthero *&* Calvino *súsque déque habitam esse justitiam inhærentem & actualem. Notatur* Grotius *ut ejusdem calumniæ particeps* Sect. 3. *Actualis justitia quid. Decalogus, ut morum regula ipsos etiam renatos obligans adversùs* Antinomos *defenditur* Sect. 4. *Respondetur ad locum* 1 *Tim.* 1. 9. Lex non est justo posita Sect. 5. *Evangelium non absolvit à*

studio

studio pietatis in lege præscriptæ, sed eam multis modis promovet Sect. 6. *Analogia thoracis & justitiæ* Sect. 7. *Justitiæ personalis imperfectio, atque adeò justificandi & salvandi impotentia* Sect. 8.

§ I. KAὶ ἐνδυσάμενοι τὸν θώρακα τῆς δικαιοσύνης, verba sunt quæ sequuntur apud Apostolum, & quibus nostra jam opera debetur. Induuntur ab hominibus ob usus necessarios vestimenta communia, ad officii vel dignitatis indicium paludamenta & trabeæ, ad tutelam corporis arma. Hisce omnibus comparatur Justitia: *Exultat anima mea in* Isaiæ 61. 10.
Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, & indumento justi- Job. 29. 14.
tiæ circumdedit me. Justitiâ indutus sum, & vestivi me, sicut pallio & diademate, judicio meo. Paulus alibi memorat, *Arma justitiæ à dextris & sinistris:* hîc thoracem justitiæ dilaudat. 2 Cor. 6, 7.

Cujus autem justitiæ? *Personalis?* an *Imputatæ?* (Liceat enim itâ distinguere, donec voces occurrant magìs idoneæ) Responsurus sum illico, postquam *Abrahami Sculteti* in re haud absimili doctam utilémque censuram enarraverim. Exerc. Evang. lib. 2. c. 15. p. 59.
" Non sine stomacho, inquit ille, sæpe audivi Homiliastas " nostros in explicatione verborum Domini, *Nisi abundave-* " *rit vestra justitia plùs quàm illa Scribarum & Pharisæorum,* " *nequaquam ingressuri estis in regnum cælorum*, excurrere in " declamationem de justitia fidei; quasi Servator noster ju- " stitiam legalem hîc rejiciat, fidei dilaudet. Atqui huic " glossæ refragatur quicquid toto hoc capite de justitia dis- " seritur. Ipso sermonis principio Christus discipulos suos ad " lucidam vitã exhortatur, ipso sermonis medio non ad fidẽ " sed ad fidei genuina opera nos invitat, eaque in lege præce- " pta. Ergò justitia superabundans non est justitia fidei, op- " posita justitiæ legis, sed justitia legis opposita justitiæ hy- " pocriticæ Pharisæorum. Nè in me cuderetur eadem faba. Quanquã is sum qui justitiam imputatam, si quis alius magni facere soleam, ut unicum refugium adversùs reatum illum

gravissimum, qui è peccatis nostris exurgit; hoc tamen in loco personalem intelligo; ipso, ni fallor, Paulo cogente, qui thoracem justitiæ, cujus hîc meminit, alibi vocat *thoracem fidei & charitatis*. Sub duobus hisce vocabulis totam justitiam personalem quanta quanta sit, tam *habitualem* scilicet quàm *inhærentem*, tam *actualem* quàm *justitiam operum* appellant scholastici, tanquam in epitome comprehendens.

1 Thess. 5. 8.

§ II. Habitualis autem justitiæ natura clariùs, opinor, elucescet; si de originali nonnulla breviter præmittantur. Apertè testantur sacræ literæ *Deum fecisse hominem rectum*; ubi rectitudinem exponunt nostri Theologi non per solam remotionem injustitiæ, verùm etiam per insitionem justitiæ & æquitatis internæ. Vox enim יָשָׁר non tantùm quovis modo rectum, sed justum, bonum, & purum significat, ideóque à septuaginta interpretibus nunc per εὐθὺς, nunc per δίκαιος, καλὸς aut καθαρὸς vertitur. Quin & hâc voce ipsius Dei justitia describitur in psalmis, & in pentateucho sanctorum à Deo regenitorum. Quocirca cùm *Adamo* tribuitur, illas proculdubio virtutes complectitur, quæ in primo nostro parente ad imaginem Dei creato, reluxerunt, & à Deo in regenitis per novam creationem instaurari dicuntur. Hanc originalem justitiam (per quam non intelligitur una aliqua virtus, sed omnium virtutum adunata complexio, faciens ut appetitus voluntati, voluntas rectæ rationi, recta ratio Deo concentu suavissimo morem gereret) Adamo asscribimus, & ei naturalem fuisse defendimus: illam Sociniani nè agnoscunt quidem. *Smalcius* in refutatione thesium *Frantzii*, *ista*, inquit, *sapientia & sanctimonia, quam Adamo tribuit Frantzius unà cum aliis, idea quædam est in cerebro ipsorum nata, de qua nè γρῦ quidem in sacris literis*. Idem in refutatione libri Smiglesiani, cui titulus est, Nova Monstra novi Arianismi, sic, *primum hominem sanctitate & donis supernaturalibus ornatum ab ipsa creatione fuisse vetus est & fœtida fabula*. Sanctitatem illi negativam boni viri haud gravatim concedunt, sed positivam inficiantur; conditum fuisse volunt

Eccles. 7. 29.

Psal. 92. 16.
Num. 19. 10.

Disp. 2. p. 44.

Pag. 215.

lunt Adamum innocentem & minimè malum; non tamen bonum, & justitiâ præditum. Rem ipsam agnoscunt Pontificii, sed eam negant primo homini naturalem fuisse, verùm naturæ superadditam, ut frænum aureum (quâ metaphorâ utitur *Bellarminus*) ad coercendam affectuum rebellionem, cui locum assignant in protoplastis etiam integris. Remonstrantes hoc quicquid est litigii tam inter nos & Socinianos, quàm nos inter & pontificios flocci faciunt, utì ipsi fatentur in Apologia. *Remonstrantes*, inquiunt, *quæstionem hanc totam ineptam & inutilem censent.* Et paulò pòst, *Titivilitio non emptitent tam vilem controversiam.* Cæterùm (quod eorum pace dictum velim, sin minùs, dicam vel ingratiis) judicatum est multò melius à viro primario inter Augustinæ confessionis theologos *Balthasare* scilicet *Meisnero*, qui verba faciens hac ipsa de re, *Quæ una*, inquit, *quæstio nisi rectè decidatur, primarii religionis nostræ articuli certissimè corrumpuntur: Est enim illa quasi bivium quoddam Theologicum, ubi veri falsique porta panditur.*

Cap.5.fol.60.

Sobriæ philosophiæ part.2. sect.1. quæst. 24.

His in apparatum præmissis, Assero jam Adamo per lapsum suísque posteris universis periisse justitiam originalem; sed in renatis per Christi gratiam eandem imaginem instaurari, ad quam conditi sunt protoplasti, atque adeò originali succenturiatam esse justitiam habitualem. Quod in causa ni
" fallor est, cur eam magnus *Davenantius* ità definiat, per
" inhærentem, inquit, justitiam intelligimus supernaturale
" donum gratiæ sanctificantis, oppositum originali pecca-
" to, & in singulis animæ facultatibus reparans & reno-
" vans illam Dei imaginem, quæ per peccatum originale fœdata ac dissipata fuit.

§ III. Hanc etiamsi nostri Theologi toto corde amplectantur, & uno ore fidem justificantem in adultis omnibus comitari profiteantur: incusant tamen nos adversarii ac si illam penitus à fidelibus, & eâdem operâ solem è mundo tolleremus. Judicet inter nos Christus cui patent corda: judicet ipsius ecclesia ex paucis illis, quæ hîc subjungere visum

De justificat. l. 2. cap. 1.

sum est. Ipse *Bellarminus* non veretur obsoletam calumniam hisce verbis intorquere, *Calvinus cum Lutheranis concedit non esse in nobis ullam inhærentem justitiam.* Eum secutus est Jesuita quidam musteus, *Sylvester de Petra sancta*, qui contra *Molinæum* scribens, ait satis supérque confidenter *Lutherum & Calvinum ex vita sempiterna albo erasisse bona opera, dum solam fidem ad salutem sufficere docuerunt.* Quem verò vos Lutherum, ô boni, quem Calvinum intelligitis? Illi certè, quorum teruntur à nobis scripta, longè " aliter sentiunt. Ipsos si placet, audiamus. Uterque locus " & fidei & operum diligenter doceri & urgeri debet; sic " tamen ut uterque intra suos limites maneat. Nam si ope" ra sola doceantur, ut in Papatu accidit, fides amittitur: si " fides sola, statim somniant carnales homines opera non " esse necessaria. Sic *Lutherus*. Alibi verò, Per fidem Chri" sti non sumus liberi ab operibus, sed opinionibus operum, " id est à stulta præsumptione justificationis per opera quæ" sitæ. Quid autem *Calvinus?* Solâ fide justificatur homo, " neque tamen à gratuita justitiæ imputatione separatur re" alis sanctitas. Atque iterum disertissimè, Nunquam re" conciliamur Deo, quin simul donemur inhærente justitia. Fidem vestram qui ista legitis! Hæccine verba hominum sunt apertè negantium, an fortissimè potiùs asserentium inhærentem justitiam? Eradentium an stabilientium, potiùs opera bona? Excluduntur quidem à nostris ab ipso actu justificandi (in quo casu *Lutherus, Cavendum esse, dixit à peccatis; sed multò magìs ab operibus bonis:* quia scilicet nullum est periculum nè quis constituat justificationem in peccatis, sed valde metuendum, nè Pharisaicâ fortè superbiâ occæcatus, eam quærat in bonis operibus) sed ad salutem agnoscunt esse necessaria in eo nimirum sensu, quem hisce verbis *Zacharias Ursinus* enuntiavit. *Bona opera sunt ad salutem necessaria, non tanquã causa ad effectum, vel tanquã meritum ad mercedem, sed tanquam antecedens ad consequens, vel medium sine quo non ad finem.* Quæ cùm ità se habeant, miror equidem

Apud Nicetium in Jesuit. vapulant. p. 186.

In cap. 5. ad Galatas.

Oper. Latin. tom. 1. fol. 472

Instit. l. 3. c. 3.

Lib. de vera religione reformand. Ecclesiæ.

Catech. part. 3. qu. 91. artic. 3.

equidem quâ fronte *Grotius*, vir in nostrorum scriptis abundè versatus, sententiam eis verè prodigiosam asscripserit; cujus profectò horret animus meminisse (neque enim ulla fætidiora sunt quàm doctorum calamorum excrementa) Dicitis, inquit, in justificatis quidem omnibus pœnitentiam semper sequi. Quæ est illa pœnitentia? Vivere ut lubet; deinde instante morte dicere ministro, Nollem factum, & credo justitiam Christi mihi imputari, ídque verum esse quia id credo. Cùm hoc viatico statim ille in cœlum evolat, déque eo dubitare stygiæ est incredulitatis. Quàm nollem hæc à te dicta, vel ficta potiùs, Hugo doctissime, cùm nihil sit à praxi, nihil à sensu nostro remotius !

Grotius in voto pacis, pag. 115.

§ IV. Incidimus, uti vides Lector, tanquam ex inopinato in justitiæ, non habitualis modò, sed & actualis patrocinium. Illa verò consistit in firmo proposito, constantíque conatu quod suum est cuique tribuendi, tum ipsi inprimis Deo, tum proximis quibuscunque, secundùm regulam legis divinæ, quam etiam renatos obligare credimus & profitemur. Sunt qui aliter sentiunt, & propterea dicuntur *Antinomi*; quibus refutandis duo nobis argumenta sufficient.

Primum à natura legis desumitur, quæ lata est primitus Adamo humani generis radici, ídque ut creaturæ rationali, deinde repetita per Mosem, & sub eadem notione Israelitis tradita. Hoc enim interest inter tres leges Mosaicas. Judicialis data est Hebræis quà corpori politico, Cæremonialis quà Ecclesiæ, Moralis quà hominibus. Ergò eadem omnibus hominibus lata est, & proinde renatis æquè ac aliis, qui non desinunt esse creaturæ, quando fiunt Christiani. Obligantur itaque per decalogum, qui pandectas continet juris æterni & naturalis, *æquè* ac alii; imò *quantùm ad officium æqualiter*, licèt non quantùm *ad supplicium*, cujus terrorem è medio sustulit quoad fideles superveniens Christi gratia: ità ut erga illos *mandatoriam* adhuc retineat, sed non *damnatoriam* potestatem. Indè factum, ut solitus sit *Joannes Hußius* (prout ipse testatur in epistola quadam ad *Bohemos*)

Theobald. belli Hussitii. p. 20.

cùm hoſpitibus ſuis à quibus benignè fuiſſet exceptus, valediceret loco extremæ ſalutis dicendæ commendare decalogum.

Alterum à dicto quodam Apoſtolico, quod in hac cauſa plurimùm valet. Paulus epiſtolam ad Epheſios miſſam non inſcripſit irregenitis, ſed renatis, prout habetur in exordio,
Epheſ. 1. 1. *Sanctis qui ſunt Epheſi, & fidelibus in Chriſto Jeſu.* Illos au-
Ibid. c. 6. verſ. 1, 2, 3. tem ſic alloquitur, *Liberi auſcultate in Domino parentibus veſtris, id enim eſt juſtum. Honora patrem tuum & matrem tuam (quod eſt præceptum primum cum promiſſione) ut bene tibi ſit, & ſis longævus ſuper terra.* Quorſum iſta, dicant Antinomi? Quorſum Apoſtolus urget ipſiſſima verba decalogi ad formandos Epheſiorum mores, ſi lex moralis ut regula non ipſos renatos obligaret?

§ V. Verùm objiciunt alibi ab eodem Apoſtolo aliter
1 Tim. 1. 9. ſtatui *legem* ſcilicet *non eſſe juſto poſitam.* Δικαίῳ νόμος ὐ κεῖται. Quò plenior ad locum hunc palmarium adornetur reſponſio, perpendenda nobis ſunt duo; vis particulæ negativæ, & emphaſis vocabuli κεῖται. τὸ non in Scripturis interdum negat *abſolutè*, & valet non omnino, ut in præcepto Non furaberis; interdum *reſtrictè*, vel per modum limitationis, & valet non hoc, aut illo reſpectu, ut quando dicitur, Qui natus eſt ex Deo non peccat. Hìc minimè ſumitur abſolutè, ſic enim propoſitio non eſſet vera, quia lex Adamo data eſt in ſtatu primævo, cùm juſtus erat, imò juſtiſſimus; ſed reſtrictè, ità ut deſignetur aliquid, cujus reſpectu non eſt poſita. Illud autem eſt condemnatio; adeò ut ſenſus ſit, non eſt eo modo poſita juſto ut eum condemnet, qui eſt per fidem in Chriſtum juſtificatus, & per Spiritum ejus renatus ad vitæ ſanctitatem. Quod ulteriùs eluceſcit ex verbo κεῖται, quo notari videtur pondus illud maledictionis quod incumbit legis tranſgreſſoribus. Hæc enim eſt vis vocabuli, ut
Matth. 3. 10. quando *ſecuris ad radicem arboris* dicitur κεῖσθαι, ad eam ſcilicet excindendam. Auguſtinus alicubi, *Juſtis non eſt lex impoſita tanquam onus quod eum premat terrore ſupplicii.* Quid

quòd τὸ κεῖται vox est forensis, & actio pendens in curia adversùs aliquem dicitur κεῖσθαι. Adeò ut idem planè velle sibi Paulus hoc in loco videatur, quod in illo ad *Galatas* κατὰ τῶν τοιούτων οὐκ ἔστι νόμος. *Adversùs ejusmodi non est lex.* Hoc verò non impedit quò minùs eis ad pietatis normam, & regulam posita sit. Galat. 5. 23.

§ VI. Quòd si dixerint legis moralis obligationem, quæcunque demum illa fuerit, quoad credentes sublatam esse per evangelium, quod eos absolvit ab illius saltem pietatis studio, quæ in lege præcipitur; profectò non in actualis solummodo justitiæ præjudicium verba facient, sed & in dehonestamentum ipsius Evangelii, quo non est aliud calcar ad moralem sanctimoniam efficacius. *Gerite vos*, ait Apostolus, *ut convenit Evangelio Christi,* id est quàm fieri potest inculpatè. Testor evangelii nomina. Illud in primis, *veritas* appellatur *quæ est secundùm pietatem.* Testor exempla, præsertim illud Domini nostri Jesu Christi, *qui non peccavit, nec inventus est dolus in ore ipsius.* Quinetiam præcepta quorum nonnulla (utì cernere est in sermone Domini super montem, & epistolis Paulinis) planè eadem sunt cum eis, quæ occurrunt in lege. Promissa denique, de quibus Paulus, *Has promissiones cùm habeamus, dilecti, purificemus nos ab omni iuquinamento carnis & spiritûs, ad finem perducentes sanctimoniam in timore Dei.* Si quis aliter doceat, anathema sit. Boni interim sibi cavebunt ab eis sententiis, quæ non ex abusu hominum dogmata maximè evangelica in perniciem suam trahentium, sed ex indole propriâ malè feriatis, sibíque de falsa renascentia & fide perperam adblandientibus, laxant fibulam luxuriæ, imò summæ nequitiæ portam aperiunt; & dum Redemptoris beneficia secus quàm par est deprædicant, Creatoris jugum penitus excutiunt. Subjungam opportunè monitum insigne Pici Mirandulani in epistola secunda ad nepotem. "Magna profectò est insania evangelio non credere, cujus veritatem sanguis martyrum clamat, Apostolicæ resonant voces, prodigia pro- "bant

Philip. 1. 27. Tit. 1. 1. 1 Pet. 2. 21. 2 Cor. 7. 1.

"bant, ratio confirmat, mundus testatur, elementa loquun-
"tur, dæmones confitentur. Longè major, si de evangelii
"veritate non dubites, vivere tamen ac si de ejus falsitate
"non dubitares: & post pauca interposita, Tu verò, fili,
"contende intrare per angustam portam; nec quid multi
"agunt attende, sed quid agendum tibi naturæ lex, Ratio,
"Deus ostendet. Nec enim aut minor tibi gloria, si felix
"cum paucis eris; aut levior erit pœna, si miser cum mul-
tis. Addam etiam exemplum, ut manifestius paulò sit de-
fæcari illic mores ubi medullitùs excipitur evangelium. *Genevæ* sub Papatu immanem libidinem regnâsse fertur, ejúsq; fœtum fuisse leprosos; qui ante erectum evangelii vexillum frequentes ibi numerabantur. Cujus rei argumentum sunt eæ, quæ hodiéque visuntur in communi polyandrio, separatæ mansiunculæ; in quas leprosi temporibus illis concludebantur. At ab anno 1535 quo puritatem evangelii civitas illa amplexa est, unus solummodo visus est leprâ correptus.Ità testatur *Matthæus Cottherius* in ea quam scripsit Apocalypseos expositione, Sedani publici juris factâ Anno 1625.

§ VII. Ad manum est similitudo loricam inter & hanc justitiam. Enimvero thorax cor tegit & protegit, unde Græci καρδιοφύλαξ dicitur, imò totum pectus munit; intra cujus ambitum præter cor partes illæ reliquæ, quas vitales appellant medici, continentur. Ità sanctos, nè lethali unquam vulnere perimantur, justitiâ suâ tuetur; primùm adversùs tentationes plurimas, quæ aliis in mortem cederent. Quotusquisque hominum est, qui, si illum pari illicio fœmina nobilis adoriretur, cum eo quo Josephum olim uxor Potipharis sollicitavit, in facinus non consentiret? Eum vero firmum propositum & constans conatus reddendi tam Deo quàm Potiphari quod suum erat, ità custodierunt, ut impudicâ muliere repulsâ, piè dixerit, *Ecce dominus meus quicquid est ipsi tradidit in manum meam, nec quicquam subtraxit præter te, quæ uxor ejus es. Quomodo ego facerem malum hoc,* (Gen. 39. 8, 9.)

maxi-

maximum, & peccarem in Deum? Deinde adversùs aliorum calumnias & censuras, quanquam mordacissimæ sint. *Jobus* ab amicis suis pessimè habitus & hypocritarum albo inscriptus, eorum opprobriis justitiæ suæ loricam opposuit. *Absit,* inquit, *à me ut justificem vos; quoad expiravero non amovebo integritatem meam à me. Justitiam meam retineo, neque deseram eam; non abjiciet eam animus meus unquam.* Qui se Deo acceptos nôrunt, & pro justis habitos, eos hominum obelisci minimè perterrefaciunt. *Aliter Norimbergæ, aliter in cælo conclusum est de hoc negotio* dixit *Lutherus,* ab Imperii Romani optimatibus eò loci condemnatus. Et *Augustinus de Cypriano* post latam à proconsule mortis sententiam. *Alia est sella terrena, aliud tribunal cælorum; ab inferiore accepit sententiam, à superiore coronam.* Denique adversùs ipsius mortis terriculamenta, quæ alios solent exanimes reddere. Testem appello *Solomonem* in Proverbiis, *Nil proderunt thesauri impietatis, justitia verò liberabit à morte. In malitia sua expelletur impius, sperat autem justus in morte sua.*

Melch. Adam. in vita *Luth.*

In Psalm. 36. conc. 3.

Prov. 10. 2. 14. 32.

§ VIII. Quæ tamen eò minimè trahenda sunt, ac si justitiam personalem Regum sapientissimus thoracem adversùs peccati reatum, ac iram Dei statuisset; aut per ejus meritum effugi posset mors æterna, prout *Vasquez* Jesuita credidisse videatur, quando sic scripsit de justitia inhærente, "Eam scilicet, ità reddere animam justam & sanctam, ac "proinde filiam Dei, ut hoc ipso reddat hæredem & di- "gnam æternâ gloriâ. Imò, inquit, ipse Deus efficere non "potest ut ejusmodi justus dignus non sit æternâ beatitudi- "ne, quamvis suâ potentiâ absolutâ efficere possit ut non "beetur. Enimvero facit hujusce justitiæ in viatoribus imperfectio (de qua Solomon alibi, *Non est justus in terra, qui facit bonum & non peccet;* Joannes Apostolus, *Si dixerimus nos peccatum non habere, nosipsos fallimus, & veritas in nobis non est;* *Hieronymus* etiam inter Patres, *Hæc est hominis vera sapientia, imperfectum esse se nôsse; atque ut ità loquar, Cunctorum*

Vasquez. in 1^am 12 Disp. 204. cap. 4.

Ecclef. 7. 20. 1 Joan. 1. 8.

Advers. *Pelagium* lib. 1. c. 5.

rum in carne justorum imperfecta perfectio est) quò minùs per eam possit aliquis justificari, nè Paulus quidem, cujus
1 Cor. 4. 4. hæc aperta professio, *Nullius rei mihi conscius sum, sed non*
Philip. 3. 9. *per hoc justificatus sum*; hoc votum, *ut in Christo comperiretur, non habens justitiam suam, quæ est ex lege.* Opponam itaque Jesuitæ novitio, cujus verba satìs horrida jam modò produxi, veterem Abbatem, *Bernardum* scilicet Clarevallensem, qui ista de re multò suaviùs, multóque saniùs locutus
De verbis Isa. Serm. 5. est; *Nostra siqua est, humilis justitia, recta forsitan sed non pura. Quomodo enim pura justitia, ubi adhuc non potest culpa deesse?*

Manum hîc de isthac tabula paranti tollere semet considerandum obtulit nexus inter veritatis balteum, & thoracem justitiæ, qui in eodem occurrit commate, secuturo capiti luculentum satìs argumentum, scribentíque pariter, utì spero, & legenti non inutilem materiam præbiturus.

Cap. V.

De nexu veritatis & justitiæ.

Mutua veritatis & justitiæ habitudo. A vitiis ad errores, ab erroribus itur ad vitia Sect. 1. *Comparantur cum Remonstrantibus eorum adversarii quoad pietatem* Sect. 2. Augustini, Gotteschalci, Calvini, Whitakeri, Perkinsii, Amesii, Riveti *encomia* Sect. 3, 4, 5. *Remonstrantium dogmata injustitiæ erga Deum rea peraguntur.* Grevinchovii, Plaiferi, I. Goodwini *assertionibus opponuntur* Augustini & Prosperi *dicta.* Sect.

Sect. 6. *In omnibus Deo reddenda est gloria, & dominium absolutum concedendum.* Theodori Cornherti *retractatio* Sect. 7.

§ I. QUantum intercedat necessitudinis inter justitiam personalem, & pro sinceritate positam veritatem, non opus est dicere; cùm hæc illius nucleus sit. Quapropter eâ jam prætermissâ, solius orthodoxiæ & jûstitiæ nexum pensitabimus. Nobile profectò par justitia & veritas, è quorum unione resultat beatitudo viæ, in patria demum consummanda per visionem, quæ veritatis culmen est, & dilectionem, quæ medulla justitiæ. Veritas instar lucis est, justitia instar caloris cœlestis; honestamentum veritatis est justitia, justitiæ authoramentum veritas. Astruitur per justitiam veritas, instruitur per veritatem justitia. Deperditâ justitiâ veritas plùs quàm periclitatur, lacessitâ veritate justitia plerumque læditur. Habent se ut in humano corpore stomachus & cerebrum; ex ægro cerebro depluitur in stomachum, è stomacho valetudinario fumatur in cerebrum: sic ubi non litatur justitiæ, facilis ad malesana dogmata transitus fit; prout cernere est in Gnosticis, qui postquam se impudicis amplexibus polluissent, Venerem suam longè turpissimam esse docuerunt μυστικὴν κοινωνίαν *mysticam*, proh scelus! *communionem*; utì monet *Clemens Alexandrinus*. Stromat. l. 2. 100.
Ubi verò dogmata paulò corruptiora venditantur, ad mores corruptissimos itur facillimé. Ità pater Antinomorum *Joannes Islebius*, *Osiandro* teste, in provecta admodum ætate homini epicureo, quàm pio Theologo similior fuisse perhibetur. Centur. 16. p. 802.

§ II. Sectas impræsentiarum alias insuper habens, Remonstrantes & eorum dogmata ad hunc quasi lapidem Lydium examinabo. Quod facturus equidem sum eò lubentiùs, quoniam inter alia paradoxa quibus scatet volumen illud cubitale nostræ nuper Academiæ dedicatum (in quo vir doctus & disertus, sed judicii sequioris, acu pingit

I. G. Ἀπολύ-τρωσ. cap. 9. § 24.

Cilicium, & viles panniculos ornat opere Phrygionico) malè me habuit, neque enim diffitebor, & bilem movit iſta "profeſſio; ſe nimirum in ſcriptis eorum qui ſtant à Con-"tra-remonſtrantibus in controverſia quinquarticulari, quâ "totum nuper exarſit Belgium, & quæ nunc gliſcit in An-"glia, cum pietatis energeticæ ſpiritum & calorem deſide-"rare, quem perſentiſcere ſolitus eſt in libris aliorum, qui "electioni vagæ, redemptioni univerſali, libero ad ſpiritu-"ale bonum arbitrio, morali ſuaſioni, & finali ſanctorum "apoſtaſiæ patrocinantur. Ità vitiato ſemel palato amare-ſcunt dulcia, dulceſcunt amara; & morbo puellari laboran-tibus, nil cretâ ſapidius aut carbone. Mihi animus eſt apo-logiam quandam texere, ſeram licèt, ſinceram tamen; nè defenſor eis deeſſe videatur, qui ſpecialem Dei gratiam, ſuo quiſque tempore, ſtrenuè quidem ſed & piè defenderunt. Enimvero quiſquis cum Pelagio *Auguſtinum*, cum Hincma-ro *Gotteſchalchum*, cum Caſtellione *Calvinum*, cum Barone *Whitakerum*, cum Arminio *Perkinſium*, cum Grevinchovio *Ameſium*, & nè prolixior fortè ſim, cum Grotio *Rivetum* prudenter contulerit; næ ille ſi non aliter ſentiat à muſteo, quem laudavi, ſcriptore, eum ego vel affectui obſecutum, vel abreptum ſtudio partium, vel ἀμετρίᾳ τῆς ἀνθολκῆς ſideratum exiſtimo. Nolo jam eos perſtringere qui ſteterunt ex adverſo, nè ſævire videar in cineres demortuorum. Nemo tamen vitio vertat, ſi de noſtris adeò provocatus paulò magnificentiùs, quin & fortè verboſiùs peroraverim.

§ III. Ordiamur ab Auguſtino, qui dum errores vitæ ſuæ retractat in confeſſionibus, & in retractationibus errores judicii confitetur, in utriſque hominem exuit. De gratia loquitur, ut qui illius efficaciam expertus fuerat; de peccato ut qui illud odiſſe, de hæreſibus, ut qui eas peſſundare didiciſſet. Quanti Deum & quantilli mundum fecerit teſtatur aurea, quam protulit, imò gemmea ſententia; *Felix ſit mundus, evertatur mundus, benedicam Domino qui fecit mundum.* In libris aliquibus Paſtorem agit, Doctorem in aliis, orato-

rem

rem in his, in illis pugilem, in epistolis isthæc omnia. Qui vel illud volumen perlegerit, prætеritis cæteris (quanquam ex eis quæ scripsit omnibus nihil est quod præteriri mereatur) totum illic Augustinum intuebitur, Theologum simul & Christianum consummatissimum. Augustinum excipiat *Gotteschalchus*, & nominis sui notatione, & reipsa Dei servus, eorundem verò dogmatum assertor strenuus. Quam ob causam, procurante *Hincmaro* Archiepiscopo Rhemensi triplicem olim pœnam subivit, *depositionis* unam, quâ cautum est ut privatus officio sacerdotali non ampliùs audiretur à populo; *flagellationis* alteram, quâ homini quadragenario corpus flagris lacerabatur, donec collectas in causæ suæ firmamentum sententias è Scripturis & Patribus in ignem, jam pæne moriens, manibus suis conjecisset; tertiam verò *incarcerationis*, quam per id quod vitæ reliquum erat, nimirum annos plùs minùs viginti, durâsse tradunt summi viri, qui in ejus historia conscribenda plurimùm sudârunt, *Jacobus* scilicet *Armachanus*, & *Gilbertus Mauguin* Regi Gallorum à consiliis. Eant jam Remonstrantes Belgici, & in causæ labascentis patrocinium allegent exilia suorum & carceres. Ecquis enim eorum est, quem si fortè contulerint cum *Gotteschalco* non statim dicturi sint apud se, *Sic Nanum Atlanta vocamus?* Eluxerunt interim sub hac cruce mira viri fides, humilitas & constantia; quas omnes apertè cernere est in duabus ipsius *confessionibus*, haud ità pridem in lucem editis. Nec minor erat ante crucem morum probitas: unde eum ex *Italia* redeuntem salutavit *Walafridus Strabo* poemate quodam gratulatorio, in quo testatur vitam illi fuisse ipsâ quidem Lycurgi lege honestiorem: hoc unicum defuisse, quòd immersus studiis non videbatur amicos sui fecisse compotes quantum oportuit. Sic enim Strabo.

Est aliud majore mihi mœrore gemendum,
Quod cùm vita tibi potior sit lege Lycurgi,
Solus in accepto recubes non prodigus auro.

Mauguin. historicæ & Chronicæ Differt. c. 9.

Id. ibid. c. 1. p. 47. & *Armachan.* histor. *Gotteschal.* p. 39.

§ IV. Gotteschalcho proximus sit *Calvinus*, vir admirabilis,

bilis, & is (prout extat in ipsius Epitaphio)

Ipsa à quo posset virtutem discere virtus.

Alex. Morus in Oratione cui titulus est Calvinus. p. 11.

Malle se, dixit *Salmatius*, *vel unius Institutionis Religionis Christianæ, quam edidit Calvinus, authorem fuisse, quàm ea scripsisse universa quæ in lucem emisit Grotius.* Satis hoc quidem honorificum; sed erat quod illi tum apud Ecclesiam, tum apud Deum longè ampliùs in honorem cessit, *Institutio* nimirum *vitæ Christianæ:* Quam dum oblatrant Romanenses, anagrammatis sui malignissimi, quo *Calvinum* in *Lucianum* converterunt, rationem quandam nolentes reddunt: Hoc enim homo ille Dei, solúmque hoc cum Luciano commune habuit, quòd à Canibus uterque, modo licèt dissimili, laceratus fuerit. Utinam quot obtrectatores, tot essent Calvini imitatores! Sed ubi gentium inveniemus, qui cum eo comparari dignus sit, si vel solarum lucubrationum habeatur ratio? *Quàm multa scripserit omnes nôrunt; Conciones verò quotannis ducentas octoginta sex habuit, & lectiones centum octoginta sex, præter alias infinitas occupationes.*

Whitak. Controvers. 2. q. 5. quæ est de notis Ecclesiæ cap 15. p. mihi 536.

Verba sunt Gulielmi *Whitakeri*, proh quanti viri! quantísque laudibus celebrandi! Certè vel ipsi *Bellarmino* æquum est ut aliquanto saltem minùs succenseamus, cùm in mentem nobis venerit dixisse eum aliquoties, *Angliæ Whitakerum invideo; Adversarius quidem est, sed doctus, sed modestus.* Dicam aliquid ampliùs, ad invidiam eruditus, ad exemplum pius. Quin fruere deliciis tuis, Beate spiritus, & quam prægustasti gloriam lætus imbibe. Nos interea *Cantabrigienses* usque & usque tenebimur tam chari capitis desiderio, tantíque nominis memoriam seris posteris commendabimus.

§ V. *Perkinsium* quod attinet; qui in ejus exequiis funebrem habuit concionem Reverendus *Montacutius* erupisse fertur in hæc verba, *Hîc jacet ille qui Anglos docuit Deum colere.* Quoniam ut *Socrates* è nubibus deduxit philosophiam in terras, ità *Perkinsius* Theologiam, quam longè plu-

rimi

rimi speculationum suarum nubeculis obvelâssent, apud nostrates ferè primus reduxit ad praxin. Dictum est olim de *Petronii Arbitri* scripto satyrico, *Tolle obscœna*, *& tollis omnia*. Ego de libris Perkinsianis affirmare nullus vereor, *Tolle sancta*, *& tollis omnia*; siquidem toti, quanti quanti sunt, aliud ferè nihil sapiunt præter ipsam medullam pietatis.

Perkinsium sequatur auditor ejus & cultor *Amesius*, cujus virtutes bonis omnibus, & emunctæ naris hominibus adeò fuerunt valde conspicuæ, ut ipse *Maccovius* (qui adversùs eum, dum erat in vivis, propter opinionum divortia in nonnullis apicibus Theologiæ, simultatem quandam aluerat) sæpiùs tamen, postquam fato functus est, coram auditoribus inter prælegendum & disputandum exclamâsse perhibeatur, *sit anima mea cum anima pientissimi Amesii*; judice vel adversario pientissimi.

Agmen claudat *Andreas Rivetus*, qui in ea, quam scripsit ad fratrem suum Gulielmum epistola de senectute bona Anno Domini 1650, ætatis suæ 79 postquam illud psalmographi votum citâsset, (*Deus docuisti me à pueritia mea*, *& hucusque indicavi mirabilia tua*; *Quare etiam tantisper dum senex sum & canus*, *Deus nè derelinquas me*, *donec indicavero brachium tuum huic generationi*, *& omni venturæ generati*- Psal. 71. vers. 17, 18.
" *oni fortitudinem tuam*) subjungit illico, Ego sanè, mi
" frater, à multis annis hanc orationem singulis diebus, &
" sæpe horis, repeto, qui sentio hæc mihi eadem conveni-
" re, quòd Deus me docuit à pueritia mea; quòd genera-
" tioni in qua vixi verbum Dei prædicando, brachium Dei
" indicavi; quòd etiam scriptis conatus sum, & per gratiam
" Dei, non planè frustrà, venturæ generationi veritatem & fortitudinem ejus annunciare. Eum & sapore pietatis, & fidei plerophoriâ penitus imbutum abunde testantur (ut alia mittam) Apophthegmata ipsius emortualia. Ut esse Phœbi dulcius lumen solet jam jam cadentis; ità noster *Rivetus* morti proximus dulcissmos emisit radios. *Premis*, inquit, *me ô Deus*, *sed anima mea in lato habitat*. *Benedictus sit Dominus*,

nus, qui effecit ut gaudio jam & pace in antecessum fruar. Biduum est, ex quo non ampliùs vitam animalem, sed vitam beatorum & cælestium vivo. Expecto horam quâ mihi dicatur, veni serve bone & fidelis, gloriámque tui Domini ingredere. Deus habitat in me & ego in ipso. Expecto, credo, persevero, dimoveri nequeo. Dei Spiritus meo spiritui testatur me ex filiis suis esse. O amorem ineffabilem! Et id genus alia, quæ doctoribus Arminianis ænigmata sunt, si non monstra.

§ VI. Pergo jam ad eorum dogmata, quæ in breve compendium redacta, Deo quod suum est tribuenti justitiæ parùm favere comperientur. Cùm enim duo sint quasi cardines, quibus vertitur universa Theologia, *Gloria Dei*, & *gratia Dei*; solenne est illis gratiam Dei sic ab arbitrio humano suspendere, ut ipsius gloriam apertissimè violent. Nota sunt ubique, sed non ubique, proh dolor! explosa, verba illa *Nicolai Grevinchovii*; *ego meipsum discerno, atque in eo cur non mihi liceat ut de meo gloriari? Quod enim potui, id miserentis est Dei; quod volui, id meæ est potestatis:* Ad quæ
" *Molinæus*, Præclarè, inquit, Hominis est magnanimi nol-
" le Deo nimìs debere, nec velle ejus beneficiis obrui. Eâdem insaniâ captus est è nostratibus *Joannes* quidam *Plaiferus* in libro Anglicano posthumo, cui titulus est, *Appello Evangelium.*

Enodat. quæst. p. 185.

" Quod ad quæstionem attinet, quando duo æqualiter
" vocantur, quorum alter convertitur, alter non, quis est
" qui discriminat Deus an homo? Ego, inquit, respondeo
" hominem discriminare, non Deum: quanquam Augu-
" stinus hoc piis auribus odiosum reddidit, torquendo lo-
" cum illum Apostoli, Quis te discrevit? Alibi verò, Fides,
" charitas, & id genus alia, sunt dona mediata, quæ procedunt
" à gratia Dei, sed & ab humana voluntate: & quatenus
" sunt à voluntate, relinquunt homini aliquam seipsum dis-
" criminandi potestatem, quin & aliquam, modicam licèt
" gloriandi materiam. Hæc ille.

I. G. in præfat. ad ἀπελύτρωσιν.

Modestiùs paulò recens scriptor, cujus mentio facta est

in hujusce capitis paragrapho secundo, sed ad eandem me-
"tam collimans; Rem ille feliciter gestam existimat, si ob-
"tineat in negotio conversionis & perseverantiæ de mille
"partibus nongentas nonaginta & novem gratiæ tribuendas
"esse, modò una, quæ reliqua est libero arbitrio concedatur.
Sed quantò meliùs Augustinus? *Tutiùs vivimus si totum Deo damus; non autem nos illi ex parte committimus.* Quantò cordatiùs & veriùs Prosper; *Non est devotionis dedisse prope totum Deo, sed fraudis retinuisse vel minimum.* Atque iterum, *Gratia Dei tota repellitur, nisi tota recipiatur.* In epistola ad *Demetriadem.*

Quid noster Paulus? *Laboravi*, inquit, *plus quàm omnes: Non tamen ego, sed gratia Dei quæ mecum est.* Strenuus hic 1 Cor. 15 10. assertor gratiæ, nunquam non amolitur arrogantiam. *Quid habes quod non accepisti?* Cave superbias, quisquis es; cave sacrifices reti tuo. Non sic *Petrus*, qui post captam ingentem piscium multitudinem, licèt è sua captam navi, in sua sagena, per suam operam, nil sibi arrogat, sed procidit ad Christi pedes adorabundus. Attendas, Lector, ad brevem parabolam. Regi cuidam è navicula in flumen fortè cecidit, quod in capite fuerat, diadema. Remigum unus in altum se projicit, & coronæ compos fit; sed eam manibus portare inter nandum haud commodè potuit, & proinde imposuit capiti. Rex illi talentum dedit, eò quòd recuperavit; sed capitali affecit supplicio, eò quòd gestavit diadema. Gloria rei bene gestæ ipsius Dei corona est; ea verò interdum præ hominis incuria,

Quanquam non cecidit, potuit cecidisse videri.

Christianis utique, præsertim ministris, danda est opera, ut in tuto semper sit: Verùm si recuperatam non vereamur nostris ipsorum capitibus imponere, præmiis fortè temporariis afficiemur, æternum supplicium luituri.

Ut statim absolvam quod reliquum est hujus examinis. Causam ego Remonstrantium injustitiæ & rapinæ ream peragere nullus dubito, quoniam absolutum Dei dominium & potestatem αὐτοκρατορικὴν creaturas suas vel eligendi, vel

prætereundi pro libitu suo (quæ summa est Numinis prærogativa) nolunt agnoscere. Indat eis Dominus mentem saniorem, & qualem indidisse fertur *Theodoro* cuidam *Cornherto* Amstelodamensi. Scripserat ille contumeliosè satis adversùs Calvini, Bezæ, Danæi, & aliorum doctrinam de occulta Dei prædestinatione; sub mortem verò meliùs à Spiritu sancto edoctus, ad Dominum exclamâsse dicitur, *Se animam suam ab eo possidere, quam Deo integrum sit pro suo beneplacito servare vellet, an reprobare; sibi nil esse quod conqueratur*. Talpas aiunt morituras, quos priùs clausos habuerant oculos, aliquando tandem aperire. Illis ego non inviderem aquilarum aciem: Utinam quæ propriæ, quæ ecclesiasticæ pacis sunt quamprimum cernerent acutissimè! Talparum saltem privilegium animitùs apprecor, ut eos mors inveniat *Contra-Remonstrantes*.

Hoornbeek Summa controvers. p. 435.

Cap. VI.

De Ocreis evangelicæ præparationis.

Usus ocrearum militarium. Eis comparantur activivitas & patientia, quæ duplicem efficiunt ἑτοιμασίαν Sect. 1. *Activitas Christiana quid, & quàm congrua. Contra* εὐτραπελίαν *à Paulo improbatam, in Academiis tamen retentam* Sect. 2. *Quàm utile sit in opere Domini abundare. Votum* Melancthonis, Latimeri *narratio* Sect. 3. *Patientia quàm necessaria Christianis, præsertim Ministris* Sect. 4, 5. *Ad eam generandam evangelii influxus. Exempla* Lutheri, Alzearii, Bernardi Sect. 6. *Evangelia quædam* ψιλώνυμα. *Verum quare pacis evange-*

evangelium dicitur Sect. 7. *Ad concordiam adhortatio. Pacis & veritatis* συζυγία Sect. 8. *Aphorismi sex circa quæstionem, An liceat Christianis evangelium profitentibus bella gerere.* Sect. 9.

§ I. AD tertiam armaturæ partem transeunti observandus inprimis est ocrearum usus apud milites antiquos. *Goliatho* tibialia chalybea super pedes ejus attribuuntur. 1 Sam. 17. 6. Græci apud *Homerum* audiunt ἐυκνήμιδες & χαλκοκνήμιδες Ἀχαιοί. Ferreas etiam peditum ocreas memorat *Vegetius*. Lib. 1. c. 20. Apud Romanos calceamenta militaria dicebantur *Caligæ*, unde cuidam ex Imperatoribus inditum est nomen *Caligulæ*, Dio. eò quòd in exercitu educatus, non urbico sed militari pedum tegmine uteretur. *Suidas* caligas στρατιωτικὰ ὑποδήματα interpretatur. Hæc ea proculdubio sunt ad quæ noster alludit Apostolus in versu proximo cui nunc admovenda manus est, καὶ ὑποδησάμενοι τοὺς πόδας ἐν ἑτοιμασίᾳ τοῦ ἐυαγγελίου τῆς εἰρήνης.

Ubi ocreis hisce militaribus comparari videntur duæ virtutes Christianæ, Activitas & Patientia; quarum hæc animos hominum ad externa mala toleranda, illa verò ad quævis bona peragenda præparat; utrumque sub voce ἑτοιμασίᾳ comprehendi facilè crediderit, cui alia sacræ Scripturæ dicta pensitare visum fuerit, qualia sunt, *Suggere ipsis ut ad omne opus bonum sint parati* πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἑτοίμους εἶναι. Tit. 3. 1. Illud Petri apud Lucam, *Domine tecum paratus sum* ἕτοιμός εἰμι, *& in carcerem & ad mortem proficisci.* Luc. 22. 33. Illud etiam Pauli in Actis Act. 21. 13. Apostolorum, *Non solùm vinciri sed & mori paratus sum Hierosolymis pro nomine Domini Jesu*, ἑτοίμως ἔχω. Utraq; meritò *præparatio Evangelica* dicenda est, eò quòd per Evangelium in imo pectore reconditum expergefiunt Christiani ad utriusque exercitium. Quæ omnia, Christo duce, faxim luculentiùs appareant in ea, quæ sequitur dissertatiuncula.

§ II. Solent qui bene calceantur eò progredi, quò non audent transire nudipedes, per aspera scilicet viarum & con-

fragosa, per saxa & dumeta, per loca spinis & sentibus horrida. Sic ea quotidie κατορθώματα Christianæ activitatis compotes aggrediuntur, quæ desidiosi nequeunt attingere. *Calceatos* parasiti cujusdam *dentes* memorat *Plautus*, eò quòd erant ad edendum proclives. Christianis *Paulus* mentes attribuit calceatas, ut eos ad quævis opera bona paratissimos innuat; quo quidem illis nihil est vel magìs congruum, vel magìs utile.

Plaut. in captivis.

Deo inservimus qui purus est Actus; idcirco congruit ut & nos puris actionibus insudemus. Christum colimus, de quo verissimè usurpatur illud Poetæ, *Multa tulit, fecitque*, ut nobis multa non ferendi solùm, sed & faciendi author existeret. Christianos decet agere, idq; quàm fieri potest serió. Nugas agere dedecet, præsertim si Ministri etiam sint, aut Academici. Quonam alios terrore percellat planè nescio, mihi fulminis instar est illud Bernardi ad Eugenium, *Inter seculares nugæ, nugæ sunt; in ore sacerdotis blasphemiæ. Consecrâsti os tuum Evangelio; talibus jam aperire illicitum, assuescere sacrilegum est. Fædè ad cachinnos moveris, fædiùs moves.* Nec non illud *Chrysostomi*, φοβήθητι μὴ σὺ γελῶντος ὁ Δεσπότης ὀργίζηται ὁ τοὺς μὲν κλαίοντας μακαρίσας, τοὺς δὲ γελῶντας ταλανίσας. *Verearis*, inquit, *nè dum tu rides, irascatur Dominus.* Ego certè vereor, nè dum nos Eutrapeliam *Aristotelicam* deperimus, in *Paulinam* (eam intelligo quam Paulus prohibet) incidamus: & florentissimas Academias, quandocunque risui plùs quàm par est indultum fuerit, deridendas propinemus ipsis etiam Ethnicis. Siquidem Athenienses sanciebant, *Nemini concedendam esse ridendi licentiam in Academia, quoniam ab injuria, animíque dissolutione purum & inaccessum servare locum illum conati sunt*, prout testatur *Ælianus*, Dicendi sales insulsus sit oportet qui improbat. Sed ut de Scripturientium intemperie scitè *Pineda*, *Ista prurientis calami scabies potiùs est quàm scriptio*; Ità quæ apud nostrates obtinet Eutrapelia (dicam audacter) libido potiùs quàm lepor est. Vel si lepor, in eorum numero censendus, de quibus

De Consider. lib. 2. prope finem.

Tom. oper. 6. serm 66. cui titulus ὅτι οὐ χρὴ εὐτραπελίζειν τὸν ἀσκητήν.

Ἐν Ἀκαδημίᾳ μηδὲ γελάσαι ἐξεῖναι, &c. Ælian. Varior. lib. 3 cap. 35.

Claudi-

Claudianus, medio de fonte leporum surgit amari aliquid. Quin & ipsa surget amaritudo, si quando (quod absit) eò impudentiæ perventum fuerit, ut nemo *Terræ filium* egisse credatur prout officii ratio postulat, nisi se *Orci filium* esse demonstraverit; & ut *Tripodum optimus* habeatur, quisquis est *bipedum nequissimus.*

§ III. Quousque verò utilis sit futura ea, quam prædicamus, Activitas, colligi potest ex parænesi quadam Paulina. *Stabiles estote, & immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino.* (1 Cor. 15.58.) Abundare volunt quamplurimi, verùm otio potiùs quàm opere; atque adeò dicendi sunt potiùs tempus terere, quàm vitam agere; & diu esse, quàm diu vivere. Sciant illi, quotquot sint, monstrum esse in religione Christianum desidem; & meminerint velim, Satanam illos occupare, quos non occupatos invenit; imò cùm alios tentet diabolus, ipsum ab ignavis tentari. Quin & innumeri sunt qui *opibus* abundare cupiunt, qui *operibus* pauci. Quò magis heroicum erat votum *Melancthonis.* Eum refert *Chytræus* summopere delectatum fuisse dicto quodam *Achillis* quod est apud *Philostratum*, & ità se habet, ἐμὸν ἔστω τὸ πλεῖον τῶν ἔργων, χρήμασι δὲ πλεονεκτείτω ὁ βουλόμενος, i. e. *In operibus sit abundantia mea, divitiis per me licet abundet quisquis voluerit.* (*Chytræus* in viatico itineris extremi pag. 380.)

Neque tamen sufficit opere qualicunque abundare, cùm præstet nihil quàm malè agere. Monet itaque nos Apostolus, *ut abundemus in opere Domini*, hoc est, ut bonum agamus, ídq; bene; quod Monachum illum, de quo *Latimerus*, malè habuit. Non pigebit historiolam hîc inserere, quam ille coram Rege Edvardo narravit olim pro concione. Erat, inquit, Cantabrigiæ in eodem mecum collegio (sive illud Catharinense fuerit, sive Pembrochianum, nam utriusq; alumnus erat Latimerus) lepidus quidam & facetus monachus, qui inter confabulandum & comessandum, cùm quidam è sociis illam fortè sententiam recitâsset, *Nil melius quàm lætari & facere bene*; subitò erupit in hæc verba, (*Hugo Latimerus* Concion. Anglican. fol. 52. p. B.)

“ Apage illud bene, utinam in transmarinis exularet. Absq;
“ illo bene si fuisset, satis bene se res haberet. Enimvero
“ *lætari possum, & facere possum, sed bene facere nequaquam*
“ *possum.* Ejusmodi malè feriatis hominibus ac infrunitis ignis & sulphur cessura sunt in portionem. *Gloria verò & honor & pax cuivis rectè facienti bonum.* Fieri quidem potest ut irritus in mundo sit illorum conatus, sed *labor non erit inanis in Domino.* Siquidem ipse futurus est sui cultûs merces; prout Abrahamo patri fidelium, & in eo filiis suis universis pollicitus est, *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Unde sic Augustino subiit in animum precari, *Esto tu gaudium nostrum, qui futurus es præmium nostrum.*

§ IV. Veteres porrò soliti sunt, ad hostilem exercitum remorandum pariter & sauciandum, in via per quam transiturus erat, sudes præacutas & murices figere. Quò spectat
Cap. 5. v. 1. “ locus in libro *Judith* ubi dicuntur Israelitæ secum bellum
“ comparavisse, & in agris disposuisse res ad quas impingerent adversarii. Contra hæc & id genus obstacula munimento erant ocreæ militares. Tale præsidium est patientia adversùs mala quævis pœnalia, quæ nos circumstant in ecclesia, quam vocant, militante. Hinc Apostolus ad Timo-
2 Tim. 2. 3. theum, *Esto tu malorum tolerans*, κακοπάθησον, *ut bonus miles Jesu Christi.* Monent politici deligendos esse milites non ex urbibus ubi delicatiùs paulò vivitur, sed ex agris ubi plebs in laboribus enutrita hyemem & æstatem juxtà pati, humi
Lips. civil. doctrin. lib. 5. cap. 12. requiescere, sudorem & pulverem ferre didicit. *Fortior miles è confragoso venit, segnior est urbanus & verna*, teste Senecâ. Certè parùm idoneus ad arma tractanda reperietur quisquis se molliter habet: est enim bellatorum sors plerunque asperrima: sic Christianis expectanda malorum Ili-
“ as, quos idcirco Lutherus *Crucianos* indigitat. Memorat
“ in libello ad martyres Tertullianus solennitatem tunc
“ temporis maximam *Lacedæmoni* celebratam, quam διαμα-
“ στίγωσιν vocitabant. In quo, inquit, sacro ante aram nobi-
“ les quique adolescentes flagellis affliguntur, astantibus paren-

" parentibus, & ut perseverent adhortantibus. Ecce quod-
" dam quasi emblema illius disciplinæ quam exercet Pater
" cœlestis. *Quem diligit Deus castigat; & flagellat quem-* Heb. 12.6.
cunque filium agnoscit, μαστιγοῖ. En hortamenta flagellis admista, versu præcedente; *Obliti estis adhortationis, quæ vobis tanquam filiis loquitur? Fili mi, nè parvi facito castigationem Domini, neque animo frangitor cùm ab eo argueris.* Aliis quidem alios pauciora pati atque minora facilè concedimus; sic enim & milites, qui in stativis, immunes sunt ab ea periculorum mole, quâ premuntur fratres in acie. Nemo tamen omnium est, quem non aliqua difficultas exercet, exercuit, aut exercebit. *Delicatus es frater*, (ait alicubi Hieronymus) *si & hîc vis gaudere cum mundo, & postea regnare cum Christo.* Non sic Augustinus, cujus hoc perhibetur alloquium, *Domine hîc ure, hîc seca, modò in æternum parcas.* Nec Fulgentius, cujus isthoc, *Domine da mihi modò patientiam, postea indulgentiam.*

§ V. Præ aliis verò Christianis solet ille supremus rerum arbiter suos *Timotheos* per fragosa, per præcipitia ad cœlum perducere. Paulus iterum in eadem epistola, *Tu vigilans esto in omnibus*, κακοπάθησον, ἔργον ποίησον Εὐαγγελιστοῦ· ac si 2 Tim. 4. 5.
opus Evangelistæ circumstaret quicquid ferè vel arduum est vel ærumnosum. Hinc Scriptura Ministros verbi operarios vocat, idq; in messe; Piscatores, idq; in mari; stellas quæ sunt in perpetuo motu; nubes, quæ dum rigant, effluunt; lychnos, qui dum lucent pereunt; salem, qui dum condit absumitur; agricolas denique quibus *redit labor actus in orbem.* Discipulis profectò suis visus est Christus unâ manu Apostolatum porrigere, Crucem alterâ. Prædicatio & persecutio gemellæ ferè sunt. Concionatori nullus non movendus est lapis, etiam is sub quo dormit Scorpio. Væ illi à Deo si non evangelizet, sin autem fecerit, Væ erit ab hominibus. Aures proinde *Petri* sui ad oves pascendas abiturientis trinâ quæstione pulsabat Dominus, *Amas? Amas? Amas me?* Quia fido animarum pastori, quocunq; se verterit

terit, semper occurrit nonnihil ardui per solum amorem eluctabile, qui nescit nomen difficultatis. Summus in militia Dux apud Romanos cùm milites suos è castris educeret, advocato præcone, ter solebat interrogare num ad bellum essent parati? Illi quoq; ter respondebant Martio quodam barritu gestientes, & tollentes in sublime dexteras, se paratos. Pariter & tibi quisquis es, evangelii minister, aut tanti muneris candidatus, obversetur Christus interrogans, ut olim *Zebedæi* filios, Potésne tu calicem bibere, quem ego potavi? Potes crucem subire dum crucem prædicas? Qui non potest, destituitur alterâ saltem ocrearum præparationis evangelicæ.

Joseph. de bello Judaico, l. 3. c. 3.

§ VI. Quare verò evangelicæ? Quoniam scilicet evangelium illud est quo non ad agendum solummodo præparamur, ut ostensum est suprà, verùm etiam ad patiendum, utì mox annuente Domino, demonstrabitur. Enimvero mentes armatæ patientiâ (quam ipsam Petrus armis comparat, *Quum igitur Christus passus sit pro nobis in carne, vos quoque eâdem cogitatione armamini*, ὁπλίσασθε) quæ aliis perquam ardua sunt, facilè tolerant. Quid dico tolerant? Facilè superant, imò quod amplius adhuc est, ὑπερνικῶσι, modò didicerint ex evangelio Christum patientem intueri, & ad ejus exemplum se componere. Præclarè *Lutherus* ad Spalatinum, *Christi*, inquit, *passionem si quando intueor, mirè uror hanc meam tentationem, non solùm aliquid, sed etiam maximam videri tam magnis & multis, cùm sit revera nihil.* Nec malè *Justus Lipsius*, qui in ultimo agone monitus ab amico quodam astante, frustrà ipsi, utpote viro in scriptis Stoicorum versatissimo, argumenta suggeri, quibus animus ad constantiam firmaretur, ad Christum se convertisse dicitur & dixisse *Da mihi Domine Jesu patientiam Christianam.* Illud afflato per Spiritum sanctum Christiano, & libris evangelicis, multò magis & veriùs convenit, quod de se & libello quodam Q. Sextii scripsit Seneca. *In quacunque positione mentis sim, cùm lego hunc* (ille Sextium intelligit, tibi codex evan-

1 Pet. 4. 1.

Scultet. Annal. Decad. 1. p. 55.

Melch. Adam. in vita *J. Lipsii.*

Senec. epist. 64.

evangelicus in animo sit) *libet omnes casus provocare*; *libet exclamare, quid cessas Fortuna! congredere, paratum vides. Libet aliquid habere quod vincam, cujus patientiâ exercear.*
" Occurrit apud Surium hujusce rei paradigma nobile. *Al-*
" *zearius* Comes uxori suæ admiranti, quòd in tam ampla Tom. 5. in
" familiâ, & tam multis negotiis toties offensus nullum im- vita *Alzeari*
" patientiæ signum ederet, ità fertur dixisse. Noveris me c. 23.
" interdum sentire aliquam in animo adversùs infestantes
" me indignationem. Sed illico me converto ad cogitandas
" injurias Christo illatas, dicóque mihi ipsi, eum imitari
" cupiens; etiamsi famuli tui barbam tuam convellerent,
" & colaphos tibi impingerent, nihil hoc totum esset præ
" illis, quæ Dominus tuus & plura & majora perpessus
" est; certóque scias, Conjux mea, me nunquam cessare à
" commemorandis injuriis Salvatori meo illatis, donec ani-
" mus meus planè sit tranquillus. Isthæc omnia visum est obsignare dicto *Bernardi* longè suavissimo piissimóque.

Utrumque es mihi, Domine Jesu, & speculum patiendi, & pretium patientis. Utrumque fortiter provocat, & vehementer accendit. Tu doces manus meas ad prælium exemplo virtutis tuæ; Tu caput meum post victoriam tuæ coronas præsentiâ majestatis; sive quia pugnantem te specto, sive quia te expecto non solùm coronantem, sed & coronam. Serm. 47. in Cantic.

§ VII. Memor interim sis oportet, qui ista legis, Evangelium quo ad isthæc omnia præparamur, non illud esse scriptum apocryphum quod Valentiniani *Evangelium veritatis*; neque illud quod Nazaræi *Evangelium quintum*, & *Evangelium perfectionis* appellitârunt. Non illud quod Joannes de Parma Monachus Italus in lucem edidit sub usurpato nomine *Evangelii æterni*; neque illud quod Henricus Nicolaus sub titulo *Evangelii Regni*. Sed quod in sacris Veteris & Novi Testamenti libris comprehensum à Paulo *Evangelium pacis* indigitatur; & meritò quidem, eò quòd viam aperiat longè certissimam tum ineundi pacem cum Deo, tum eandem inter nosmetipsos retinendi; atque adeò

"*pacem* promoveat *Conſcientiæ* ſimul & *Concordiæ*. In ex-
"emplum prioris adduco lubens *Martinum Lutherum*, qui
" ſe hominem inquietiſſimæ conſcientiæ fuiſſe profitetur, &
" ad mentionem juſtitiæ Dei contrementem, donec Spiritu
" duce intellexerat ſenſum loci illius Paulini, Non me pu-
" det evangelii Chriſti: Juſtitia enim Dei per illud revela-
" tur ex fide in fidem: ſicut ſcriptum eſt, Juſtus ex fide
" vivet. Hîc me, inquiit, prorſus renatum eſſe ſenſi, & aper-
" tis portis in ipſum paradiſum intrâſſe. Ibi continuò alia
" mihi facies totius Scripturæ apparuit. Imò quanto odio
" vocabulum Juſtitia Dei oderam antè, tanto amore dul-
" ciſſimum mihi vocabulum extollebam. *Ità mihi iſte locus Pauli fuit verè porta Paradiſi.*

In præfation. Tom. 1. operum Latinorum Jenenſium.

Poſteriorem abundè demonſtrant Eccleſiæ primitivæ Chriſtiani, quorum omnium, poſtquam illud Domini ſui præceptum novum de ſe invicem diligendis, ſicut eos ipſe dilexerat, imbibiſſent penitus, erat *cor unum*, *& anima una*. Quanquam eorum degeneres poſteri Regiam hanc pacis viam derelinquentes, paſſim in hunc uſque diem litârunt diſcordiæ, ídq; nullibi ferè magìs quàm in *Anglia*. Diu eſt ex quo *Roberto Groſthead* Epiſcopo Lincolnienſi, repulſam paſſo, & hunc in modum intra papale Conſiſtorium muſſitanti, *O pecunia, pecunia, quantum potes, præcipuè in curia Romana!* Ità repoſuit *Gregorius nonus*, tunc temporis Papa, *O Anglici! Hominum eſtis miſerrimi. Quilibet veſtrûm alium corrodit, ac ſtudet depauperare.* Quo dicto, *Caiaphæ* inſtar, prophetare viſus eſt Pontifex maximus, ſi eorum habeatur ratio quæ geſta ſunt in eo, quod jam decurrit ſeculo.

Joan. 13. 34. Actor. 4. 32.

Matth. Parſ. in Hen. 3. ad Ann. 1250.

§ VIII. Quin agamus, Fratres, faciamus obſecro per amorem Dei, per Jeſu viſcera, nè ampliùs apud nos obtineat vulgatum illud, *Pax ab omnibus laudatur*, *à paucis ſervatur*. Cùm Jehova noſter ſit *Deus pacis*, Mediator noſter *Princeps pacis*, Fratres noſtri *Filii pacis*, Scriptura noſtra *Evangelium pacis*; vel pacem inter nos deinceps colamus,

colere

colere saltem adnitamur quantum in nobis situm est, vel Christianorum & Evangelicorum gloriosos profectò splendidósque titulos deponamus. Imitemur aliquando tandem *Bernardum*, qui fratres in se offensiores sic alloquitur, *Adhærebo vobis etiamsi nolitis, adhærebo etsi nolim ipse. Cùm turbatis, ero pacificus, dabo locum iræ nè diabolo dem.* Imitemur *Gregorium Nazianzenum*, qui cùm lis coram Synodo orta est, ídq; de suo episcopatu, dicitur hanc ad patres tunc in unum coactos orationem habuisse; Viri, inquiit, gregis sacri compastores, turpe est & nequaquam nostrum, qui pacem docemus, inter nos bella gerere. Per ipsam vos Trinitatem oro, ut omnia pacificè transigatis. Sin autem ego schismatis causa, ego si Jonas ille sim, projicite me sultis in mare, ut tempestas desæviat. Cathedrâ private, ab urbe pellite, facite demum quodcunque vobis libitum fuerit, modò pacem velitis, & veritatem unà diligere, sicut monet propheta Zacharias. O spiritum verè evangelicum! Enimvero habent se in Ecclesia pax & veritas, sicut in corpore naturali venæ & arteriæ. Veritas illi succum & sanguinem, pax vitales quasi spiritus subministrat. Aperiri venas necessum est ut Ecclesiæ saluti consulatur; sed cave sis quisquis es, animarum chirurge, nè dum venam prudens aperis, arteriam imprudens scindas; nè pacem violes, dum propinas veritatem. Me quod attinet, ambabus, quod aiunt, ulnis amplector duo virorum clarissimorum apophthegmata, quæ etsi frontibus adversis concurrere videantur, satìs tamen amicè consentiunt: Erasmi unum, *Adeò invisa est mihi discordia, ut veritas etiam seditiosa displiceat.* Musculi alterum, *Maledicta sit ea concordia quæ non nisi veritatis & Regni Christi præjudicio damnóque statui potest.*

Epist. 153.

In epistola ad Barbirium. Anno 1521.

Ap. Hoornbeck in sum. controvers. p. 588.

§ IX. Id unum superest, ut vindicetur hîc, de quo agitur, evangelii titulus adversùs eos, qui indè colligunt non licere Christianis, utpote pacis evangelium profitentibus, in ullo casu bellum gerere. Concludit *Erasmus* functio-

Annotat. ad Lucæ cap. 3. p. 213.

" nem militarem non esse puritatis evangelicæ, & dari in " rebus humanis multa necessaria mala, quæ tolerantur eò " quòd excludunt majora mala, non probantur ut evange- " licæ doctrinæ; in eorum censu bellum ponit. Sociniani perfrictis frontibus audaciùs multò & rotundiùs eloquuntur. Smalcius, *Quòd bella gerere liceat negamus, & indignum Christianâ pietate esse contendimus. Ostorodius* ait, *se conscientiæ causâ, & propter obedientiam præceptorum Christi, ac æternam salutem teneri bella improbare:* ac si in hoc ipso dogmate salutis cardo verteretur. Nobis rei summam compingere visum est in eos, qui sequuntur, Aphorismos.

Instit. Germanic. p. 177. apud *Calovium* in Socinismo profligato, p. 1004.

1°, Nemini licet, nedum viro Christiano bellum in deliciis habere: malo quippe delectari diabolicum est. Bellum ἀντονομαστικῶς malum dicitur apud Prophetam, *Ego Dominus, & non est alter, formans lucem & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum.* Ubi ut tenebræ luci, itá paci malum opponitur. In Psalmis aliquoties vitio vertitur istius mali affectatio. *Dissipa populos qui bello delectantur*; &, *Jamdudum habitavit anima mea apud osores pacis.*

Isaiæ 45. 7.

Psal. 68.
Psal. 120.

2°, Non licet alicui, sive Christianus fuerit, sive non, " bellum minimè justum suscipere. *Cajetanus* satìs quidem " severè, Qui audito belli nomine, non curantes de belli " justitia ad pecuniæ sonitum currunt, extra conscientiæ " scrupulos sunt; Manifestò enim sunt in statu damnationis " æternæ donec resipiscant, sicut qui currunt ad clades & " prædas, non soliciti de justo vel injusto.

Summula peccatorum in voce Bellum, § 5.

3°, Piis ante legem latam, atque etiam sub Oeconomia Mosaica bellum justum gerere licuit. Testor *Abrahamum*, cujus factum, postquam armatus victoriam reportâsset à Regibus illis qui *Sodomam* expoliâssent, ipse Deus per Sacerdotem suum approbavit: sic enim Melchisedechus, *Laus sit Deo altissimo, qui tradidit hostes tuos in manum tuam. Mosen* testor & *Josuam*, qui Amalekitas vim Hebræis inferentes armis repulerunt; *Jephtham* quoq; pro tuendis finibus pugnantem adversùs *Ammonitas*; quos etiam *David* bello petiit

tiit propter legatos violatos. Quid quòd Apostolus asserat *Gideonem*, *Baracum*, *Sampsonem*, & reliquos debellâsse regna, invaluisse in bello, exercitus exterorum vertisse in fugam, idque per Fidem, quæ proculdubio certam includit persuasionem, quâ id quod fecerunt Deo placere credebatur? Hebr. 11.

4°, Lex Christi non abolevit jus bellandi. Eandem Domino mentem fuisse credibile est, quæ fuit ipsius præcursori *Baptistæ*, & satellitibus Apostolis. Illi verò bellum probârunt ut licitum. Ad milites interrogantes, *Quid faciemus & nos?* Respondit Baptista, *Contenti estote stipendiis vestris:* unde sic infert Augustinus, *Quibus proprium stipendium sufficere debere asserit, eos utique militare non prohibuit.* Imò si aliter intelligendum sit, ridiculum & iniquum jussisset *Joannes*; erit enim ac si dixisset, estote contenti stipendiis vestris, eáque accipite militiæ nomine; hâc tamen lege, ut si militare vos jubeat Imperator, ei non obtemperetis, quia militia debet planè abjici ab illis qui saluti operam dant. Quod ad Apostolos, postquam de magistratu dixerat Paulus, *Non frustrà gladium gerit; nam Dei minister est, vindex ad iram ei, qui quod malum est fecerit.* Statim subjungit, *propter hæc etiam tributa solvitis: siquidem ministri Dei sunt in hoc ipso laborantes.* Unde sic, Tributum solvendum est magistratui, ut ex eo solvantur stipendia militibus (hîc enim finis eorum præcipuus erat tunc temporis, Teste *Tacito*, *Neque quies*, ait ille, *gentium sine armis, neque stipendia sine tributis haberi queunt*) Ergò Paulo militia non minùs probatur, quàm vel tributa subditorum, vel officium magistratûs. Apostolus verò Joannes in Apocalypsi pluribus docet debellandum esse Antichristum à principibus Christianis, per milites ejusdem fidei: & fore prædicit ut occumbant *Gog & Magog* in bello Christianorum defensivo.

Luc. 3. 14. Epist. 5. ad Marcellinum. Rom. 13. Histor. l. 4.

5°, Veteres Christiani se ab evangelio bellari prohibitos nè per somnium cogitârunt. *Navigamus & nos nobiscum*, aiebat Tertullianus, *& militamus, & rusticamur, & mercamur,*

Apolog. c. 42. Serm. 19. de de verb. Dom.

mur. Auguſtinus, *Non eſt delictum militare, ſed propter prædam militare peccatum eſt.* Bernardus, *Christi milites ſecurè præliantur prælia Domini ſui, nequaquam metuentes aut de hoſtium cæde peccatum, aut de ſua nece periculum: Quandoquidem mors pro Christo vel ferenda, vel inferenda, & nihil habet criminis & plurimum gloriæ mereatur. Miles Christi ſecurus interimit, interit ſecurior; ſibi præſtat cùm interit, Chriſto cùm interimit. Mors quam irrogat Christi eſt lucrum, quam excipit, ſuum.*

Serm. ad milites Templi, cap. 3.

6°, Abundè ſufficit unicum caput in Actis Apoſtolicis ad ſententiam orthodoxam in hac quæſtione ſtatuminandam, & ad evertendum omnes ferè ſtrophas adverſariorum. Eſt autem caput decimum; ubi verſibus primo & ſecundo occurrit *Centurio cohortis Italicæ pius ac timens Deum:* ergò poteſt quis eſſe miles & Chriſtianus. Ad hunc Centurionem Angelum mittere dignatur Dominus, verſu tertio: ergò ſtatus militaris ſtare poteſt cum gratia apud Deum. Ille verſu ſeptimo miſit ad Petrum *Militem pium ex iis qui cum ipſo erant aſſidui*; ergò pietati non officit militia. Verſu viceſimo ſecundo, admonendus erat à Petro ex Dei juſſu; ſed de officio militari deſerendo nè γρῦ quidem: ergò licitum eſt illo fungi. Denique verſibus quadrageſimo quarto & quadrageſimo octavo, Cecidit Spiritus ſuper homines militares qui etiam baptizati ſunt in nomine Chriſti; ergò non abhorrent Chriſtus & Spiritus à bello gerendo.

Cap. VII.

De ſcuto fidei aſſumendo ſuper omnia.

In fidei naturam inquiritur. Vindicatur illius diſtinctio in dogmaticam, miraculorum, & ſalvificam Sect. 1, 2. *Plerophoria nunquam convenit Chriſtianis*

stianis in statu desertionis; rarò in statu spiritualis infantiæ Sect. 3. *Contrà quam sentiunt plerique protestantes recentiores, Reformatorum nonnulli statuerunt fidem quà justificat in plerophoria quadam consistere: Excusantur tamen: & ostenditur quî factum sit ut deserta fuerit eorum sententia* Sect. 4, 5, 6. *Thesis hæc, Persona Christi Mediatoris est proprium & formale objectum fidei justificantis, exponitur & confirmatur.* Wottoni & Gatakeri *observatio critica* Sect. 7, 8. *Fidei cum scuto analogia ex etymologiis & historiis eruitur* Sect. 9, 10. *Fides quare præ aliis omnibus assumenda. Eam præ aliis impugnat diabolus. Ipsa virtutes alias antecellit, etiam charitatem. Paulus sibi conciliatur. Illustratur locus* 1 *Cor.* 13. *ult.* Sect. 11, 12. *Encomia fidei* Sect. 13.

§ I. MUndus exercet histrioniam, Ecclesia militiam. Erigitur vexillum crucis, & ab ipso pacis Principe vocantur ad arma Christiani, non donandi priùs rude, quàm vitam cum morte commutaverint. Memor hujus officii sanctus Apostolus, instar ducis veterani Ephesios suos ut tyrones hortatur simul & instruit, divinam exhibens πανοπλίαν, & inter alia armorum genera scutum fidei, quod eis commendatissimum vult super omnia, ἐπὶ πᾶσιν ἀναλαβόντες τὸν θυρεὸν τῆς πίστεως.

Fidem hîc intelligimus, non *qua creditur*; pertinet enim, ni fallor hæc ad gladium Spiritûs, verbum Dei, de quo versu sequente; sed *quâ creditur*. Illa verò triplex audire solet apud nostros theologos; *fides* scilicet *principiorum*, sive *dogmatica*, quæ notitiam in se continet plerorúmque dogmatum

tum Religionis Christianæ unà cum assensu illis adhibito, qualem indigitet Joannes in multis ex primoribus Judæorũ, qui licèt Christum profiteri non audebant propter Pharisæos, nè synagogâ moverentur, dicuntur tamen in eum credidisse. *Fides miraculorum*, de qua Paulus, *Si habuero omnem fidem, ità ut montes transferam, charitatem autem non habeo, nihil sum.* Ubi per omnem fidem nequit intelligi fides omnigena (datur enim aliqua quæ nunquam expers est charitatis) sed unius generis fides in gradu summo, illius scilicet quæ versatur circa miracula primæ classis, in quorum censu tralatio montium numeratur. *Fides* deniq; salvifica; de qua Paulus, *Gratiâ servati estis per fidem.* Et Petrus, *Reportantes mercedem fidei vestræ, salutem animarum.* In isthoc ad Ephesios loco, quem tractamus, nec sibi fidem principiorum vult Apostolus, utpote quæ non extinguit tela diaboli, sed ab eis ipsa sæpiùs extinguitur, ut in τοῖς προσκαίροις de quibus in parabola Salvatoris; nec fidem miraculorum, quæ cùm communis sit electis & reprobis, sumi non debet à nobis, aut expeti super omnia; sed eam quæ salutifera est & electis propria; quæ unica licèt sit quoad speciem, duos sibi gradus vendicat, *Recumbentiam*, & *Plerophoriam.* Vindicanda nobis interim est hæc antiqua distinctio, quoniam eam nunc dierum novatores satagunt antiquare.

Joan. 12. 42.
1 Cor. 13. 2.
Eph. 2. 8.
1 Pet. 1. 9.

§ II. Notam olim fuisse, miniméque improbatam satìs ostendunt hæc diserta *Chrysostomi* verba, πίστιν οὐ ταύτην λέγω τὴν τῶν δογμάτων, ἀλλὰ τὴν τῶν σημείων. Sed ut major illi lux, & fortassis authoritas concilietur, Lectorem exoratum velim, ut ad tria quæ sequuntur porismata diligentiùs attendat.

1°, Fides principiorum, sive dogmatica convenit omni verè renato, sed non soli. Siquidem in nova hac, ut in primæva creatione dicit Deus, *Fiat lux*, & suos omnes Lucis filios appellat: habent tamen & alii homines; quid dico homines? habent & dæmones fidem historicam; *credunt enim & contremiscunt.*

Jacob. 2. 19.

2°, Fides miraculorum nec omni nec soli renato convenit.

nit. Non omni; Joannes enim Baptista, ut est apud Joannem Evangelistam, *Signum nullum edidit.* Non soli; nam miracula deprædicabunt, qui tamen audient, *Certè nunquam novi vos.* Joann. 10.41. Matth. 7.23.

Tertium est bimembre, & sic se habet. Fides salvifica (quam alii justificantem vocant, alii fidem Electorum) quoad gradum recumbentiæ convenit omni quidem renato, atque etiam soli, & semper (id est) in omni statu post receptam Christi gratiam) quoad gradum plerophoriæ omni fortè, & soli, sed non semper. Priori membro fidem faciunt ea loca Scripturæ, in quibus per fidem Christiani dicuntur vivere; novâque creaturâ, & fides per charitatem efficax sibi invicem æquipollent, quod clarè fit in epistola ad Galatas, si capitis quinti versum sextum conferamus cum versu decimo quinto capitis sexti. Ut ad membrum posteriùs accedamus: Quanquam is ego non sim, qui valde diffitear ipsam etiam plerophoriam omni renato (modò fuerit inter adultos) ídque dum viator est, suo demum tempore seriùs aut citiùs convenire; quanquam etiam solis eam renatis competere nullus dubitem (ut ut enim se jactent irregeniti, & in utramque aurem dormiant, non magìs distant à cœlo tartara, quàm eorum securitas à vera fidei certitudine) assero tamen fidentissimè non semper competere.

§ III. Enimvero duo sunt status hominis etiam Christo insiti, in quorum uno nunquam omnino, in altero rariùs hæc certitudo invenitur. Prior est status desertionis, qui quidem plerophoriæ opponitur ex diametro. Si enim deseruit hominem Deus quoad animi sensum interiorem, quomodo certus est de gratia? Si certus sit, quomodo deseruit? Profectò si fides quâ justificat sit certa persuasio de Dei in nosmetipsos gratia, sequitur eum, qui postquam conversus fuerit, à Deo derelictus est vel ad modicum tempus, fide suâ justificante pro eo saltem tempore excidisse. Quod magno emptum vellet *Tompsonus* Diatribista, & qui cum eo tuentur gratiæ intercisionem. Posterior status est infantiæ

 spiri-

ſpiritualis: Quamdiu enim Chriſtiani ſunt minorennes, non ſolet eis cœleſtis Pater adeò grandem gaudii theſaurum indulgere, ſed ut cum Paulo loquar, (Coloss. 2. 2.) εἰς πάντα πλοῦτον τῆς πληροφορίας gradatim perducere. Qui nondum in ſchola Chriſti manum ferulæ ſubduxerunt, raró fiunt eorum participes, quibus donantur Coryphæi. Abſit ut ſancto Iſraelis ulli figantur à nobis limites; fieri poteſt & interdum etiam fit, ut ſub ipſis novæ vitæ primordiis ingeneretur certitudo, quà *intuitiva*, quà *diſcurſiva*: ſed plerunque ſe res habet recumbentiam inter & plerophoriam, ut inter rationem & eruditionem. Ratio fundamentum eſt eruditionis, cujus idcirco incapaces ſunt beſtiæ; recumbentia pariter baſis eſt plerophoriæ, à qua alieni proinde ſunt, qui præ fidei defectu non innituntur Chriſto, ſed ſibi ſuíſque dotibus quibuſcunque. Rationem ſtudiis exercitatam, &, ut ità dicam, ſublimatam cohoneſtat eruditio: recumbentiam ſimiliter crebris fidei exercitiis roboratam coronare ſolet plerophoria. Deperdi poteſt eruditio per negligentiam, vel per morbum, manente tamen ratione: ſic & amitti certitudo, durante adhuc recumbentiâ. Denique, ut omnis homo eſt rationalis, ſed non omnis eruditus; ità & omnes verè fideles recumbunt, ſed non omnes certiorantur.

§ IV. Fateor interim, nam apertior res eſt quàm ut negare fas ſit, paulò aliter docuiſſe primarios quoſdam Reformatores, alióſque nonnullos de Eccleſia Dei optimè meritos, dum in ſuis fidei definitionibus certæ perſuaſionis & plerophorias mentionem facere ſoliti ſunt. ex. gr. *Lutherus*, (In cap. 43. Genes.) "Fides, inquit, hiſtorica non nititur, nec confidit verbo, "ſed dicit, ego audio Chriſtum paſſum & mortuum eſſe. "Vera autem fides ſic ſentit, Ego credo Chriſtum pro me "paſſum & mortuum; de eo non dubito, & eâ fide acquieſco & confido illi verbo contra mortem & peccatum. "Lutherum excipiat *Calvinus*, (Institut. lib. 3. cap. 2. § 7.) Juſta fidei definitio nobis "conſtabit, ſi dicamus eſſe divinæ erga nos benevolentiæ firmam certámque cognitionem, quæ gratuitæ in Chri-

"ſto

"sto promissionis veritate fundata per Spiritum sanctum "& revelatur mentibus nostris, & cordibus obsignatur. "Heroas hosce præeuntes secuti sunt alii. *Beza*, fidem ap- "pellamus certam quandam scientiam, quam Spiritus san- "ctus suâ unâ gratiâ ac bonitate, magìs & magìs insculpit "cordibus Electorum; quâ scientiâ fit ut eorum unusquisq; "in corde suo certior factus suæ electionis sibi ipsi applicat "promissionem salutis in Jesu Christo. *Hieronymus Zan-* "*chius*, Fides nihil aliud est quàm certa persuasio è verbo "Dei concepta, quòd simus in Christo gratìs electi, per "Christum servati, & cum ecclesia Christi glorificandi. "*Perkinsius denique*, vera fides est infallibilis & particularis "certioratio de peccatis remissis & vita æterna.

Confess. c. 4. artic. 5.

Oper. in fol. Tom. 7. part. 1. col. mihi 227.

Reform. Catholic. cap de salutis certitudine.

Pluribus, opinor, testimoniis haud erit opus, cùm satìs constet usque adeò receptum fuisse hoc quicquid est dogmatis ut parùm abfuerit, quin in suspicionem heterodoxiæ caderet, quisquis aliter sentiret: unde factum ut vix auderent majores nostri sententiam oppositam absque præfatione veniæ literis mandare. Testes appello *Joannem Foxium* nostratem, & *Robertum Baronium* Scotum. Quorum ille in li- "bro de Christo gratìs justificante hæc habet; Mihi si libe- "rum in libera permittatur ecclesia profiteri quod sentio, "sic fert mea quidem ratio, ut existimem fiduciam hanc mi- "sericordiæ, & certitudinem salutis promissæ rem esse con- "junctissimam cum fide oportere, & quam quisque sibi ne- "cessariò accommodare debeat; at tum cùm maximè ac- "commodatur, non eam tamen esse, quæ sola per se pro- "priè absolutéque nos à peccatis sublevet, justificétque "apud Deum; sed aliud quiddam in evangelio propositum "esse, quod naturâ certitudinem hanc quoquo modo præ- "cedere oporteat, nósque apud Deum justificet. Præcedit "enim necessariò fides in personam filii, quæ nos primùm "Deo conciliat; sequitur deinde fidem hanc fiducia certis- "simæ misericordiæ, &c.

Pag. 246.

Hic in Philosophia Theologiæ ancillante, postquam docuerat

cuerat actum fidei qui præcedit justificationem, ut ejus causa instrumentalis, differre ab actu fiduciali, quo persuademur de remissione peccatorum jam impetratâ, quem eâdem posteriorem esse statuit, hoc tandem utitur colophone.

Exercit. 3. artic. 20.

"Hanc ego sententiam amplexus sum cùm primùm Theologiæ operam dare cœpi, sed eam suspectam habui ob "novitatem suam, ideóque in perpetuas tenebras damna-"veram. Verùm hoc ipso anno dum legerem doctissimas "Animadversiones & Castigationes *Davidis Parei* in quar-"tum tomum *Bellarmini*, idem planè apud illum reperii: "unde accidit ut tanti viri testimonio fretus & munitus eam "evulgare non sim veritus.

§ V. De receptissima nunc dierum inter Anglos sententia, sive concionatores, sive scriptores respiciamus, si quæratur; Eam libet proponere verbis, non meis sed celeberrimi Davenantii. *Fiduciæ vocabulum*, inquit ille, *duo designat; Ipsum actum innitendi & adhærendi Jesu Christo, quo quasi ambabus ulnis Christum amplectimur, & per eum actum veniam, gratiam & gloriam conamur obtinere à Deo Patre: atque hunc putamus esse illum actum, ad quem semper sequitur justificatio, id est absolutio à peccatis, & acceptatio in gratiam favorémque divinum: sive peccator illo ipso primo momento* πληροφορίαν *concipiat obtentæ remissionis, sive non. Solet etiam aliquando fiducia denotare consequens effectum fidei justificantis, nempe plenam persuasionem & quasi vividum sensum remissionis impetratæ, & obtenti favoris divini. Fatemur hanc fiduciam non esse fidem justificantem, sed fidei justificantis filiam, quam anima justificata non nisi post multa fidei & sanctitatis exercitia solet eniti.*

Determinat. quæst. 37. p. 167.

Absit tamen ut à nobis nigro, quod aiunt carbone notentur viri illi doctissimi piissimíque, quos suprà laudavimus, ut ut Paulò aliter sentientes. Honorandi sunt potiùs ab orthodoxis honestâ quâdam apologiâ, quam sic instituo. Cùm duo sunt actus principales salvificæ fidei, *Innitentia* scilicet & *Certioratio* (ut verbis utar Theologicis, etsi minimè

nimè Ciceronianis) Doctores quidam Reformati de priori minùs fortè quàm par erat soliciti, solius ferè secundi in suis fidei definitionibus meminerunt: quod ab iis ideo factum esse videatur, ut Lectores Auditorésque suos non in imis subsistere, sed ad summum tantæ virtutis culmen assurgere condocefacerent. Atque eò, ni fallor, adducti sunt, partim ex ardore nimio contradicendi Pontificiis, qui pro integra fide nescio quem generalem assensum Ecclesiis obtrudere sategerunt: partim ex nimia attentione ad suam ipsorum experientiam. Cùm enim *robori sit gaudium Jehovæ* (utì dixit olim *Nehemias* ad fatiscentes præ dolore Israelitas) verisimile est Deum Opt. Max. ut illos heroas, quorum operâ uti dignatus est in ecclesia repurganda ad tantam provinciam suscipiendam, tantósque labores exantlandos corroboraret, singularem eis certitudinem impertiisse. Unde factum est ut illi non tam ὀλιγοπιστίας (cujus alibi meminerunt) quàm πληροφορίας descriptiones proposuerint. *Qui aliter accipiunt, quod bene dicitur malè accipiunt*, ait *Amesius* in scriptis Antisynodalibus. Addo insuper duplicem esse justificationem, unam in *foro cæli*, alteram in *foro conscientiæ*; fidem illam, quæ prioris instrumentum est, nos verissimè statuimus esse recumbentiam & renitentiam: illi verò, quorum causam nunc agimus, dum posteriorem præcipuè spectabant, eam nimirum justificationem, quæ est in foro conscientiæ, non malè illius instrumentum statuerunt fidei plerophoriam.

Nehem. 8. 11.

Pag. mihi 202.

§ VI. Non erit interim abs re paucis ostendere quibus instrumentis usus sit Dominus ad veritatem vel ab invitis extorquendam. Nè diuturnus error esset, imò nè crearet fortè præjudicium animabus piorum verè quidem credentium, sed expertium ejusmodi certitudinis; ecclesiam suam clementissimus pater in rectum tramitem lubens reduxit; ídq; hoc præsertim medio, hostes nimirum veritatis id genus telis instruendo quibus eos exarmare nullo modo potuerunt orthodoxi, donec agnoscere cogerentur id quod res

est, Certitudinem gratiæ non esse de essentia fidei quà justificat. Liceat in exemplum argumenta duo producere, quorum unum *Arminianum* est, *Bellarminianum* alterum. Ordiamur à Bellarmino, qui triumphanti propior quàm dispu-

De Ecclesia l. 4. cap. 11. " tanti, ità se venditat suis lectoribus, Sectarii nostri temporis docent, omnem hominem justificari solâ fide speciali, quâ quisque certò credit se propter Christum coram Deo esse justum. Quod cum quolibet paradoxo comparari potest; non enim est id suprà vel præter, sed planè contra omnem rationem. Quæro enim, cùm incipio credere me esse justum, vel sum justus, vel injustus; si justus, igitur justificor per fidem illam, quæ est posterior meæ justitiæ: si injustus, illa fides est falsa, ergò non est fides divina justificans, nisi dicamus homines justificari per mendacium. Hæc ille: Viderint jam qui in ea sunt sententia, quam nos modestè impugnamus, quomodo vitari possit utrumque cornu hujus dilemmatis. Nobis ab eo nil metuendum, qui formalem actum fidei justificantis dicimus esse, non certitudinem remissionis impetratæ, sed recumbentiam, vel actum fiduciæ quo Christo innitimur, sive in misericordiam Dei per ipsum reclinamus; qui naturâ præcedit actum illum, quo credimus peccata jam esse remissa.

Arminianos cernere est pro sua generali redemptione " hunc in modum disputantes. Id quod omnes & singuli " tenentur credere proculdubio verum est. Omnes & singuli " tenentur credere Christum pro se mortuum esse. Est ergò " illud longè verissimum. Minorem ex eo probare satagunt, " quòd fides in Christum ex ipsa Contra-remonstrantium " confessione, certa quædam persuasio & plerophoria sit, " quâ cum quis Servatorem amplectitur hâc fiduciâ, quòd " crucifixus & mortuus sit pro peccatis non aliorum tan-

Pag. 337. " tùm sed & suis. Hoc ipsissimum amentum est illius teli quod torquent strenuè Remonstrantes in scriptis suis Synodalibus. Respondent nostri diversimode, sed (quod salvo reliquorum honore dictum velim) argumento minimè satisfaciunt,

faciunt, nisi qui certitudinem gratiæ specialis secludunt à conceptu quidditativo fidei justificantis quà justificat. Ab illis autem facilè solvitur, partim distinguendo inter τὸ credere in Christum, quod justificationi prævium est, sonátq; nudam recumbentiam in personam ad augustissimum illud munus Mediatoris omnibus numeris absolvendum instructissimam; & τὸ credere Christum pro se mortuum, quod (si ritè perficiatur) connotat plerophoriam, & non reperitur nisi in eo, qui jam justificatus est: Partim asserendo priorem actum requiri ab omnibus, saltem intra pomœrium ecclesiæ vitam agentibus; posteriorem ab illis solummodo, quibus per gratiam datum est priorem illum exercuisse.

§ VII. Nè quid verò in re tanti momenti reliquum sit obscuritatis, liceat hujusce theseos, *Persona Christi Mediatoris est proprium & formale objectum fidei justificantis*, brevem & scholasticam determinationem hîc annectere. Persona Christi Mediatoris vel *nudè* considerari potest abstrahendo scilicet à meritis quæ exsurgunt ex operibus theandricis; vel prout *meritis vestitur*, & illâ justitiâ, quæ in Mediatore requiritur ad salutem fidelibus obtinendam: Fides autem justificans subire notionem triplicem. Sumitur enim vel *specificativè*, prout speciem fidei constituit distinctam à fide principiorum & miraculorum, quibus competit nomen fidei, sed non efficacia justificandi; vel *reduplicativè*, prout fidem denotat non solùm *quæ*, sed *quà* justificat; vel denique *comprehensivè*, prout utrumque fidei gradum in se complectitur, recumbentiam scilicet, per quam in foro divino; & plerophoriam, per quam in foro conscientiæ justificamur. Hisce præmissis in apparatum, pono jam tria.

1°, Fides illa, quæ justificat, specificativè nimirum sumpta, Personam Christi Mediatoris sibi vendicat ut objectum ipsius principale sed non ut proprium: fertur enim in omnia, quæ Deo placuit revelare, sed in Christum primariò, secundùm illud πολυθρύλλητον, *Circumferentia fidei est verbum Dei, Centrum fidei Verbum Deus.*

2°, Eadem

2°, Eadem fides reduplicativè sumpta, quà justificat habet Christi personam pro objecto formali, quoniam ex illius intuitu constituitur & denominatur justificans (hæc enim duo constituere & denominare innuunt formalitatem) pro objecto item proprio, quia personam Christi solam, quà justificans est, intuetur. Sicut idem oculus Israelitæ sauciati qui Serpentem æneum ad salutem intuebatur, fontes etiam & flumina, montes, arbores, & id genus alia conspiciebat sed aspectu salutifero, quà tali, in solum serpentem ferebatur. Christi, inquam, personam eámque solam, verùm non nudè consideratam, sed prout meritis vestitur, illâque justitiâ, quæ resultat ex ipsius obedientia activo-passivâ. Unde ut sæpiùs fides in Christum audit, ità semel *fides in justitia Salvatoris*; in ipso nimirum limine secundæ

2 Pet. 1. 1. epistolæ Petrinæ, πίστις ἐν δικαιοσύνῃ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν καὶ Σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ.

3°, Objectum fidei justificantis quoad gradum plerophoriæ est complexum (scilicet hæc & ejusmodi axiomata, Christus pro me mortuus est, Ego sum filius Dei, Remissa sunt mihi peccata) non autem incomplexum quid, qualis est persona Christi sub ratione Mediatoris, in quam fertur & terminatur recumbentia per quam justificamur. Rem integram verbis quidem paucis plenè tamen & dilucidè proponit Amesius, *Fides non aliâ ratione justificat, nisi quatenus*

Medullæ l. 1. cap 27. thes. 17, 18. *apprehendit illam justitiam propter quam justificamur. Illa autem justitia non est in veritate alicujus axiomatis, cui assensum præbemus, sed in Christo solo, qui factus est pro nobis peccatum, ut nos essemus in ipso justitia. Hinc toties illæ in Novo Testamento repetitæ conciones, quæ justificationem in Persona sola Christi quærendam ostendunt.*

§ VIII. Nostrum erit è tot locis nonnulla perpendere.

Act. 13. 39. Galat. 2. 16. Paulus verba faciens de Christo ἐν τούτῳ, inquit, πᾶς ὁ πιστεύων δικαιοῦται; & alibi, καὶ ἡμεῖς εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν ἐπιστεύσαμεν, ἵνα δικαιωθῶμεν

Joann. 3. 18. ἐκ πίστεως Χριστοῦ. Joannes etiam in evangelio, *Qui non credit jam condemnatus est, quia non credidit in nomen unigeniti filii Dei*

Dei, ὅτι μὴ πεπίστευκεν εἰς τὸ ὄνομα. Et in prima ipsius epistola. *Hoc est præceptum ejus,* ἵνα πιστεύσωμεν τῷ ὀνόματι τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ. 1 Joan. 3. 23.
Sexcenta sunt alia quæ vel directè Christi personam (id enim sonat τὸ ὄνομα) formale fidei justificantis objectum statuunt; vel illud ipsum in loquendi modo indicant. Digni sunt qui audiantur hac de re inter nostrates *Antonius Wottonus* & *Thomas Gatakerus*. Ille in tractatu de Reconciliatione Part. 1. lib. 2.
“ peccatoris, Quid est, inquit, in Christum credere? An cap. 14. § 3.
“ id solummodo credere vera quæ Christus loquitur? At
“ quid opus erat Spiritui sancto tam novum & insolens ver-
“ bum usurpare, præsertim obscurum etiam & à vulgari
“ intelligentia remotum? Nam hic certè loquendi modus
“ εἰς Χριστὸν πιστεύειν totus est à Spiritu sancto, illi proprius, nec
“ ullum è Græcis authorem agnoscit; nè illos quidem septu-
“ aginta interpretes qui Hebræa Biblia Græcè reddide-
“ runt. Quamobrem plùs quàm verisimile videtur Spiritum
“ sanctum, cùm novo loquendi modo utatur, quem fidu-
“ ciam significare perspicuum est, aliud quiddam præter
“ communem vocis significationem proponere voluisse:
Nimirum (uti semet paulò pòst interpretatur) fidem justifi- Ibid. § 6.
cantem esse fiduciam, quâ Christo confidimus de venia per illius merita & satisfactionem acquirendâ. Hic in dissertatione de novi Instrumenti stylo, quâ *Psochenium* impu- Cap. 8.
gnat, eandem confirmans observationem hæc habet; πιστεύ-
“ ειν εἰς τινα, quod in *Joannis* evangelio tricies sexies reperi-
“ tur, εἰς τὸν Κύριον, εἰς Χριστὸν, εἰς τὸ ὄνομα, & ejusmodi loquendi
“ formulas ubinam tandem apud priscos Græcos illos in
“ eis, quæ scripto consignârunt, monumentis reperias?
“ Certè qui omnia illorum, etiam rudera quælibet, quàm
“ diligentissimè ruspati sunt, nihil hactenus ejusmodi nobis
“ repræsentârunt.

§ IX. In natura fidei justificantis indaganda pariter & astruenda hactenus occupati sumus: ad eruendam similitudinem, illam inter & scutum juvabunt nos partim etymologiæ, partim historiæ. Hebræorum מגן quod scutum significat

ficat oritur à radice גנן protexit; et Latinam vocem clypeus deducunt Etymologi ἀπὸ τοῦ καλύπτειν, quoniam tegit, idque sic ut tueatur: *Clypeique sub orbe teguntur*, ait Poetarum princeps; atque iterum, --- *scutis protecti corpora longis.* Galea non nisi caput, lorica non nisi pectus protegit: clypeus, utpote telum versatile, præstat universo corpori munimentum. Præstat & fides toti animæ, quoties eam ab adversariis impeti contingit. Fremat mundus, pauperiem, carcerem, gladios, equuleos, cruces ipsas minitetur; quisquis probè munitus est scuto fidei, paratissimus erit cum *Basilio* respondere, *proponenda scilicet esse pueris istiusmodi terriculamenta. Sibi vitam eripi posse, veritatem non posse.* Satagat licet hostis domesticus, caro propria; nummos, honores, delicias crepet. Qui Christo per fidem intentus est, hæc malorum irritamenta tanquam infra se posita vilipendet. *Pereat tecum pecunia tua* (dixit heroicè *Galeacius Caracciola*) *qui quicquid est in orbe terrarum opulentiæ Jesu mei lautitiis vel ad dieculam perfruendis æquiparandum judicaveris.* Hem inquit vir Pontificius de Luthero Romanensium lenocinia (fortiter dicam, an fideliter?) aspernante, *Germana hac bestia pecuniam non curat.* Rugiat infernalis leo quantùm poterit.

Theodor. hist. eccles. l. 4. c. 17.

Mel. Adam. in vita *Lutheri* p. 158.

Sed de diabolo ejúsque telis extinguendis dabitur in sequenti capite, magìs opportunus dicendi locus. Nihil hîc apponam aliud, præter illud Augustini, *Hostem visibilem feriendo, invisibilem vincis credendo.* Aliis quibusdam, inter quos ipse *Plinius* nomen suum profitetur, derivari potiùs videtur clypeus ἀπὸ τοῦ γλύφειν à sculpendo. Quamvìs enim qui nondum aliquid strenuè gessissent clypeo nullis ornato insignibus utebantur, unde illud Virgilii,

De verb. Domin. Serm. 8.

Natural. hist. lib. 35. c. 3.

--*Parmâque inglorius albâ*;

variis tamen imaginibus pingi olim solebant aut cælari scuta militum nobiliorum; atque hinc, teste *Lipsio*, nata sunt familiarum insignia. Quin & apud Christianos moris erat ea non imaginibus solùm, sed & inscriptionibus decorare. Fuit qui scuto cuidam argenteo inscribi curavit integrum symbo-

Analecta ad militiam. lib. 3. dialog. 2.

symbolum Apostolicum, Evangelicæ scilicet fidei breviarium. Historiam Christi modò nati alius affabrè sculpsit in clypeo, quem idcirco sugillatum cernere est in hoc epigrammate,

Aloysii Novarini Schediasmata. l. 4. num. 100. Idem Electorum sacrorum l. 2. num. 491.

Ὦ πόσον εὐήθης ὁ ζωγράφος ὅπλῳ χαράξει
Κοίρανον εἰρήνης ἀσπίδι τικτόμενον.

Illi verò poetæ, quisquis fuerit, ut ut incommodum videbatur Principem pacis in scuto depingere, quod est instrumentum bellicum; nobis utique certum est non aliud magis scuto fidei convenire, quàm historiam & personam Christi, ut ex eis patet quæ dicta sunt in paragraphis superioribus.

§ X. Transeundum est ad historias. Soliti sunt *Athenienses*, teste *Plutarcho*, gratulari, si quis miles clypeum suum è prælio salvum detulisset, ense licèt amisso, eúmque statim eodem clypeo supra caput imposito, quasi quodam diademate coronare. Sunt qui ad hanc consuetudinem satis priscam, ipsum putant *Davidem* alludere Psalmi quinti versu ultimo, *Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronâsti nos.* Certum est manere eos coronam longè nobilissimam, qui clypeum fidei servârunt incolumem. *Fidem servavi*, ait Paulus, *quod reliquum est, reposita est mihi corona justitiæ.* Porrò celebratur à scriptoribus scutum *Myrtili.* Miles is erat ingentis animi, qui cùm ad maritimam expeditionem navigâsset, submersâ fortè navi, eidem innixus, quo pugnare solebat clypeo, tutus in portum enatavit. Hinc epigramma,

Jac. Corem clypeus patientiæ, p. 61.
2 Tim. 4. 7, 8.

Effugi geminum clypeo discrimen in uno,
Cùm premererque solo, cùm premererque salo.

Alciat. Emblem. p. 572. 573.

En egregium emblema fidei, quâ sanè nihil, sive mari, sive terrâ, sive in prosperis sive in adversis periclitanti utilius est, aut ad salutem efficacius. *Moses* cùm aulicæ eum deliciæ in discrimen adduxissent, *Per fidem renuit vocari filius filiæ Pharaonis*; cùm instabat tyrannus irâ plenus, *per fidem dereliquit Ægyptum, non metuens excandescentiam Regis.* Denique milites aliquoties coria clypeis suis detracta, postquam aquâ fervidâ molliissent, præ gravissima inedia

Hebr. 11. 24. 27.

Ap. *Lipsium* de militia Romana lib. 3. Dialog. 2.

mandere coacti sunt. Ità de *Casalinis* tradit *Livius*, *Silius* etiam de *Saguntinis*,

—Resolutáque nudos
Linquentes clypeos, armorum tegmina mandunt.

Hegesippus de Judæis, in urbe sacra à *Vespasiano* obsessis, Cùm alia, inquit, famis solatia non reperirent, detrahebant coria scutis, *ut cibo essent quæ præsidio non essent*. Sic evangelicæ promissiones lora sunt è quibus conficitur scutum fidei, quas si possimus ἰδιοποιεῖσθαι, escam famelicis suppeditabunt, vel in summa rerum penuria. *Fides non metuit famem*, dixit olim *Hieronymus*. Nil sanè miri, cùm ipsa Christianis in pabulum sit.

§ XI. Reliquum est ut mox demonstrem, quare sumi debeat à milite spirituali scutum hoc super omnia. Id quidem factu opus esse vel indè liquet, primò quia virtus hæc à diabolo impugnatur super omnia. Hoc ille per se, per emissarios suos hoc unicè vult & conatur acerrimè. *Julianus* Imperator postquam se dedisset Satanæ in mancipium, cœpit in fidem debacchari. Notus est illius sarcasmus, Οὐδὲν ὑπὲρ τὸ πίστευσον τῆς ὑμετέρας ἐστὶ σοφίας. *Nihil vobis Christianis in ore est aliud, nihil in corde, præter crede, crede*. O vocem dignam Apostatarum coryphæo! Cui tamen minùs indignabimur, si quorundam pontificiorum in hanc ipsam virtutem, non tam dicta, quàm dicteria revocemus in memoriam. Quod nos *Solifidianos* & *Fidesolarios* toties indigitant, non abludit profectò multùm ab isto Juliani scommate. Sed en tibi, Lector, clariora. Eam quam nostri profitentur fidem specialem Bellarminus appellat *Figmentum Lutheri* [a]. *Andradius* amentissimam insaniam [b]. Verùm præ omnibus palmam fert *Panigarola* [c], cujus hæc verba fuisse perhibentur, *Si quis dicat, Confido me salvatum iri per sanguinem Christi, id eum ex stultitia asserere, imò & grave peccatum committere*. Secundò constat imprimis sumendum esse, quem diximus clypeum, quia fides inter virtutes jure suo primatum obtinet. In illo siquidem charismatum catalogo, quem

Nazianz. Orat. 1. contra *Julianum*.

[a] De pœnit. l. 1. c. 6.
[b] Orthodox. explicat. l. 6. p. 477.
[c] Apud *Andream Rivetum* in 13 Disp. p. 237.

quem Apostolus exhibuit, *Adjicite fidei vestræ virtutem, virtuti scientiam, scientiæ continentiam, continentiæ patientiam, patientiæ pietatem, pietati fraternum amorem, amori fraterno charitatem*; primus ut ità dicam annulus fides est; hic à Christo velut magnete suo pendulus allicit sibi reliquos omnes, ità ut quæ in fide orsa est catena, desinat in charitatem. *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur*: sic Augustinus. Ἀρχὴ ζωῆς πίστις, τέλος δὲ ἀγάπη· sic Ignatius in epistola ad Ephesios. 2 Pet 1.5,6,7.

§ XII. Nollem ego libenter virtutes hasce præstantissimas intèr se frustrà committere; cùm ea charitatis indoles sit, ut malit loco suo cedere, quàm de eo litigare. Quoniam verò quantum hîc ad Ephesios fidei, tantum alibi ad Colossenses charitati tribuit idem Apostolus, *Super omnia charitatem induite*; dabit veniam Lector Paulum sibi conciliandi, modò commodè fieri possit. Potest autem haud incommodè, si dicamus, præesse quidem charitatem universis virtutibus quæ spectant ad proximum, & in secunda legis tabula continentur; fidem verò ipsi etiam charitati. Siquidem ut illarum omnium actus proprii producuntur ab amore *imperativè* (ut loquuntur Scholastici) licèt non *elicitivè*; ità pendent ipsius amoris actus ab imperio fidei. Unde illud ad Galatas, *Fides per charitatem efficax*, utì domina per ancillam; atque illud ad Timotheum, *Finis mandati est charitas ex fide minimè simulata.* Propterea in hoc ad Ephesios loco dicitur ἐπὶ πᾶσιν ἀναλαβόντες, absolutè *super omnia*; sed in illo ad Colossenses, ἐπὶ πᾶσι δὲ τούτοις τὴν ἀγάπην, *Super hæc omnia* limitatè: vox enim τούτοις charitatis restringit præcellentiam ad virtutes erga proximum, quales sunt misericordia, benignitas, & id genus aliæ, quas in præcedenti commate memoraverat.
Coloss. 3. 14.
Cap. 5. v. 6.
1 Tim. 1. 5.

Cæterùm hîc ultrò se ingerit, & currentem remoratur primæ ad Corinthios capitis decimi-tertii versus ultimus, in quo Paulus, disertissimè præ ipsa etiam fide charitatem attollit: Νυνὶ δὲ, μένει πίστις, ἐλπὶς, ἀγάπη, τὰ τρία ταῦτα, μείζων δὲ τούτων ἡ

ἀγάπη. Dicam breviter, comparari illic ab Apoſtolo tres virtutes, quas appellant Theologicas, quoad durationem; non tam exiſtentiæ ſuæ (quæ æqualis eſt omnibus, ídque in patria beatorum) quàm officii principalis, cujus reſpectu nonnulla dabitur inæqualitas. Actus *ſpei* præcipuus eſt anhelatio ad futuram beatitudinem, quam ſimul ac adepti fuerimus omnibus numeris abſolutam, actus ille ſtatim ceſſabit, & ſola ſupererit perpetuandæ felicitatis expectatio. Pariter etiam cùm principale *fidei* munus ſit in Chriſtum recumbere Mediatorem ad obtinendam peccatorum remiſſionem, par eſt ut eo defungamur quamprimum peccato valedicimus, ſuperſtes licèt ſit quoad alia. *Charitas* verò quoad ſummum ipſius officium (quod unum omnino idémque eſt in utroque ſtatu, tum gratiæ, tum gloriæ) *nunquam excidet*. Quid dico excidet? nunquam labetur, aut fatiſcet, imò novis in cœlo incrementis locupletata, in hac ſuperna regione, vel regia potiùs, ferè ſola dominabitur. Eſto itaq; prout certè futura eſt, apud beatos comprehenſores princeps charitas; modò ſarta tecta ſit apud viatores, quæ parenti ipſius fidei jure debetur, prærogativa.

§ XIII. O quàm te memorem Fides virtutum nobiliſſima! Tu cardo es ſuper quem vertitur porta cœli; ſitula per quam hauritur aqua vitæ; annulus ille nuptialis quo mens Deo deſponſatur; receptaculum ſanguinis Chriſti, conditio novi fœderis unica, novæque pars maxima creaturæ. Per te qui recumbunt tuti, lætíque ſunt qui certiorantur: Tu noſtrarum animarum oculus, manus, os & omnia, meritò poſſis uſurpare de temetipſa, quod de ſe dixit olim virgo Deipara, *Exultat ſpiritus meus in Deo Servatore, quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, unde me in poſterum beatam prædicatura ſunt omnia ſecula*. Nos autem, fratres, quidni fidē uſque & uſque prædicemus beatiſſimam gratiarum, in cujus encomiis Spiritus ſanctus undecimo ad Hebræos capite viſus eſt tantùm non luxuriari? Nihil profectò viſu ſuavius, quàm ſponſam cernere, ut eſt apud Solomonem in Cantico,

co, ***innixam super dilectum suum***; de qua recumbentia pulchrè Bernardus, ***Frustrà nititur sponsa, si non innititur: sin autem innitatur, Omnia poßibilia sunt innitenti super eum qui potest omnia.*** Nil gustu sapidius quàm illa fidei certitudo, de qua Petrus, ***Studete vocationem & electionem vestram firmam efficere; Hæc enim si feceritis, nunquam impingetis. Ità amplè subministrabitur vobis introitus in regnum Domini nostri, & Servatoris Jesu Christi.*** Qui non sunt plenè certiorati, intrant quidem modò recumbant; sed interim instar naviculæ remis confractis, hiante carinâ, velis scissis, clavo deperdito, portam vix ingredientis. Eis, qui gaudent plerophoriâ πλουσίως ἐπιχορηγηθήσεται ἡ εἴσοδος, ad instar navis instructissimæ, & mercibus transmarinis refertæ, quæ plaudentibus nautis, resonante buccinâ, passis velis & insignibus, vento secundo ab extremis Indiis in ipsam mercatorum patriam delata est.

Cantic. 8. 5.
Serm. 6. in Cantic.
2 Pet. 1, 10, 11.

Cap. VIII.

De ignitis diaboli telis quæ per fidem extinguuntur.

Diabolus dicitur ὁ πονηρός, *quià nequam est formaliter, totaliter, finaliter, & efficienter* Sect. 1. *Ignita ipsius tela sunt persecutiones, tentationes, & injectiones. De interpretatione* 2 *Cor.* 12. 7. *Conjectura* Sect. 2, 3. *Extinguendi duplex notio. Persecutionum per fidem extinctio* Sect. 4. *Nec non tentationum.* Lutheri & Gesneri *dicta fiduciæ plena* Sect. 5. *Injectionum remedia sex, quæ fides suppeditat. Distinguuntur à tentationibus carnis.*

nis. Utilis narratio Joannis Climaci, Sect. 6. *Satanæ & Chriſti nomina ex diametro oppoſita. Quare injectiones rejectæ minimè noceant* Sect. 7. *Joannes* Gerſon *ſæpe laudatus. Quî fit ut Satanas tot modis nos impugnet, cùm ſciat ſe ideo plùs pœnarum luiturum*, Martini Delrii *ſententia* Sect. 8.

§ I. IN *Agamemnonis* olim clypeo ſcriptum fuiſſe perhibetur ſymbolum hoc, teſte Pauſania, Οὗτος μὲν φόβος ἐστὶ βροτῶν. Suggerit Paulus in eodem ad Epheſios verſu cujus partem priorem in ſuperiori capite pertractavimus, quòd inſcribi meritò poſsit ſcuto Fidei, Ἐν ᾧ δυνήσεσθε πάντα τὰ βέλη τοῦ πονηροῦ τὰ πεπυρωμένα σβέσαι. Ad quorum verborum luculentam magìs expoſitionem, tria ſunt nobis enucleanda: Quiſnam ille ſit ὁ πονηρὸς, quænam illius ignita tela, qualis denique fidelium ars in eis omnibus extinguendis.

Nequam ille proculdubio eſt diabolus, cui idem ſtigma multoties inuritur. De primo quidem actu nequitiæ diabolicæ non minùs quæritur inter Theologos, quàm inter Geographos de Nili capite: fluenta tamen utriuſque ſunt in propatulo. Nec eſt, opinor, qui negabit nequam eſſe diabolum, 1°, *formaliter:* unde poſitum eſt in more Spiritui ſancto, ſicut ex una parte res & perſonas præcellentes Angelorum nomine cohoneſtare (quemadmodum manna dicitur panis Angelicus, David ſapiens ut Angelus Dei, linguas Angelorum memorat Paulus, & Chriſtus ad Angelos Eccleſiarum ſcribit epiſtolas Apocalypticas) ità ex altera eas quæ valde diſplicuerint, à diabolo denominare; ὕπαγε ὀπίσω
Matth. 16.23. μου Σατανᾶ, ait Dominus ad *Petrum*, quando carnem redole-
Joann. 6.70. bat; & de *Juda, Unus ex vobis eſt diabolus. Terrena eſt,*
Jacob. 3.15. *animalis, & dæmoniaca*, ſic *Jacobus* de mundana ſapientia.
2°, *Totaliter.* Sunt in hominibus etiam apoſtatis nonnullæ moralium virtutum reliquiæ: in Satana penitus deſiderantur. Sin autem interdum veritati ſpecie tenùs velificetur, mon-

monstrum alit interea; satagens ut eò faciliùs via sternatur ad mendacium. Hinc dæmones τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας audiunt, id est, interprete Beza, *spirituales improbitates*, quia nimirum spiritus sunt, in quibus improbitas, eáque sola dominatur. 3°, *Finaliter:* unde illud, errare humanum, in errore perseverare diabolicum. *Numquid qui aversus est non revertetur?* ait de Israele Dominus. Non opus est ut revertantur Angeli boni, quia se nunquam avertebant. Diaboli sic aversi sunt ut reverti nequeant, veris autem Israelitis ut ut per peccatum aversis dabitur revertendi gratia. 4°, *Efficienter.* Abundè docet sacra pagina quanto studio Satan à mundi incunabulis ad hunc usq; diem omne genus sceleribus procreandis incubuerit. Quis protoplastos ad arborem scientiæ degustandam non absque dispendio arboris vitæ; & Cainum fratricidam ad quartam ferè mundi partem uno ictu obtruncandam provocavit? Diabolus. Quis *Jeboschua* Sacerdoti sacra peragenti ad dextram stetit ut officeret, & ipsum Christum in deserto adortus est? Diabolus. Quis *Judam* impulit ut Jesum proderet? *Davidem* ut numeraret populum, *Ananiam* ut fraudaret Ecclesiam? Diabolus. Quis *Jobum* ulceribus, *Paulum* colaphis exercuit, orbem denique universum atheismo, stupris, idolis, cædibus inquinavit? Diabolus. Quem profectò nemo mortalium, quantumvis eloquens ad miraculum, pingere potest nigriorem, quàm depingi mereatur: cùm quod de Christo, déque cœlo dictum legimus aliquoties, verum sit de malitia Satanæ, *Nullam hyperbolen patietur.*

Eph. 6. 12.

Jer. 8. 4.

§ II. Tela ipsius ignita quod attinet, τὰ βέλη τὰ πεπυρωμένα. Βέλος ἐστὶ πᾶν τὸ πόῤῥωθεν βαλλόμενον. Sic *Eustathius.* Vox admodum lata, nam omne telum missile, quo pugnatur eminus, sub ambitu suo comprehendit: qualia sunt jacula, faces, lanceæ, pila, veruca, sagittæ, tragulæ, & id genus alia, de quibus copiosè *Lipsius* in Poliorceticis. πεπυρωμένα dicuntur metaphorâ militari sumptâ vel à facibus id est hastulis urentibus jaci solitis in hostes de quibus Statius,

Lib. 4. Dialog. 4. & 6.

Spiculáque, & multâ crinitum miſsile flammâ;
vel à ſagittis veneno tinctis, quæ ſimulac vulnerant, incendunt, præ ardore toxici totum illico corpus permeante. Iſthæc autem ignita Satanæ tela (dum certis ea cancellis includere moliebar) viſa ſunt mihi reduci poſſe ad *perſecutiones, tentationes*, & *injectiones* diabolicas.

An perſecutio ſit opus Satanæ non patitur nos Chriſtus ulteriùs dubitare, qui in epiſtola ad Smyrnenſem Eccleſi-
Apoc. 2. 10. am, *Futurum eſt*, inquit, *ut conjiciat diabolus aliquos ex vobis in carcerem, ut exploremini*. Nec Jacobus an telum ſit, qui
Gen. 49. 23, 24. de ſuo Joſepho ſic prophetat moriturus, *Quamvìs jaculati ſunt, quamvìs inteſtino odio proſecuti ſunt eum ſagittarii, ta-*
1 Pet. 4. 12. *men permanſit in robore arcus ejus*. Nec Petrus an dici debeat ignitum; ipſe enim πύρωσιν vocat, Μὴ ξενίζεσθε τῇ ἐν ὑμῖν πυρώσει.

Tentationes illi omnino par eſt ut aſcribamus, cui nomen ὁ πειράζων· tela ſunt, verbi gratiâ, quæ irritant ad libidinem. *Solomon* de adoleſcente meretriciis blandimentis irre-
Prov. 7. 22, 23. tito, *Statim ſequitur ſicut bos ad mactationem, donec transfigat ſagitta jecur ejus*. Nec deeſt ignis. Notum eſt omnibus
1 Cor. 7. 9. illud Apoſtoli κρεῖσσόν ἐστι γαμῆσαι ἢ πυροῦσθαι· Nec philologis ignotum quid hac de re dixerit Flaccus,

Carmin. lib. 4. ode 1.
Abi quò blandæ juvenum te revocant preces
Si torrere jecur quæris idoneum;

Quid Maro de Didone,

Vulnus alit venis & cæco carpitur igne;

Quid de alia Catullus, -- *toto concepit pectore flammam*
Funditus atque imis exarſit tota medullis.

Quid denique *Muſæus*, qui in ſuo poemate Cupidinis tela, voce non emphaticâ magìs, quàm ad rem, quæ præ manibus eſt, accommodatâ, ſemel atque iterum vocat πυριπνείοντας ὀϊστοὺς, *ignitas vel ignem ſpirantes ſagittas*.

§ III. Injectiones purè ſunt putéque diabolicæ. Perſequitur nos Satan per mundum, tentat per carnem, ſed ſolus injicit, & per ſe. Tela ſunt acuminata, penetrant enim,

perme-

permeántque phantasiam, quæ durante paroxysmo, *terribilia de fide* (uti loquitur Bernardus) *horribilia de divinitate*, velit nolítve cogitur in se recipere. Ignita verò, si quæ alia, quoniam mentem urunt & angunt suprà quàm dici potest acerrimè. Apud Gersonem audiunt *Muscæ infernales admodum pungentes & immundæ. Spiritus blasphemiæ scaturigo est cogitationum adeò horribilium adeóque molestarum ut ejus tentatio plerumque quasi martyrium sit.* Sic Gulielmus Parisiensis. Locus occurrit vexatissimus secundæ ad Corinthios duodecimo, quem si fas sit paulò aliter interpretari, quàm fieri solet à plerisque, non erit cur fides istorum alicui derogetur. Ἐδόθη μοι σκόλοψ τῇ σαρκὶ, ἄγγελος Σατᾶν, ἵνα με κολαφίζῃ. *Molinæo* [d], *Cameroni* [e], *Gualtero* [f] viris clarissimis, post vulgares expositiones de inimico valde noxio, de libidinis uredine, déque œstro superbiæ satis abundè refutatas, suas proponere visum est, sed discordes. Unus existimat morbum innui quem diabolus per intervalla recurrentem exasperavit. Alter prout verba sonant, malum Angelum reipsâ plagis excipientem corpus Apostoli. Tertius autem propriam ipsius conscientiam, suggerente illi Satanâ quid adversùs Ecclesiam perpetraverat adolescens & adultus. Nolo jam eorum sententias sub incudem revocare: liceat diversam ab istis omnibus in lucem proferre; & viris cordatis relinquere dijudicandam.

Tractat. contra tentation. blasphem.
Lib. de tentation. & resistentiis.
2 Cor. 12. 7.
[d] Vates l. 2. c. 12.
[e] Myrothec. p. 237.
[f] Comment. in locum.

Quoniam σκόλοψ sudem significat præacutam, in illa phrasi ἐδόθη μοι σκόλοψ τῇ σαρκὶ allusio sit ad sudes illas assulásque quibus sub Paulinis temporibus perforata sunt corpora Christianorum, quæ in usum nocturni luminis Neronianæ crudelitatis administri usurpare soliti sunt. Illud si obtineat, certè quicunq; cruciatus per hanc metaphoram indigitetur, telum erit satis supérque ignitum: Juvenalis enim hoc genus mortis ità περιφράζει,

--- Tædâ lucebis in illa,
Quâ stantès ardent qui fixo gutture fumant.

Ejusdem supplicii meminit Seneca, recitans damnánsque votum

Epist. 101.

votum hoc Mœcenatis, *Vita dum superest, bene est: Hanc mihi vel acutâ si sedeam cruce sustine.* Ubi *Lipsius*, Sedent, " inquit, in acuta cruce, qui stipite acuto transfixi ab imo sunt per os emergente. *Angelus Satan* in casu recto quidni designet ipsum diabolorum principem, quem Adamum in Paradiso, Christum in deserto, Paulum in hoc agone gravissimo, credibile est exercuisse? Colaphi verò, quos impegit sunto quos Theologi vocant *injectiones*; quæ instar colaphorum in pugna solent esse creberrimæ, & vel in modico temporis spatio decies, centies, imò millies repetitæ. Neq; recens est hæc interpretatio. Siquidem *Joannes Gerson* Cancellarius Parisiensis, quem constat ab hinc annis ferè trecentis floruisse, in tractatu quodam suo contra tentationem blasphemiæ, de horrendis ejusmodi cogitationibus verba faciens hæc habet. *Interdum contingunt per solam suggestionem inimici phantasiam turbantis, ut dicendo, Nega Deum, maledic Deo.* Et paulò pòst, *Datus fuit stimulus talis Apostolo, secundùm multos Doctores.* Quod opinor sufficit, ad novitatis præjudicium amoliendum.

In calce tomi 4. edit. Paris. colum. 973.

§ IV. Videamus jam quanta sit fidei efficacia in hisce telis extinguendis. Sapientia carnis, cùm ipsa diabolica sit, ignita hujus adversarii jacula solet ardentiora reddere. Alia Spiritûs sancti charismata possunt aliquibus mederi, dum opposito sibi vitio quælibet gratia reluctatur. Sola fides extinguit omnia: ídque duobus præsertim modis, quorum unus est προφυλακτικὸς, faciendo scilicet ut vel in animum non omnino recipiantur, vel non nimìs eum penetrent: sicut antemurale terreum extinguere dicitur globos plumbeos, quos tormenta bellica jaculantur. Alter θεραπευτικὸς, pro medicina sanguinem Christi adhibendo, postquam mens sauciata fuerit: sicut ardorem, quem veneno tinctæ sagittæ excitaverant, extinguunt balsama salutifera. Ordiamur à persecutionibus. Quantarum virium fides sit ad earum ictus quà repellendos, quà sanandos testatur abundè caput undecimum ad Hebræos. Attestantur martyrologia, unà cum scriptis omne

omne genus ecclesiasticis. *Minatur Antichristus, sed Christus tuetur. Mors infertur, sed immortalitas sequitur; mundus eripitur, sed paradisus exhibetur; vita temporalis extinguitur, sed æterna reparatur.* ità Cyprianus. *Cruciate, torquete, damnate, atterite: probatio est innocentiæ nostræ iniquitas vestra. Plures efficimur quoties metimur; semen est sanguis Christianorum. Sententiis vestris gratias agimus; cùm à vobis damnamur, à Deo absolvimur,* Ità Tertullianus. *Nolite mihi beatam spem invidere. Quantò plùs tormentorum accesserit, tantò plùs referam præmiorum.* Ità Gordius referente Basilio. Quin &

De exhortat. martyr. c. 12.

Apologet. cap. ult.

Tormenta, carcer, ungulæ, Stridénsque flammis lamina,
Atq; ipsa pœnarum ultima Mors, Christianis ludus est.

Hymno in laudem *Vincentii.*

Ità Prudentius. Denique (nè nimius sim, & nè materiæ fortè suavitas provocet ad sermonis luxuriam) *quod ad causam publicam attinet, penè securus spectator sum, & istos minaces & feroces Papistas non hujus facio. Si nos ruamus, ruet unà Christus, scilicet ille regnator mundi. Mallem ego cum Christo ruere, quàm cum Cæsare stare.* Ità Martinus ad suum Philippum.

Melch. Adam. in vita *Lutheri* p. 138.

§ V. Avocant me tela profectò graviora: *Ignitæ* scilicet *tentationes*. Sed & has extinguere didicit fides. Vulneret licèt serpens igneus (per quem tentator intelligitur) mortem inferre nequaquam poterit, modò nos in Serpentem æneum, id est Christum Dominum nunquam non intueamur. Quemadmodum enim in ultima ferè typorum legalium antiquitate per Manna de cœlo præfiguratus est Servator, quia verè cibus est illius caro; & per aquam de Petra, quia verè potus est illius sanguis. Ità per serpentem in deserto salutiferum, quia verè medica est illius gratia. Fecit fides ut *Josephus* ad blanditias dominæ suæ, *Petrus* ad tinnitum auri quod obtulit Magus, utrumq; procurante Satanâ, obsurdesceret. Facit quotidie ut diabolum Christiani aliquando fugiant adventantem; subducendo nimirum se ab eis vitiorum scitamentis, quæ essent fortè peccatis ansam

Lib. de honestat. mulierum. præbitura, juxta monitum Augustini saluberrimum, *Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam.* Aliquando fugent incursantem, se illi fortiter opponendo, prout monet tum Jacobus, *Obsistite diabolo & fugiet à vobis:* tum etiam Petrus, *Adversarius ille vester, ut leo rugiens obambulat, quærens quem absorbeat: Cui obsistite firmi per fidem.*

Jacob. 4. 7.

1 Pet. 5. 8, 9.

Luther. tom. 4. fol. 55. A.

Lutherum hîc vobis ob oculos ponite magnanimum athletam, qui postquam se fide munivisset, triumphanti propior " quàm luctanti, sic allocutus est diabolum. Domine Sa-" tan, nihil me movent minæ & terrores tui: est enim unus " qui vocatur Jesus Christus, in quem ego credo. Is legem " abrogavit, peccatum damnavit, mortem abolevit, infernum " destruxit, éstque ô Satan, Satan tuus. Quibus gemina ferè sunt quæ legimus de *Gesnero Theologo.* Esto, veniat, inquiit, " diabolus, & in me misero peccatore vires suas experiatur. " Ego illi monstrabo Filium Dei de cruce pendentem, & " dicam; Huic ego, non tibi peccavi: huic totum me credo; hunc si viceris, me quoque viceris.

Melch. Adam. in vit. Theol. Germ. p. 746.

§ VI. Supersunt adhuc tela omnium ardentissima, *Diabolicæ* scilicet *injectiones*; quibus fert animus immorari. Hasce fides ut extinguat, docet

1°, distinguere tentationes è corde proprio bullientes, ab injectionibus quæ forinsecùs immittuntur. Illæ plerumque suggerunt quæ naturæ gratiora, rationísque per lapsum impiatæ dictamini magìs consentanea sunt; ídq; placidè & gradatim, ità ut mens sui compos maneat in ipso æstu: Hæ autem impetu plùs quàm humano irruentes, fulguris instar, & ocyùs quàm solent passiones dianoeticæ, horrore sui sic implent animum, ut tantùm non pectus ipsum expectorare videantur; dum ea perpetim dictitari sentit, & dolet, ad quorum præsentiam natura vel depravatissima contremiscit.

Quòd si constiterit suggestiones, quas non parturimus sed patimur, & quibus proinde plùs supplicii subest quàm sceleris, haud aliud esse quàm stricturas ab incude diabolica volitantes;

volitantes; reatus penes erit diabolum, nósq; blasphemiæ non minùs immunes, quàm *Benjamin furti*, cùm ipso quidem inscio, repertus est in ejus sacco frumentario scyphus argenteus. Verè dictum est olim, & satis profectò theologicè, licèt non satis poeticè, *Tentans non lædit, nisi cùm tentatus obedit.* In quem sensum pulchrè simul & plenè Bernardus, *Mordet Satan cùm ad consensum pertrahit, latrat solùm cùm suggerit; & tunc non vulnerat sed coronat: quoniam etsi resistentem fatigat, non obligat non consentientem.* Docet, De interiori domo cap. 47.

2°, Consilium inire, & bene consultis acquiescere. Caro cùm Satanæ sit à secretis, illius arcana silentii velo lubens obtegit; atque adeò

Stultorum incurata pudor malus ulcera celat.

Fides verò nacta sinum in quem se tutò possit effundere, reserat ad unum omnia; quò fit ut sæpiùs medicam manum, útq; feliciùs experiatur. Exemplo sit monachus ille studiosus, qui (ut est apud *Joannem Climacum* testem auritum, Hoc, enim, inquit, is qui expertus est mihi postea narravit) à Scala paradisi gradu 23.
" spiritu blasphemiæ per annos viginti lacessitus, postquam
" frustrà carnem jejuniis & vigiliis maceràsset, scriptam in
" chartula tentationem sanctissimo cuidam seni, quem co-
" ràm intueri veritus est, pronus obtulit. Re penitiùs ex-
" ploratâ, cùm sensum illi fuisse blasphemiæ, sed absq; con-
" sensu intellexerat, subrisit senex; & humi prostratum eri-
" gens fratrem, Impone sis, aiebat, fili, capiti meo manum
" tuam: quod cùm fecisset, dixisse fertur miles Christi ve-
" teranus, Super me sit hoc peccatum, frater, quotcunq; te
" annis oppugnaverit, aut deinceps oppugnaturum sit. Ad quæ verba Monachus convalescere, morbúsq; ejus chronicus simul & acutus illico cœpit per Dei gratiam desævire. docet,

§ VII. 3°, Christum amplecti sospitatorem, qui diabolicas injectiones pati voluit in eremo, ut Christianis compati posset sub eadem cruce laborantibus; Quem *ideò patefactum*

1 Joann. 3 8. *factum aſſerunt ſacræ literæ, ut diſſolveret opera Satanæ*; & cui idcirco certa nomina indiderunt iis planè contraria quibus diabolus inſignitur. Hic *Draco* dicitur, ille *Agnus Dei*; hic *adverſarius*, ille *ſponſor & amicus*; hic *leo rugiens*, ille *bonus ovium paſtor:* hic ὁ πονηρὸς, ille ὁ δίκαιος; hic *rector tenebrarum*, ille *Pater luminum:* hic *mortis procurator*, ille *author ſalutis:* hic *accuſator*, ille *advocatus*: hic denique *perditor* ὁ ἀπολλύων, ille *Jeſus* quod Servatorem denotat.

4°, Statim repellere: Magna pars religionis eſt cavere cogitationibus noſtris, nè ſi fortè blaſphemæ fuerint, moroſæ ſint. Enimverò ſicut polluitur hortus, non ab urticis, quas è triviis injectas olitor indignabundus ſimul ac conſpexerit amolitur, ſed ab herbis noxiis, quæ intus enaſcuntur & pullulant. Sic animus ab internis concupiſcentiis impiatur, non ab immiſſionibus Satanæ, modò incunctanter repudiatæ certatim à nobis exterminentur. Ratio eſt, quoniam in ſtatu primigenio penes erat hominem ſuis ipſius concupiſcentiis moderari; nunquam autem obſtare quo minùs diabolus phantaſiam obſideret.

4°, Mentem avertere, nóſq; ad alia cogitanda mox recipere. Nec enim tutum eſt cum diabolo, ſophiſta omnium longè veterrimo deterrimóq; diſputationis, quod aiunt, ſerram reciprocare. *Fœda tentatio meliùs vincitur fugiendo, quàm aggrediendo: Nam quantò quis ignem hujuſmodi flando magis extinguere nititur, tantò magìs ipſum inflammat.* Sic Cancellarius Pariſienſis. Cui etiam perinde ſapere videntur, qui diabolicis injectionibus intus apud ſe revolvendis immorantur, ac ſi quis perflari veritus, aquilonem pallio retinere conaretur; & ſic efficeret, non ut lenior eſſet ventus, ſed ut ampliùs ſentiretur.

Gerſon. Tom. 4. colum. 976.

6°, Denique & ultimò, ſi malum hoc adverſùs univerſa remedia ſe obſtinaverit, docet fides, non ſuperbè (quod abſit) ſed ſanctè diabolum aſpernari, & irrita ipſius tela deſpicatui habere. Adverte ſi placet animum, Lector, ad præceptum quoddam & exemplum, parabolásque Gerſonianas.

" nas. Prodest, inquit, ut Christianus, divino fretus adjuto- Idem operum part. 3. col. 442. C.
" rio derideat, & contemnat spiritum nequam, dicendo,
" Immunde spiritus, si quid posses ampliùs, etiam faceres:
" ego te minùs curo, quia Dominum Deum meum, nè tibi
" unquam consentiam, in adjutorem invoco. Quin & ibidem scire se quendam profitetur, qui per usum hujus pharmaci citò convaluit. *Spiritus quippe superbissimus non diu* Idem part. 4. col. 974. A.
" *patitur se contemni.* Alibi Satanam vilipendentes assimilat
" pueris grandiusculis, quibus illi, qui se ad terrorem ob-
" viis incutiendum larvis induunt, non tam esse solent for-
" midini, quàm deridiculo: & viatoribus in itinere confi-
" ciendo gnaviter semet exercentibus, non obstante canum
" latratu, & sibilis anserum, qui tantò defervescunt magìs,
" quantò minùs observantur.

Sin autem alicui mirum sit, quare Satanas, cui tantum est scientiæ, ut non possit ignorare, se eò plùs puniendum esse, quò plus mali sanctis intulerit, tot tamen modis eos impetat, & nullum malefaciendi finem faciat; cogitet velim illius scientiam eoúsque vinci à malitia, ut livor ingenio præpollere videatur. Præclarè *Delrius* in ipso limine proloquii sui ad disquisitiones Magicas, prorsus ità est, in-
" quit. Nullæ sunt induciæ, pax nulla, ubi nec odii, nec
" invidiæ modus aut finis ullus. Amat sibi diabolus tribu-
" la metere, dum nobis spinas serat; gaudet suas augere
" pœnas, & supplicia propria exacerbare, dummodo in
" cruciatûs æterni partem quamplurimos homines asciscat;
" & divinæ huic illudens imagini, pretioso Christi sangui-
" ne dealbatam decoloret, assertámque in libertatem pri-
" stinæ mancipet servituti; & Cadmæâ planè victoriâ per-
" dat pereundo, pérq; latus hostile in suamet ferrum visce-
" ra convertat. Hæc ille.

Cap. IX.

De Galea ſalutis ſive certitudine ſpei.

Comparatur galeæ plerophoria. Certitudo ſpei quomodo refertur ad cognitionis & fidei certitudinem. Duplex eſt, Intuitiva & Diſcurſiva Sect. 1, 2. *Quæritur utrùm plena, & utrùm perpetua ſit* Sect. 3, 4. *Fundatur certitudine præſentis gratiæ, & finalis perſeverantiæ infallibilitate. Harum utramque ſubruere conantur Pontificii, ſed non omnes. Laudantur* Marinarius & Eiſengreinius Sect. 5. *Refutatur* Bellarmini *concluſio prima de impoſſibilitate certitudinis. Illuſtratur locus Rom.* 8. 38, 39. *Caſtigatur* Tirinus Sect. 6. *Ejuſdem concluſio* 2ª, & 3ª, *ad examen revocantur. Exemplis variis declarantur Romanenſium* σκέψις, & *Proteſtantium* πληροφορία Sect. 7, 8. *Examinatur* Bellarmini *concluſio* 4ª, *de nulla certitudine abſque ſpeciali revelatione. Quid illi concedendum ſit, quid negandum; Diſtinguitur de revelatione* Sect. 9. *Ponitur cauſa* 1ª *plerophoriæ, Spiritûs ſancti teſtimonium. Loca* 2 *Cor.* 1. 21, 22. & 2 *Cor.* 5. 56. *elucidantur. Noſtra hac de re doctrina liberatur ab Enthuſiaſmo* Sect. 10, 11. *Ponitur ejuſdem cauſa* 2ª, *teſtimonium ſpiritûs noſtri elicitum à Spiritu ſancto. Hac de re aſſertiones quinque* Sect. 12. *Cauſam* 3ᵃᵐ *eſſe dona Spiritûs ſalutaria demonſtratur variè ex prima epiſtola* Joan. Sect. 13. *Status quæſtionis;*

quæstionis ; utrùm renati possint excidere gratiâ Sect.14. *Ea de re theses tres.* 1[a] *gratiam electionis non rescindi.* 2 *Tim.*2.19.*Illustratur & vindicatur.* Sect.15. 2[a] *Gratiā justificationis non intercidi. Respondetur ad argumenta de lapsu Adami, & peccatis fidelium gravioribus* Sect.16. 3[a], *Gratiam sanctificationis non emori. Sancti quousq; cadunt* Sect.17. *Epilogus, unà cum vindiciis* Davenantii Sect.18.

§ I. CApiti consulere magna pars est serpentinæ prudentiæ : ideóque nè deesset quod membrum principale tueretur, subjungit Apostolus τὴν περικεφαλαίαν τῆς σωτηρίας δέξασθε, *Assumite salutis galeam :* Alibi sic, *Induti thorace fidei ac justitiæ, & pro galea spe salutis.* Quæ locorum collatio satis ostendit intelligi per salutis galeam certitudinem spei de æterna salute obtinenda. Sicut enim galeâ tegitur caput, atq; ità protegitur ut ab ictibus aliàs mortiferis minimè lædatur : ità salutis certitudo militis Christiani animum ab utriusque mali insultu pernicioso illæsum præstat, & incolumem. Malum pœnæ si infligatur, facit ista galea nè succumbat, imò facit interdum ut lætetur. Unde illud Apostoli, *Direptionem eorum, quæ vobis suppetebant cum gaudio excepistis, ut qui sciretis habere vos potiorem substantiam in cælis, & quæ permaneat.* Illud etiam Cypriani, *Viget apud nos spei immobilis virtus, & firmitas fidei, & inter ipsas seculi labentis ruinas erecta mens est, & nunquam nisi læta patientia, & de Deo suo semper anima secura.*

1 Thess. 5. 8.

Hebr. 10. 34.

Serm. de patientia ad *Demetrianum.*

Ejusdem planè farinæ sunt quæ *Agatham* martyrem qui in Sanctorum vitis describendis navârunt operam, dixisse ferunt persecutori Quintiano ex cujus jussu præcisæ sunt ipsi “ mamillæ, Annon te pudet, Tyranne, membrum illud in “ me amputare, quod in matre suxisti ? Verùm agè, sævi “ quantum poteris. Duæ tamen supersunt mamillæ, quas

Beyerlinck Apophthegm. Christian. p. 58. ex *Surio.*

" nequis attingere, fidei una, ſpei altera. Hæ mihi vel in " mediis tormentis, ſolamen & tutamen ſuppeditant, & ea- " rum alimento ſuſtinendi virtus in me reparatur.

Sin ad malum culpæ tentatio ſuboriatur, ab eo ſibi cavebit optimè, qui de ſua ſalute certiſſimus eſt. Coccyſmus ille putidus, quem toties inculcant adverſarii (hujuſmodi ſcilicet certitudinem pietati inimicam eſſe, & laxare licentiæ fibulam) abſit ut nobis fraudi ſit, cùm flocci potiùs fieri debeat. Certè *Bernardo* ſenſus erat planè contrarius, quando ſic ſcripſit in epiſtola quadam ſapidiſſima, *Amat ille non immeritò, qui amatus eſt ſine merito*; *Amat ſine fine, qui ſine principio ſe cognoſcit amatum.* Imò Joannes, qui teſtis infallibilis eſt, *Quiſquis*, inquit, *habet hanc ſpem in eo*, id eſt Domino *ſitam, purum ſe conſervat, ſicut & ille purus eſt.* Non inquinat ſe (prout iſti obganniunt) ſed purificat. Non ampliùs ad normam mundi, ſed ad exemplum Chriſti componitur; purificat ſe ſicut ille purus eſt. Teſtor experientiam verè fidelium. Annon eò ſanctiores evadunt quò certiores facti ſunt? Annon ſentiunt intra ſe in ipſo ſinu plerophoriæ obſequium & obſervantiam recumbere? Quocirca orandus eſt quàm fieri poteſt enixiſſimè princeps ille ſalutis noſtræ, ut nos velit univerſos ſacrâ hâc ſpei galeâ induere, dum in vivis ſumus, & quandocunque vitam cum morte commutabimus. Scripſit Hieronymus *galeatum prologum:* Faxit Deus pro infinita bonitate ut noſtrûm quilibet *epilogum* habeat *galeatum*, hoc eſt, in agone ſaltem noviſſimo ſalutis æternæ ſpem certiſſimam.

Epiſt. 107.

1 Joann. 3. 3.

§ II. Hujuſce verò certitudinis natura & indoles multò clariùs eluceſcet, ſi præmiſſis diſtinctionibus ad tria deinceps erotemata reſpondeatur. Pauli ſcripta legentibus triplex occurrit certitudo; una *cognitionis* πληροφορία τῆς συνέσεως ad Coloſſenſes capite ſecundo; altera *fidei* πληροφορία πίστεως ad Hebræos decimo; tertia *ſpei* πληροφορία τῆς ἐλπίδος, ejuſdem epiſtolæ capite ſexto. Singularum genius ſe prodet illico, ſi formetur ſyllogiſmus practicus in hunc modum. Quiſquis

est in Dei filium adoptatus, is proculdubio cœlestis gloriæ futurus est hæres. Ego per Dei gratiam adoptatus sum in filium. Ergò & ego futurus sum hæres cœlestis gloriæ. Hujus syllogismi propositionem adultæ gratiæ Christianus apprehendit statim *certitudine cognitionis*, ut veritatem evangelicam, cui totus, quantus quantus est, assensum præbet longè firmissimum: Assumptionem *certitudine fidei*, nitentis scilicet testimonio quod perhibet spiritui nostro Spiritus adoptionis: ortam denique ex hujusmodi præmissis conclusionem amplectitur *certitudine spei*, prout docet Apostolus. *Fide adducti sumus in hanc gratiam per quam stamus; & gloriamur sub spe gloriæ Dei.* Rom. 5. 2.

Deinde quanquam à spei certitudine distingui possit certitudo fidei, sejungi tamen non potest: unde Poeta spem vocat credulam in versiculo satis noto,

——— *credula vitam*
Spes fovet, & meliùs cras fore semper ait.

In sacris etiam literis eadem vox Hebræa בטח interdum redditur per τὸ credidit, interdum verò per τὸ speravit. Quin & ad mensuram fidei spei mensuram exigit Apostolus, quando sic loquitur, *Utinam Deus spei impleat vos omni gaudio & pace credendo, ut spe exundetis per virtutem Spiritûs sancti.* Rom. 15.13.

Utraque verò duplex est, vel *intuitiva*, quæ ex immediato sancti Spiritûs testimonio oriunda, salutem nobis ob oculos ponit, & in se continet quasi primitias beatificæ visionis: vel *discursiva*, quæ colligitur ex sensu & experientia spirituali sanctorum habituum, quibus per Dei gratiam donamur; operúmq; de quibus intus testantur conscientiæ, quòd sunt secundùm Deum facta, ἐν Θεῷ εἰργασμένα prout loquitur Dominus apud Joannem. Joann.3.21.

§ III. Hisce prælibatis, quæritur primò utrùm ista, de qua agitur, plerophoria *absolutè* plena sit in hoc statu, excludens omnem dubitationem? Respondeo negativé. Manet enim in cordibus nostris non obstante gratiâ sanctificante, imò & ipsius Spiritûs obsignatione luculentissimâ, fomes

mes peccati in reliquiis concupiſcentiæ, qui ſubinde novarum dubitationum fons eſt & ſcaturigo. Plena tamen dici poteſt *reſpectivè:* quia certitudo *intuitiva*, quamdiu durat, etſi non averruncet ſemen, tollit plerumq; ſenſum dubitandi, juxta *Chryſoſtomum*, cujus hæc ſunt, ὅταν τὸ πνεῦμα μαρτυρῇ, ποία λοιπὸν ἀμφιβολία; & quæ ſequuntur valde emphatica. *Diſcurſiva*, quanquam nec ſemen nec ſenſum tollat, ſuperat tamen hæſitantiam, & facit nè mortifera ſit: atque adeò licèt in prælio fortè ſuccumbat, in bello tandem victrix evadit.

Homil. 14. in cap. 8. ad Roman.

Accedit hùc multùm, ni fallor, lucis, ſi inter certitudinem, & dubitationem ex una parte, ſanctitatem & peccatum ex altera parallelismus inſtituatur. Ubi regnat peccatum, ut in omnibus irregenitis, eſſe poteſt hypocriſis & fucata quædam pietas, ſed nè γρῦ quidem ſanctitatis. Sic ubi regnat dubitatio, ut in profligatæ ſpei nebulonibus, fieri poteſt ut in lucidis intervallis exurgat inanis quædam fiducia, vel præſumptio, ſed nè hilum propriè dictæ certitudinis. In ipſis renatorum cordibus unà cum ſanctitate peccatum habitat, ſed in gradibus remiſſis, & ex fontibus planè contrariis, Spiritu ſcilicet & carne; pariter & unà cum certitudine dubitatio, quæ *Iſidoro* definiente, eſt metus indifferens, in utramq; partem contradictionis, vel acceptio utriuſque partis cum formidine, & ad neutram determinatio. Veruntamen plena reſpectivè dicitur ſanctitas etiam in ſtatu viatoris, ſecundùm illud, *Perſuaſum habeo de vobis, fratres, quòd pleni ſitis bonitate*; quoniam excludit peccati dominium: quidni certitudo ſimiliter audiat πληροφορία, quæ vox plenitudinem conſignificat, quia tandem aliquando, duce Spiritu, cujus ſub vexillo militat, hinc illinc irruentium denſa dubitationum agmina in fugam vertit?

Rom. 15. 14.

§ IV. Quæritur ſecundò utrùm ſit perpetua? Reſpondeo per diſtinctionem, Eſſe quoad *fundamentum*, quia teſte Apoſtolo, *Qui credit in filium Dei habet teſtimonium in ſeipſo*; non eſſe quoad *exercitium*. Spiritus enim qui ubi vult,

&

& quando vult spirat, non semper actu testatur spiritui nostro quòd sumus filii Dei; sed interdum retrahit se, & subducit. Hinc illa Bernardi crebra suspiria: *Rara hora, brevis mora. O si durâsset!* Quæ autem inhæret nobis gratia sic flaccescit aliquoties, ut vix indè certi quid ad solatium elicere valeamus. Rationem si quis flagitet illius nubeculæ, quæ interdum offuscat certitudinem discursivam, in eorum etiam conscientiis, qui aliàs in luce faciei divinæ ambulare soliti sunt; vix aliam ego reddendam duxerim, quàm quia discursiva est. Siquidem uti docent nos Logicorum filii, fortiùs assentimur eis quæ per modum principiorum apprehenduntur, quàm iis quæ per modum illationis: & conclusio semper sequitur debiliorem partem. Jam verò cùm resultet ista certitudo ex hujusmodi discursu, Omnis verè fidelis æternæ vitæ futurus est particeps; Ego verè fidelis sum; Ergò particeps ero vitæ æternæ: majorem animus multò fortiùs apprehendit, ut principium in Scripturis apertissimè revelatum, quàm minorem, quæ infertur ab experientia interdum plùs, interdum verò minùs vegeta, prout clariùs nobis, aut obscuriùs de propriæ fidei veritate constiterit. Unde proclive est colligere syllogismi partem debiliorem eam esse quæ assumitur, & proinde conclusionem, quæ illam necessariò sequitur, admodum languidè apprehendi, ità ut parùm in se contineat certitudinis, quandocunq; fructus fidei vix, aut non satìs appparuerint.

Serm. in Dominic. infrà octav. *Epiphan.* & Serm. 23. in Cant.

§ V. Quæritur tertiò, Utrùm satìs solidè fundata sit? Respondetur affirmativè. Duo siquidem sunt illius, quam tractamus, plerophoriæ fundamenta præcipua; *Certitudo præsentis gratiæ*, & *finalis perseverantiæ infallibilitas*. Enimvero cùm gratia sit diluculum gloriæ, & gloria meridies gratiæ; cùm embryo gloriæ gratia sit, & adulta gratia transeat in gloriam; Quisquis impræsentiarum certus est se in gratia constitutum esse, & didicit è sacris literis renatos gratiâ nunquam excidere, næ ille nec facilè, nec diu ambiget utrùm ipse glorificandus sit. Salus profectò viæ & pa-

triæ tam fixâ lege ad ſe invicem ordinantur, ut de poſteriori nil quiſpiam ſibi polliceatur, qui de priori non habet aliquid explorati: cui verò de priore ſatis conſtat, déque ipſius in eadem perſeverantia, illi nefas eſt de poſteriori dubitare.

Horum utrumque fundamentum conantur evertere Pontificii Doctores; atq; adeò militibus Chriſti ſalutis galeam quaſi furto ſurripere. Quo ſolo nomine, ſi deeſſent alia, deſerendum eſſe Papiſmum profitetur *Lutherus* hiſce verbis: *Etiamſi nihil præterea peccatum fuiſſet in doctrina Pontificia, quàm quòd docuerunt nos debere vagari & fluctuare, ambigentes & dubios de remiſſione peccatorum, gratiâ & ſalute noſtrâ: juſtas tamen habemus cauſas cur ab eccleſia infideli nos ſejungeremus.* Nolo dicam hanc illis omnibus impingere; neq; enim neſcius ſum quàm ingenuè ſimul & orthodoxè locutus eſt *Antonius Marinarius* Carmelita in ea quam habuit oratione coram patribus Tridentinis. Ubi *hoc*, inquiit, *veræ fidei ingenium eſt, nos in Deum ut filios in patrem erigere; Chriſtum noſtrum, & nos viciſſim Chriſti facere; ut cum eo unum corpus ſimus, eodémque vivamus, regamur, lætemur, & gloriemur Spiritu. Quamobrem in dubitationis labyrintho non errant, qui per Chriſtum adepti ſunt juſtitiam: ſed in ſecuritate mentis, in pace conſcientiæ, in lætitia cordis, edocti Spiritu illo, qui eis teſtimonium reddit, quòd ſunt filii Dei, audent dicere Abba Pater.* Pergit, & ſub finem addit, *Si cælum ruat, ſi terra evaneſcat, ſi orbis illabatur præceps, ego in Deum erectus ero. Si Angelus de cælo aliud mihi perſuadere contendat, dicam ei Anathema.*

In cap. 41. Genes.

Quin & ſcio quid hac de re ſemel atq; iterum, imò multoties in ſuo de certitudine gratiæ tractatu Apologetico fidenter dixerit *Martinus Eiſengreinius* Cæſareæ olim majeſtatis "Eccleſiaſtes. Duo tantùm loca deſcribam; unum è ſe-"cundo capite, Neminem Chriſtianum, quamdiu in hoc "mundo vivit per Dei gratiam eouſq; progredi poſſe, ut "certò ſtatuere queat remiſſa ſibi peccata, séque Deum "habere propitium. Sed oportere eum omnis conſolatio-"nis

Pag. 48, 49.

" nis expertem in perpetua fluctuatione trepidare ac dubi-
" tare, nunquam docuit concilium (Tridentinum scilicet)
" nemo Catholicus & approbatus author unquam hujus fuit
" sententiæ. Alterum è sexto capite, majori adhuc confi- Pag. 177.
" dentiâ. Hîc, inquit, me sisto, & clarâ voce, expressísque
" verbis pronuntio, Nullum Catholicum, receptúmque
" Doctorem unquam in eam sententiam, quam adversarii
" nobis impingunt, de remissione peccatorum, & gratia Dei
" sine ulla consolatione ac tranquillitate conscientiæ perpe-
" tuò trepidandum, diffidendúmque docuisse. Hoc, inquam,
" incunctanter, indissimulantérque pronuntio: Atque uti-
" nam faxit Deus, ut hæc mea vox totum Christianum or-
" bem personaret.

Valeat quantùm valere potest hóc *Eisengreinii* testimonium, quod si per omnia rectum sit, pro nobis utique plurimùm facit. At enimvero bonus vir, si nunc è mortuis rediret, & scripta Jesuitarum legeret, non ausus esset id de posteris suis asserere, quod de majoribus satìs audacter pronuntiavit. Ego, missis aliis, cum solo jam *Bellarmino* manus conseram. Is enim uno in capite quatuor assertionum, machinis prius hujusce certitudinis fundamentum evertere satagit. Illas mox omnes ordine suo recitatas pessundare conaturus sum. De justificat. l. 3. cap. 8.

§ VI. Asserit primò, *Non posse haberi certitudinem fidei de propria justitia.* Solenne est Pontificiis scriptoribus certitudinem fidei, cui subesse non potest falsum, totis viribus impugnare; interim verò, nè suos in desperationis barathrum detrudere videantur, agnoscere certitudinem spei. Ità tamen ut pro plerophoria infusæ & theologicæ spei, quæ teste Paulo, *non confundit*, & cui quod subest, teste Durando, *non potest non evenire*, moralem nescio quam credulitatem & persuasionem fultam nudis iisque fallacibus conjecturis revera substituant. Egregiam utiq; certitudinem, & qualem ipsi in hujusce seculi negotiis vix teruntii æstimarent! Sed evincunt ea quæ nos hîc suprà diximus paragra-

 pho

pho secundo, necessum esse ut Romanenses (si modò animus eis sit Theologiam suam, non è lacunis scholasticorum, sed è fontibus Israelis derivare) vel negent certitudinem spei, quam asserere videntur; vel unà asserant nobiscum certitudinem fidei, quam adeò pertinaciter negant. Disputo nunc, ídq; ex principiis Bellarminianis. Est ubi charitatem illam quâ Deum diligimus, laudat ut culmen inhærentis justitiæ; alibi verò de hac charitate locum intelligit decantatissimum, qui extat in fine capitis octavi ad Romanos. Illîc Paulus suo aliorúmque nomine fidei certitudinem inculcat de hac charitate, atq; adeò de justitia propria. Verba sunt, πέπεισμαι γὰρ ὅτι οὔτε θάνατος, οὔτε ζωὴ, &c. *Persuasum est mihi, vel certus sum, neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque principatus, neque potestates, neque ullam rem aliam creatam posse nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.* Cajetanus in locum sic, Non de certitudine evidentiæ, sed de certitudine persuasionis, quam constat esse certitudinem fidei, sermo est.

De grat. & libero arbitr. l. 1. c. 6.

De Justificat. l. 3. cap. 15. D.

Rom. 8. 38 39

Meditatur nugas *Bellarminus*, dum hæc restringit ad prædestinatos in genere. Descendit enim hic Apostolus ad hypothesin, tum suam, *Persuasum est mihi*, tum etiam aliorum fidelium, *posse nos superare.* Nec palmam fert, dum contendit verbum πέπεισμαι non ullam fidei certitudinem, sed confidentiam qualemcunq; conjecturalem denotare. Nam (utì observat qui eum meritò quidem, sed candidè castigavit, & prout decuit virum subacti simul judicii & illibatæ pietatis, *David Pareus*) quamvìs τὸ πείθεσθαι, aliquando significet probabilem persuasionem, nimirum quoties de fide, vel salute, vel causâ alienâ agitur, ut in locis quamplurimis ab eo citatis; quoties tamen Scriptura nobis tribuit πεποίθησιν salutis, vel fidei, vel causæ propriæ, tunc significat πληροφορίαν fidei certissimam, & infallibilem, ut hîc, & in illo ad Timotheum loco, *Scio cui crediderim* καὶ πέπεισμαι, *& mihi persuasum est eum posse depositum meum in illum diem custodire.* *Tirino* Jesuitæ musteo, postquam suos ex his & hujusmodi propugna-

De Justificat. l. 3. c. 9. in respons. ad sept. testimon.

Bellarm. Castigat. lect. 275. pag. 726.

2 Tim. 1. 14.

pugnaculis fugatos sensit, visum est tutius ad aliud κρησφύγετον se recipere. Is locum hunc sic incrustat in commentario. "Certus, inquit, sum quòd nos, invitos scilicet & nolentes "nihil poterit separare. Soli nos ipsi pravâ nostrâ voluntate possumus nos à Deo divellere. Unde vocula *certus sum* non designat omnimodam & absolutam certitudinem, sed solùm ex parte Dei, divinæque providentiæ; ex "nostra verò parte non nisi conditionatam, si Deo cooperari, nec ab eo nos divellere velimus. Hem acumen Jesuiticum! Absit verò procul à nobis, ut sic eripi patiamur *medullam* hanc *fidei*, & *quintam essentiam*, utì vocatur à nostratium nonnemine plerophoria. Quæram itaq; liceat à te, *Jacobe Tirine*, voluntas nostra, cui tantum à vobis tribuitur, Deúsne est an creatura? Si Deum dixeris, dignus es quem Christiani lapidibus obruant: si creaturam, includitur procul omni dubio sub aphorismo hoc Apostolico, ὅτε τὶς κτίσις ἑτέρα δυνήσεται ἡμᾶς χωρίσαι. Augustinus optimè, *Sanctos*, ait, *Deo donante invictißimè quod bonum est velle, & hoc deserere invictißimè nolle.* *Esteius* in oration. De Corrept. & gratia cap. 12.

§ VII. Asserit secundò, *Ad habendam certitudinem hanc teneri neminem, etiamsi fortè posset habere.* Itáne verò? Crediderам ego Christianis, quos hortatur Apostolus ἀκριβῶς περιπατεῖν, in officio positum esse εἰς τὰ ἄκρα βαίνειν, non in imis acquiescere, sed ad summos omnium virtutum apices enixè contendere. Quin & etiamnum credo enitendum esse nobis omnibus ut id certitudinis assequamur, quod discipulis suis pollicitus est Christus Dominus, quando dixit, *In illo die vos cognoscetis me esse in Patre meo, & vos in me, & me in vobis.* Friget quodammodo Bellarminus, & nescio quod gelicidium patitur in expositione dicti hujus suavissimi. Si "quis, inquit, contendat in hac etiam vita compleri quod "Dominus ait, in promptu erit responsio; Cognoscere nos "esse in Filio, & Filium in nobis, non esse cognoscere nos "esse justos, sed Christum esse caput totius Ecclesiæ: sic "enim est Christus in nobis, id est, in Ecclesia, & Ecclesia Ephes. 5. 15. Joann. 14. 20. De Justificat. l. 3. cap 9. in respons. ad quartum.

" in Christo, quia ipse est caput & Ecclesia corpus. Vah! quàm dilutè! Ecquid enim esset tibi solatii, quisquis es, cognoscere Christum esse in Ecclesia, nisi simul cognoscas temet esse membrum vivum ejusdem Ecclesiæ, ità ut Christus sit etiam in te? Hinc illa meritò decantata, *Quid mihi profuerit Deus alienus? Væ illi qui non habet Deum de proprio. Tolle meum & tolle Deum.* Sed urgeri possunt ulterius clara
Hebr. 10. 22. præcepta. Illud Apostoli ad Hebræos, Προσερχώμεθα μετὰ ἀληθινῆς καρδίας ἐν πληροφορίᾳ πίστεως. Ubi non minùs videtur præcipi certitudo fidei, quàm vel cordis veritas, vel ad Deum ac-
2 Pet. 1. 10. cessio. Illud etiam Petri, *Satagite vocationem vestram, & electionem certam facere*; Textus habet βεβαίαν ποιεῖσθαι. Πληροφορία βεβαιότης ait *Hesychius*. Nil vetat quo minùs hîc per βεβαιότητα πληροφορίαν intelligamus. Fieri autem nequit, ut alicui certa sit sua vocatio, cui de propria ipsius fide & pœnitentia nondum constiterit. Sequitur

§ VIII. Tertia Bellarmini assertio, quam sic proponit, *Non expedire ut homines habeant ordinariè certitudinem de propria gratia.* Quantùm expediat ad pietatem promovendam dictum est suprà in hujusce capitis paragrapho primo. Mox ostendam quantùm genuina plerophoriæ theoria & praxis conducunt ad Ecclesiam veram à spuriis discriminandam. Enimvero res sic se habet. De gratia & salute sua certiorari Romanensium pleriq; nec possunt, nec volunt; quia tutius existimant in ancipite versari. *Tutum & humillimum est*, ait
Apud *Meisacrum* Anthropol. decad. 3. p. mihi 477. Petrus à Soto, *de Dei in me gratia, & præsentia dubitare.* Remonstrantes vellent fortè, sed non possunt salvis suis hypothesibus de fide reprobis & electis communi, déque sanctorum apostasia. Siquidem ut pulchrè Seneca,
Epist. 98. *Calamitosus est animus futuri anxius, & ante miserias miser, qui solicitus est ut ea, quibus delectatur ad extremum usque permaneant: Nullo enim tempore conquiescet, & expectatione futuri præsentia, quibus frui poterat, amittet. In æquo est autem amissio rei, & timor amittendi.* Solis orthodoxis datum est ex tenore dogmatum suorum velle simul & posse.

Nostræ

Nostræ professò Religionis non honestamentum modò, sed & authoramentum est ea, quam prædicamus, & quâ fruuntur per Dei gratiam bene multi, plerophoria. Rara hæc avis est apud Romanenses; nec est cur miretur aliquis, si ratio dogmatum habeatur quæ propugnare soliti sunt, illos in pejus semper proficere, & quò sunt morti viciniores, eò prolixiùs dubitare. Dixisse fertur *Pius Quintus* (utì refert præter alios Cornelius à Lapide) *Cùm essem religiosus, sperabam bene de salute animæ, Cardinalis factus extimui, Pontifex creatus penè despero.* Quid Bellarminus, magnum illud cœli Papistici luminare, quocum nobis negotium est, & quo nescio an aliquis Jesuitarum sive doctior fuit, sive sanctior? *Sylvester de sancta Petra,* qui vitam ejus conscriptam Italicè Latinam fecit, in operis vestibulo meminit manuscripti cujusdam ab ipso Bellarmino de vita propria suasu amicorum exarati, sed in tertia persona, quod in hæc verba "clauditur; scripsit Anno Domini millesimo sexcentesimo "decimo tertio. De virtutibus suis nihil dixit, quia nescit an "ullam verè habeat: de vitiis tacuit, quia non sunt digna quæ "scribantur; & utinam de libro Dei deleta inveniantur in "die judicii. Amen. Agebat tunc Hercules ille Pontificius annum ætatis septuagesimum primum (utpote qui natus fuerat anno 1542) quando fassus est tam apertè se nullam gratiæ certitudinem adeptum esse. Sin autem quæratur de salute, utrùm illius certitudine potiebatur morti proximus; responsum suggeret *Marcellinus Cervinus*, ipsius nepos, à "quo etiam res ab eo gestæ literis mandatæ sunt. Appropin-"quante, inquit, morte, in imum sese humilitatis abjiciens "Bellarminus, divinum pertimescere judicium visus est; "eisq; qui illius pro se in cœlo preces efflagitabant, ità re-"spondit; Nimis magna res est ista. Non tam facilis est "via, quæ ducit ad vitam. Magnum ego Dei in me bene-"ficium existimabo, si Purgatorium etiam per multos annos "obtinuero. Non sic orthodoxi, Deo gratias, non sic ut plurimùm animati, vel potiùs exanimati sunt. Quænam

In num. 11. vers. 11.

 fuerit

Hujusce libri cap. 5. § 5.

fuerit *Andreæ Riveti* moribundi plerophoria dictum est suprà. *Lutherus* animam agens, *Ago*, inquiit, *tibi gratias, cælestis Pater, quòd Christum mihi revelâsti cui credidi, quem amavi & celebravi. Licèt corpus hoc jam mihi deponendum sit, certò scio me tecum esse permansurum in æternum, neque posse me tuis è manibus à quoquam avelli.* Caspar *Olevianus* " morti vicinus, exhaustis tunc viribus, cuidam astanti & " dicenti, Mi frater, procul omni dubio certus es de salute " tua in Christo Jesu, quemadmodum alios docuisti? submissâ voce respondit, *Certissimus. Robertus Rollocus* vitam cum morte commutaturus, ità precatus, *Veni Domine Jesu, ut ad te veniam. O dulce, faustum ac felix hujus vitæ divortium! Veni Domine, dulcedo mea, emancipato animam hanc ut te marito suo fruatur.* Ità etiam professus est; *Tranquilla mihi mens in ægro corpore; Mortis, peccati & Satanæ metu non angor; nullum illis in me imperium.* Nè verò nimìs altum sit de nostratibus silentium, libet prioribus Anglum unum & alterum superaddere. *Miserante Domino, cor isthoc meum quantum quantum est totum repletur hilaritate. Nihil intus sentio præter Christum, quocum esse cupio quàm ardentissimé.* Sic Robertus Boltonus Oxoniensis. *Plena est gaudio anima mea. Brevi me visurum credo lumen Domini in terra viventium. Novi quem professus sum, quem prædicavi, cui credidi; Jámq; adapertum video cælum, in quod mox recipiendus sum. Nullius autem ulteriùs rei ulla me solicitudo distinet, excepto quem relicturus sum fidelium grege.* Sic Samuel Hieron nostræ olim alumnus Cantabrigiæ.

Melch. Adam. in ejus vita p. 154.

Idem vit. theolog. Germ. p. 602.

Idem in vitis Theol. exter. p. 188.

E. *Bagshaw* in vita *R. Boltoni.*

R. *I.* Medicus in sua de mor. *S. H.* narrat. quæ habetur part. 1. oper. M[ri] *Hieron* post pag. 763.

§ IX. Succedit assertio Bellarmini quarta, & ultima, quam sic instituit. *Reipsà non haberi certitudinem hanc, nisi à paucis, quibus à Deo specialiter justificatio propria revelatur.* Solent nimirum huc confugere Pontificii, velut ad dictamnum cervi, ut excutiant arundines causæ suæ lethales, ad specialem scilicet & extraordinariam revelationem; illi ferè soli ascribentes quicquid uspiam plerophoriæ viatoribus indulgetur. Agam ego cum illis liberaliter; concedam lubens

nulli

nulli contingere plenam gratiæ & salutis certitudinem, absq; aliqua revelatione. Concessit ante me Bernardus, *Justus*, inquit, *quis est, nisi qui amanti se Deo vicem rependit amoris? Quod non fit nisi revelante Spiritu per fidem homini æternum Dei propositum super salute sua futurâ.* Item alibi, *Quis novit sensum Domini? Hic fidem subvenire necesse est, ut quod de nobis latet in corde Patris, per ipsius Spiritum reveletur.* Dicam ampliùs, requiri ad hoc ut quis de gratia certus sit revelationem specialem, non quidem in sensu Pontificiorum qui opponunt specialem ordinariæ; sed in sensu satis sano, si specialem appellemus eam, quæ facta est personæ singulari, quà singularis est, ità ut non innotescat aliis; juxta illud Apocalypseos, *Dabo illi calculum album, & in calculo nomen novum scriptum, quod nemo novit nisi qui accipit.* Sin autem contendant nullam dari cuilibet certitudinem nisi per talem revelationem, quæ est purè putè extraordinaria, & paucis solummodo primæ magnitudinis Christianis indulta (quæ Bellarmini mens erat) illud pernegandum est.

Epist. 107.

Serm. 5. de dedicat. Ecclesiæ.

Apoc. 2. 17.

Quò magìs perspicua res sit, dispertienda est revelatio in *diabolicam* & *divinam*. Hanc duplicem esse statuo, *extraordinariam*, quali olim gaudebant Prophetæ, quæ nunc dierum vel nulla est, vel admodum rara; & *ordinariam*, cujus duæ sunt species: Earum unam licet vocare *doctrinalem*, utpote quæ illuminat nobis mentis oculos ad sacrarum literarum intelligentiam; de qua Thomas, *Nullus habens gratiam caret dono intellectûs; sed sicut per donum charitatis Spiritus sanctus ordinat voluntatem hominis ut directè moveatur in bonum quoddam supernaturale: ità per donum intellectûs illustrat mentem hominis ut cognoscat veritatem, in quam oportet tendere voluntatem rectam:* Alteram verò *personalem*, utpote quæ palàm facit his illisve personis in quo statu sint apud Deum, utrùm naturæ, quod aperit spiritus *servitutis*; an gratiæ, quod testatur *Spiritus adoptionis.* Pulchrè Bernardus in epistola modò laudata. Liceat mihi in unum congerere, quæ apud illum sparsa sunt. *Ad ortum*, inquit, *solis justitia*

Aquin. 2ª 2æ qu. 8. art. 4.

stitiæ (in vocatione scilicet efficaci) *Sacramentum absconditum à seculis de prædestinatis & beatificandis emergere quodammodo incipit ex abysso æternitatis. Prodit in lucem ad miseri consolationem magnum consilium quod ab æterno latuerat. Habes homo hujus arcani indicem spiritum justificantem, eóq; ipso testificantem spiritui tuo quòd filius Dei & ipse sis.*

§ X. Nemo non videt quantùm ista conducant ad eam rem quæ præ manibus est illustrandam: fiet tamen evidentior, si adultæ fidei Christianis eâ, quam propugnamus, certitudine frequenter & ordinariò gaudere probatum dederim. Erit mihi pro fundamento calculis omnium Dialecticorum satìs approbata regula, *Positis causis immediatis & proximis ponitur effectus.* Tres autem sunt causæ immediatæ & proximæ πληροφορίας, Testimonium Spiritûs sancti redditum spiritui nostro, Testimonium spiritûs nostri de nobis elicitum ab inhabitante Spiritu sancto, & Dona Spiritûs sancti gratìs collata in spiritum nostrum. Has ego omnes causas esse certitudinis, & in renatis poni solere si demonstravero, causam obtinui.

Spiritûs sancti testimonium (ut ab illo ordiamur) causam esse plerophoriæ si negaverint adversarii, habent A-
Rom. 8. 15. postolum refragantem, qui non solùm opponit Spiritum hunc adoptionis spiritui servitutis ad metum, ut sic eum parentem indigitaret, non anxiæ formidinis, sed piæ in Domino securitatis; verùm etiam disertè asserit fluxum hujusmodi confidentiæ à recepto Spiritûs arrhabone.
2 Cor. 5. 5, 6. *Deus hic est qui nos ad hoc ipsum condidit, qui etiam dedit nobis*
In Psal. 132. *arrhabonem Spiritûs,* Θαῤῥοῦντες οὖν πάντοτε *confidente igitur animo semper sumus.* Suffragantur Patres. Augustinus, *Dicat anima, secura dicat, Deus meus es tu; quia dicit animæ nostræ Deus, Salus tua Ego sum.* Macarius de Sanctis adhuc in mun-
"do agentibus verba faciens, Licèt integram hæreditatem
"sibi in illo seculo præparatam nondum adierint, certissimi
"tamen sunt ex arrhabone, quem modò receperunt, ac si
"jam coronati essent, & regni compotes. Vultis adhuc clariora

Ἀσφαλεῖς εἰσιν ἀπὸ τοῦ Ἀρῥαβῶνος, οὗ ἐδέξαντο νῦν, ὡς ἤδη ἐστεφανωμένοι καὶ βασιλεύοντες. *Macar.* Homil. 17. pag. mihi. 148.

clariora qui ista legitis? Redeamus ad Paulum; *Qui nos confirmat vobiscum in Christum, & qui unxit nos Deus est. Qui etiam obsignavit nos, indiditque arrhabonem Spiritûs cordibus nostris.* Ubi quot ferè verba, tot indicia certitudinis: βεβαιῶν, χρίσας, σφραγισάμενος, ἀῤῥαβῶνα. *Confirmat* nos Deus: hoc si parùm videatur, *Unxit*; quâ cæremoniâ Sacerdotibus, Regibus & Prophetis ratum olim factum est id officii quo defungebantur. Hoc si non reddat satìs certos, *Obsignavit*. Cui non fidem faciunt diplomata, postquam iis appositum est sigillum? Imò quod adhuc ampliùs est, *arrhabonem dedit*; quo apud homines nullum certius accipienti signum est, quòd in rei vel promissæ, vel acquisitæ possessionem immittetur.

§ XI. Sin autem dixerint non solere hoc testimonium reddi omnibus renatis ex communi, ut aiunt, lege providentiæ, seriùs aut citiùs, (quæ duo adverbia sunt mihi sæpiùs inculcanda) sed paucis quibusdam peculiari privilegio è reliqua piorum turba segregatis: eis iterum contradicit beatus Apostolus, qui eundem Spiritum, quem ad Romanos ait *contestari spiritui nostro nos esse filios Dei*, & si filios, etiam hæredes, unà cum Christo glorificandos; communem facit renatis omnibus in Epistola ad Galatas; *Quoniam estis filii, emisit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem, Abba Pater.* Quoniam estis, sive quia, vel quatenus estis. Quàm autem valida sit consequentia *à Quatenus ad Omne* satìs nôrunt qui Dialecticam vel à limine salutârunt. Rom. 8. 16, 17

Tanto authori cùm fidem non audeant derogare, aliam "ingrediuntur viam, & hoc urgent præcipuè, Nemini cer-"tò constare posse Spiritum sanctum authorem esse illius, à "quo solatium arripit, testimonii. Vereri potest quilibet "num à spiritu potiùs malo deceptus, & in suam perniciem "securior factus, putet se esse in gratia cùm sit extra illam. "Sic *Gregorius de Valentia*. Nobis hoc testimonium non est "certum, quia non sumus certi omnino illud esse à Spiritu

Tom. 2. Disp. 8. qu. 4. punct. 4. pag. 1284.

Comment. in Rom. 8. 16. p. 107.

" ſancto, non autem à Diabolo. Sic *Cornelius à Lapide*. O Theologiam cruciatricem animarum! Quiſquámne ut credat Spiritum ſanctum non eſſe ſui proditorem & indicem; uti cùm exoritur ſol, illius lux fulgore ſuo non oſtendit ſe modò, ſed & diſtinguit ab alio quovis luminari? Id quod hiſce verbis, *Spiritus eſt qui teſtificatur Spiritum veritatem eſſe*, Joannes innuere videatur. Pergant, ſi volunt, Jeſuitæ ſuis blaſphemiis Deo ſe, & Dei ſervis exoſos reddere: Malumus nos cum *Ambroſio* profiteri *Spiritum ſanctum nunquam nos alloqui, quin ſimul nobis notum faciat ipſum eſſe qui loquitur*. Quam ſententiam *Catharinus* in Concilio Tridentino plùs quàm deoſculatus eſt. Non ſum neſcius anſam hinc arripi ab hominibus maleſanis (quibus omnia quæ de Spiritu nobis teſtante proferuntur, habentur pro anili fabula) calumniandi noſtros Theologos, ac ſi meros Enthuſiaſmos in Eccleſiam introducere conarentur. Sed non eſt cur nos alicujus vocabuli μορμολύκειον reformidemus, quamdiu non ſumus nobis conſcii vel minimæ placitorum inſaniæ. Quin & hæc ipſa vox erat primitus bona, Ἐνθουσιασμός ἐστιν ὅτε ἡ ψυχὴ ὅλη ἐλλάμπεται ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, ſic & *Suidas* & *Heſychius*, *Quando à Deo tota anima irradiatur, is enthuſiaſmus eſt*: & in hoc ſenſu, Utinam eſſemus omnes Enthuſiaſtæ! cùm cœleſtis beatitudo ſecundùm *Gregorium Nazianzenum* nil aliud ſit niſi τῆς βασιλικῆς θεωρία Τριάδος ἐλλαμπούσης καὶ ὅλης ὅλῳ " νῷ μιγνυμένης. Cæterùm adoleſcente paulatim hæreſium pro-" pagine, factum eſt ut fanatici poſtea dicerentur, & En-" thuſiaſtæ, qui fingentes ſe divino afflatu regi, poſthabitis " divinis literis, ad revelationes commentitias aut ſuggeſtio-" nes diabolicas convolabant, utì eos deſcribit Martinius. Nos autem quantùm abhorreamus ab hac dementia, magìs, opinor, notum eſt, quàm ut indigeat operosâ probatione. Nullam enim amplectimur revelationem niſi quæ ad amuſſim Verbo conſentanea ſit: ſiquidem ea, quam doctrinalem appellamus, ſacræ Scripturæ interpres eſt; ea quam Perſonalem diximus, nihil aliud nobis annuntiat

1 Joan. 5. 6.

Hiſt. Concil. Trident Latin. pag. 162.

Nazian. Orat. de Grandine.

tiat nisi quod indè per legitimas consequentias derivatur.

§ XII. Secunda certitudinis causa meritò statuitur testimonium spiritûs nostri de nobis, elicitum ab inhabitante Spiritu sancto. Sic enim Joannes, *Si cor nostrum nos non* 1 Joh. 3. 21.
condemnet, παῤῥησίαν ἔχομεν πρὸς τὸν Θεόν. Quid quòd frustrà Rom. 8 16.
diceret Apostolus συμμαρτυρεῖν *spiritui nostro Spiritum Dei nos esse filios*, si non idem testimonium à spiritu hominis redderetur? Sin autem quis de frequentia dubitet, agnoscat illud
Solomonis, *Lucerna Jehovæ est spiritus hominis*; & illud Prov. 20. 27.
Pauli, *Quis hominum novit ea quæ sunt hominis nisi spiritus* 1 Cor. 2. 11.
hominis qui est in eo? Unde colligitur, fidem & charitatem, ubicunq; vigent in anima, ut plurimùm patere. Signanter
Augustinus, *Nos ipsam fidem, quando inest in nobis, videmus in nobis.* De Trin. lib. 13. cap. 1.
Et Davenantius, *Non aliter fieri potest; nam* Determ. p. 16.
fides est instar luminis, quod tam seipsum visibile facit, quàm alia. Hinc illa renatorum de seipsis testimonia. *Memento*
Domine, quòd ambulaverim coram te in veritate & cum perfecto corde: sic Ezechias. Isai. 38. 3.
Gloriatio nostra hæc est, testimonium 2 Cor. 1. 12.
videlicet conscientiæ, quòd cum simplicitate & sinceritate Dei versati sumus in mundo: sic Paulus. *Inveco te Domine, quanquam languidâ & imbecillâ fide, fide tamen*: sic Caspar M. Adam. in vit. Theol. Germ. p 197.
Cruciger. Elicitur autem hoc, qualecunq; testimonium Spiritûs nostri à Spiritu Dei, quod valde observatum velim, ut non solùm ab inani fiducia plerophoriam discriminare, sed & inter operationes Spiritûs sancti, & ejusdem testimonia discamus prout oportet distinguere.

Liceat hìc mihi, bona cum Lectoris venia, quinque gravissimas assertiones, minimè quidem vulgares, sed quæ maximi apud me momenti sunt, ob oculos ponere; & illius judicio, si sensus habeat in hisce mysteriis exercitatos, libenter submittere. Dico 1°, Quòd exeri plerumque solet triplex operatio Spiritûs ante redditum ipsius testimonium; ità ut illud nunquam priùs quàm harum aliqua, raròpriùs exhibeatur quàm earum omnes exertæ fuerint. Prima est *infusio gratiæ sanctificantis*, de qua Joannensis Evangelii ca-

pite tertio, quoties de renaſcentia ex Spiritu mentio fit. Secunda *Illuſtratio gratiæ infuſæ*, ut diſcerni poſſit ejuſdem
1 Cor. 2. 12. veritas, de quâ Paulus ad Corinthios, *Spiritum qui ex Deo eſt accepimus, ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis*; Tertia ſit *Irradiatæ efficax repræſentatio ſpiritui noſtro*, ut pro fundamento ſit teſtimonii conſolatorii; quæ plùs quàm innui videtur ab eodem Apoſtolo ad Romanos ſcribente, Verita-
Rom. 9. 1. tem dico per Chriſtum, non mentior, συμμαρτυρούσης μοι συνειδήσεώς με ἐν πνεύματι ἁγίῳ. 2°, Quòd harum operationum prima *ſanctos* nos efficit, ſecunda *conſcios* propriæ ſanctitatis, tertia *certos* certitudine diſcurſivâ non errare hac in re conſcientias noſtras: ità ut prima non ſufficiat ad notitiam niſi adſit ſecunda, nec ſecunda ad πληροφορίαν ſi deſit tertia. Sicut enim ſe res habet in irregenitis quoad ſpiritum ſervitutis, ſic in renatis quoad Spiritum adoptionis. Irregenitorum plurimi ſatìs ſibi conſcii ſunt ſcelerum graviſſimorum, quibus debetur ſtagnum ignis; nemo tamen eorum fert contra ſe ſententiam & dicit, Imminet mihi mors æterna, priùs quàm à ſpiritu ſervitutis eliciente tale dictamen expergefiat: Ità & multi renatorum ſentiunt in ſe pietatem energeticam & fidem, quæ per charitatem efficax eſt, nequeunt tamen pro ſe quiſque hunc in modum concludere, Mihimet utpote verè fideli obtinget ſalus, donec à Spiritu adoptionis excitetur ad id genus teſtimonia perhibenda. 3°, Quod quotieſcunque viſum fuerit Spiritui ſancto, ad hanc fidei certitudinem roborandam, ſuum illud ſpeciale teſtimonium hujuſmodi ſpiritûs noſtri effato ſuperaddere, ponitur res, durante illâ ſerenitate, extra omnem dubitationis aleam: quia tunc omnium teſtium, tam eorum qui in cœlo, quàm eorum qui in terra ſunt (de quibus poſtea) generalis fit concurſus; ſine quo locus ſemper aliquis hæſitantiæ reliquus eſt. 4°, Quòd illi omnes quotquot fuerint, qui de Spiritûs teſtimonio gloriantur, nec tamen ſentiunt Spiritûs gratiam intus in corde operantem, proculdubio ſe deludi patiuntur, vel à propria φιλαυτίᾳ, vel à diabolo transfigurante

ſe

se in Angelum lucis. Quia licèt Spiritus ille sanctus operetur in iis, quibus nondum dignatur testificari, nemini tamen unquam testatur de sua salute, in quo non priùs efficaciter operatus est. 5°, Quòd etiamsi mensura certitudinis plerumq; respondeat gradibus inhærentis gratiæ (unde Bernardus, *Quantùm*, inquit, *crescis in gratia, tantùm & in fiducia dilataris*) aliquando tamen magìs certiorari potest is qui sanctificatur minùs. Ratio est, quia Spiritus sanctus, à cujus solius quasi nutu & moderamine tota dependet *πληροφορία*, communicat se unicuique prout vult; interdum autem vult pro arbitrio (ut constet omnia quàm liberrimè dispensari) ubi plùs inhærentis gratiæ indulserit, ibi minùs irradiare, minùs elicere, minùs testari: In quo casu fieri nequit quin majore fruatur certitudine etiam is qui minore gaudet gratiâ: sicut literæ minutiores per lucem meridianam clariùs apparent, quàm majusculi characteres in crepusculo.

Serm. 3. in Cant.

§ XIII. Pro causa tertia assignavimus dona Spiritûs sancti gratìs collata in spiritum nostrum; infusos scilicet habitus gratiæ, atq; ex eis emanantem fidei & charitatis praxin. Dona Spiritûs salutaria qui negaverit impertiri renatis omnibus, eo ipso renatos esse negat. Nec est cur in eorum aliquo fidem & charitatem quis desideret, quoniam hæc implent utramq; religionis paginam. Id solùm hîc reliquum est, ut probemus ejusmodi dona causam esse certitudinis: quod sanè toties & tam liquidò *Joannes* asserit, ut eum unicum in epistola sua prima Tridentinis omnibus, aliísque causæ nostræ adversariis ausim opponere. Quæ enim illi in tot plaustris voluminum polemicorum contrà disputant, iis omnibus eo in loco sanctus Apostolus vel clarissimè respondet, vel respondendi materiam suggerit. Nè quis hoc gratìs dictum existimet, libet summa rerum capita paucis attingere.

Opinionem de gratia probabilem è conjecturis oriundam concedunt nobis Pontificii, sed pernegant certitudinem fidei, cui subesse non potest falsum. Joannes verò non tan-

1 Joan. 3.19. tùm ſæpiùs ingerit, *Ex hoc cognoſcimus*, *Per hoc ſcimus*, &
Ibid. cap. 2.3. ſimilia, ſed diſertiùs ἐν τούτῳ πείσομεν τὰς καρδίας ἡμῶν, *per hoc cer-
ta reddimus corda noſtra.* Imò quàm diſertiſſimè Γινώσκομεν
ὅτι ἐγνώκαμεν, *Scimus quod novimus*, quaſi diceret, Certi ſu-
mus nos certos eſſe, idq; genuinâ certitudine. Sunt qui de
præſenti gratia certitudinem largiuntur (in quorum albo
cenſeri debent Lutherani & Remonſtrantes) ſed vix ul-
lam de ſtatu futuro plerophoriam. Joannes aſſertor eſt
Ibid. c. 3. 2. utriuſque, *Dilecti, nunc filii Dei ſumus.* Imò *nunc*, ſed quid
fiet in poſterum? *ſcimus fore, quòd cùm ipſe factus fuerit
manifeſtus, ſimiles illi erimus, quoniam videbimus eum ſicuti
eſt.* Urgent hoc utcunq; paucis admodum competere, iiſq;
longè ſupra communem fidelium ſortem collocatis, ex ſpe-
Ibid. cap. 1 4. ciali privilegio. Verùm Joannes *Hæc*, inquit, *ſcribimus vo-
Cap. 5. 13. bis, ut gaudium veſtrum plenum ſit.* Quomodo plenum? Sci-
endo nimirum vos æternam vitam habere. Sed amabò
Cap. 2. 13, 14. quibus iſthæc hunc in finem ſcripſiſti, beate Apoſtole? *Scri-
bo*, ait, *vobis, Patres: ſcribo vobis, adoleſcentes: ſcribo vobis,
puerili*; id eſt renatis cujuſcunq; magnitudinis, ſive primæ,
ſive ſecundæ, ſive tertiæ. Sed cùm fallax adeò ſit cor hu-
manum, quî fieri poteſt, inquiunt, ut fideles infallibili cer-
titudine perfruantur? Reſpondeo, quia cor novum iis in-
didit Chriſtus, & novo cordi novam lucem. Sic enim Jo-
Cap. 5. verſ. penult. annes, *Scimus filium Dei veniſſe, & dediſſe nobis mentem ut
cognoſcamus verum illum: & ſumus in vero illo, id eſt in
ejus Filio Jeſu Chriſto.* Regerunt ſatìs conſtare nonnullos,
qui Chriſto ſe inſitos crediderunt, à fide tamen excidiſſe:
& indè colligunt fieri poſſe ut eadem ſors communis ſit
aliis etiam verè credentibus. Joannes contrà, *E nobis egreſſi
Cap. 2. 19. ſunt, ſed non erant ex nobis; nam ſi fuiſſent ex nobis manſiſſent
utique nobiſcum: ſed egreſſi ſunt ex nobis ut manifeſtum fieret
non omnes eſſe ex nobis.* Deniq; nè in tanta re fidem leviter
adhibere videamur, quia non ſatìs luculento teſtimonio,
Joannes noſter in ultimo capite, ſex teſtes adducit in hoc
unum conſpirantes, ut vitam æternam ratam in ſe, atq; etiam

nobis

nobis certam redderent. *Tres*, inquit, *sunt qui testantur in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.* Quæ in cœlis transacta sunt inter hasce personas individuæ Trinitatis fecerunt eam in se ratam ab æterno. *Tres qui testificantur in terra, Spiritus, & aqua, & sanguis.* Ab his autem eadem nobis certa fit. En tibi, Lector, in sententia hac brevissima causas omnes plerophoriæ, de quibus hactenus disseruimus. Spiritus sanctus qui utrobiq; est testis (quia non tantùm cum Patre, & Filio pro nobis in cœlo transigit, sed nobiscum etiam in terra) per suum illud testimonium, de quo priùs, causa est procreans certitudinis intuitivæ. Per aquam hîc, ut alibi sæpiùs, quidni gratiam sanctificantem intelligamus? Ea nimirum dona Spiritûs salutifera, quæ causam exhibent materialem certitudinis discursivæ. Quod ad sanguinem attinet, vel ego fallor, vel illius testimonium planè coincidit cum eo quod Spiritus noster perhibet, quódq; nos modò causam ejusdem certitudinis efficientem, sed minùs principalem esse docuimus. Siquidem in ad Hebræos Epistola occurrit *sanguis aspersionis*, *qui meliora loqui dicitur quàm sanguis Abelis*, quia non cædem & orcum clamitat, ut is intus apud Cainum, sed suavissimo pacis nuntio renatorum cordibus adblanditur. Hinc ibidem *accedere* jubemur *per certioratam fidem*, *aspersione purgatis cordibus à conscientia mala:* quoniam sanguis hic amolitur morsus conscientiæ; atq; adeò testari dicitur, sicut Spiritus sanctus clamare, dum efficit ut nos clamemus Abba Pater.

Cap. 5. 7.

Heb. 12.24.

Ibid. 10. 22.

§ XIV. Superest fundamentum alterum hujusce, de qua disseruimus hactenus plerophoriæ, *Perseverantiæ nimirum finalis infallibilitas.* Eam nostri Theologi sæpenumero sic efferunt, *Renati non possunt excidere gratiâ.* Per renatos intelligunt eos solummodo qui recepto per fidem Jesu Christo, in quo etiam ambulare satagunt, prout eum receperunt, fiunt ipsius in corpore mystico viva membra, novæ creaturæ, & divinæ naturæ participes. Per gratiam, partim Dei favorem, & dilectionem, sive *gratiam activam*; partim inhærentem

hærentem justitiam, quæ summatim in fide justificante, & sincerâ charitate comprehenditur, quæque *passiva* dicitur. Τὸ Excidere apud illos amplius quid & funestius sonat quàm vel recedere, vel retrocedere. *Recedit* à gratia quicunq; peccat, aut deviat à pietatis tramite, *Retrocedit*, qui per crebras bonarum actionum omissiones, intermissionésque, & per operum malorum patrationem labefactavit virtutum suarum habitus, non amisit tamen, neq; penitus decoxit. *Excidit* verò is, cujus fides non *pervertitur* modò, sed & *subvertitur*; cujus charitas non *concutitur* modò sed & *excutitur*; ità ut incidat in totalem & finalem apostasiam. Quando dicuntur *Non posse* excidere, non tam negatur *ex parte rei* possibilitas amittendi gratiam passivam aut inhærentem, prout in se consideratur ut creatura defectibilis, quæq; reipsa deficeret, nisi quòd electos suos Dominus unâ manu sustentat dum tentat alterâ: quàm *ex parte Dei* amissibilitas gratiæ activæ, favoris scilicet & influxûs divini, quem nunquam penitus subtrahere visum est Patri nostro indulgentissimo, pro ea, quâ pollet, erga suos bonitatè simul & fidelitate. Adeò ut non radicatæ fidei (quam tantopere crepant nonnulli) sed imprimis manutenentiæ divinæ debeatur finalis perseverantia.

Hunc in modum formata quæstio, satìs, opinor, confirmabitur, si tribus quæ sequuntur thesibus lux & fides concilietur.

§ XV. Prima est, *Gratiam electionis nunquam rescindi.* 2 Tim. 2. 19. Quò spectat insignis Pauli locus ad Timotheum, *Firmum stat fundamentum Dei, habens sigillum hoc, Novit Dominus eos qui sunt sui:* Ubi singula ferè verba spirant firmitatem & permanentiam. Electio fundamentum vocatur, quo nihil in ædificio stabilius. Nè quis dubitet, firmum appellatur, & dicitur stare, imò stetisse ἕστηκεν, eò quòd perstat ab æterno in æternum. Est enim fundamentum non hominis (cujus ingenium est plerumq; desultorium) sed ipsius Dei, apud quem nulla est vel levissimæ mutationis umbra. Quin & illi

illi sigillum ascribitur. Quis nescit ea, quæ sigillis muniuntur, apud homines rata esse & authentica? Multò magìs quæ Deus sigillavit in æterno suo consilio. Est autem ei pro sigillo, Novit Dominus qui sunt sui. Nos in his quæ scimus, non fallimur, quanquam in eis quæ opinamur falsi simus multoties: Certè Dei scientia est multò magìs infallibilis. Augustinus egregiè: *Electorum si quisquam perit, fallitur Deus: sed nemo illorum perit, quia non fallitur Deus. Electorum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus; sed nemo illorum perit, quia nullâ re vincitur Deus.* De Correpr. & gratia c.7.

Urit hic textus Remonstrantes, qui nullam statuunt certitudinem electionis singularium personarum, & in quorum officina procuditur decretum mutabile, fluctuans & ambulatorium: Quocirca nullum non movent lapidem ut illi nervos incîdant. Nos ea sola perpendemus, quæ in lucem nuper protulit author scripti satis quidem supérq; elaborati de redemptione. Doctus ille vir & diligens (absit enim ut ei quam meretur laudem invideam, ut ut aliter sen- *I. G.* ἀπολύτρωσ. cap. 14. § 14. pag. 359, 360.
"tienti) duo dicit, metaphoræ nimirum genium, atque
"etiam contextum prohibere quò minùs hic locus de ele-
"ctione personali intelligatur; & ex utroq; contendit, non
"loqui Apostolum de decreto aliquo divino, sed de pacto
"& fœdere evangelico. Quod ad primum attinet observat
"ex Samuele Petito vocem θεμέλιος reddi hîc debere non *S. Petit.* Variar. lection. l. 1. c. 10.
"per fundamentum, sed per pactum aut syngrapham, &
"peti metaphoram non ab ædificiis, sed à tabulis contra-
"ctûs, quæ non habebantur ratæ apud Judæos, nisi cùm
"apposita essent sigilla. Ratio autem quâ firmare conatur
"hanc sui Petiti, quam unicè probat, interpretationem, ità
"se habet; quia sigillo propriè muniuntur non fundamen-
"ta, sed scripta. Quis enim, inquit, unquam audivit de si-
"gillo fundamentis ædium apposito, aut quem in finem apponeretur? Respondemus,

1°, Non obstare rationem, quam adfert vir doctus, quò minùs θεμέλιος in eo, de quo disputatur, textu reddi debeat

per fundamentum, quia non erat insolens adeò ac ipsi videtur inter ædificandum sigilla fundamentis apponere. Discat hoc, si velit, à *Grotio. Solebant* ait ille *fundamentorum lapidibus sententiæ quædam inscribi boni ominis causâ.* Σφραγὶς *hic est id quod lapidi inscribitur, sicut alibi id quod sculpitur in annulo* &c. Utar argumento domestico. Scriptor ille neotericus, quem nunc impugno, Socius erat haud ità pridem Collegii Reginalis in Academia Cantabrigiensi; Reginalis inquam Collegii, cujus primus lapis positus est Aprilis XV. Anno Dom. MCCCCXLVIII, illíque imposita hæc inscriptio, ERIT DOMINÆ NOSTRÆ REGINÆ MARGARETÆ DOMINUS IN REFUGIUM ET LAPIS ISTE IN SIGNUM.

Grotius Annot. in 2 Tim. 2. 19.

Joan. Caius Histor. Cantabr. Academ. lib. 1. pag. 70.

2°, Optimè convenire electioni metaphoram fundamenti. Illud enim est quo salus nostra nititur, & in quo fundantur illa omnia, quæ ad salutem nos perducunt beneficia. Unde Apostolus, *Benedixit nobis Deus omni benedictione spirituali in Christo, sicut elegit nos in ipso.* Audiatur iterum *Grotius*, quem nemo Contraremonstrantibus nimiùm fave-“re suspicabitur. Sicut qui palatium struunt solent firma “subjicere fundamenta; ità Deus moliens Civitatem illam “æternam, decreta quædam substravit, velut fundamenta “quæ manent inconcussa; quod fundamenti est proprium.

Ibid.

3°, Quamvìs obtineat illa lectio pro qua contenditur, & θεμέλιος pactum significet; intelligi tamen poterit locus de electione; quia cùm Christo dedit Pater ab omni retro æternitate quos elegerat, initum est circa eos pactum inter Patrem & Filium, de quo Paulus, *Ad spem vitæ æternæ quam promiserat Deus ille mentiri nescius ante tempora seculorum.* Quod ad alterum spectat, contextum scilicet, id optimè quidem fluit, si per θεμέλιον intelligamus fundamentum, & per fundamentum electionem. Immediatè præcedit narratio de *Hymenai & Phileti* apostasia; nè illa terrorem sanctis incuteret, ac si ipsis etiam immineret eadem sors statim subjungit, *sed firmum stat fundamentum Dei,* quasi diceret, Hos

Tit. 1. 2.

Hos quidem προσκαίρους, qui fidem habuerunt, ſed non fidem electorum, corripuit apoſtaſia; vobis ſubſternitur fundamentum longè firmius & quod lapſum finalem non admittet. *Novit Dominus qui ſunt ſui*, id eſt, electos ſuos ſpecialiter diligit, dilectos conſervat, conſervatos tandem glorificat, utcunq; ſe res habuerit cum non-electis.

§ XVI. Secunda, *Gratiam juſtificationis nunquam intercidi.* Nobis erit inſtar multorum argumentorum illud Apoſtoli, *Quos juſtificavit eos etiam glorificavit*: Neminem verò glorificat Deus extra ſtatum gratiæ conſtitutum, ergò nemo juſtificatus excidit gratiâ. Fruſtrà hîc ſe fatigant adverſarii urgendo (quod ad ravim uſq; facere ſolent) lapſum *Adami*, qui juſtitiâ ſuâ primævâ penitus excidit; eſt enim ἀπροσδιόνυσον. Fatemur Adamum excidiſſe quidem, ſed non gratiâ juſtificante, quæ peccatum præſupponit. Erat ille *juſtus* in ſtatu primævo, ſed non erat *juſtificatus*, quia nullum ipſius peccatum præceſſerat, à cujus reatu abſolveretur. Quid quòd ejus juſtitia *legalis* erat, & conditio fœderis operum; noſtra verò, de qua diſquiritur, *Evangelica*, & beneficium fœderis gratiæ? Etſi tunc *purior* fuerit illius ante lapſum ſtatus, noſter tamen (modò verè renati ſimus & juſtificati) *firmior* eſt; utpote meliori ſuffultus pacto, & minimè nixus arbitrio noſtro defectibili, ſed Jeſu Chriſti Mediatoris auxilio magìs efficaci, quàm quod olim Adamo, priuſquam opus erat Mediatore reconciliationis, indultum eſt. Audiatur obiter hac de re Auguſtini graviſſima determinatio. Primo homini, qui in eo bono quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere, datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet. Nunc verò ſanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis, non tantùm tale adjutorium perſeverantiæ datur, ſed tale ut eis perſeverantia ipſa donetur; non ſolùm ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, ve-

Rom. 8, 29.

De Corrept. & gratia c.12.

" rùm etiam ut per hoc donum non niſi perſeverantes ſint. " Et paulò pòſt, Deus ſanctis ſuis non ſolùm dat adjutorium " quale primo homini dedit, ſine quo non poſſint perſeve- " rare ſi velint; ſed in eis etiam operatur & velle: ut quoni- " am non perſeverabunt niſi & poſſint & velint, perſeveran- " di eis poſſibilitas & voluntas divinæ gratiæ largitate done- " tur. Tantùm quippe Spiritu ſancto accenditur voluntas " eorum, ut ideo poſſint quia ſic volunt; ideo ſic velint, " quia Deus operatur ut velint. Cæterùm hoc, ut diximus, obiter.

Fruſtrà etiam nobis objiciunt peccata fidelium graviora, acſi per ea diſſolveretur fœdus gratiæ, & perſonæ priùs juſtificatæ inciderent in odium Dei capitale, atq; adeò de ſtatu juſtificationis deturbarentur. Etſi enim libenter agnoſcamus abdicatione & exterminio dignos eſſe, qui ità peccant, ſi demeriti ratio habeatur; quin & odiſſe Deum peccata ſuorum quatenus odium includit diſplicentiam unà cum voluntate infligendi malum quid & moleſtum peccatoribus: Negamus tamen 1°, Refigi per ejuſmodi delicta fœdus gratiæ ex parte Dei, licèt ex parte hominum graviſſimè quidem turpiſſiméque violetur. Quemadmodum in matrimonio vinculum illud conjugale non actu diſſolvitur per adulterium, ſed per divortium, quod certè non peccato fit ſed judicio, quando pars læſa lædentem repudiat judicialiter. Ità fœdus gratiæ non reſcinditur per delictum quantumlibet demeritorium, ſed per actum Dei, quem lædunt peccata, delinquentem exterminantis à gratiæ ſuæ participatione. Illud Pater miſericors (quæ ipſius bonitas eſt & στοργὴ erga ſuos electos) ſe minimè facturum profitetur, modò reſipuerint, quod ſemper fit, procurante Spiritu. Huc
Jerem. 3. 1. ſpectat locus ille propheticus, *Vulgò dicitur, ſi dimiſerit vir uxorem ſuam, & recedens ab eo virum duxerit alterum, nunquid revertetur ad eum ultrà? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus, &*
Heb. 13. 20. *ego ſuſcipiam te.* Hinc etiam fœdus gratiæ æternum dicitur,

tur, *διαθήκη αἰώνιος*, eò quòd nunquam à Deo refigitur, sed ab æterno in æternum fœderatos omnes amicissimis ulnis amplexatur. Negamus 2°, Incurri ab eis qui semel justificati sunt odium illud exitiale quod opponitur amori ad vitam æternam. Solidè quidem & egregiè Davenantius. *Amor Dei in renatos non fundatur in illorum perfectione, aut omnimodâ puritate, sed in Christo Mediatore, qui transtulit illorum peccata in se, atque eos sic liberavit ab ira & odio Dei. Odit quidem peccata suorum, sed non ipsas personas quibus inhærent, quia Christi sanguine ab eorum reatu expiantur*, &c. De Justitia habituali cap. 5. p. 216.

§ XVII. Tertia thesis, *Gratiam sanctificationis nunquam emori.* Ordiri libet hunc paragraphum ab isthac Augustini sententia, quâ claudit antidiatribam suam Reverendus Abbotius; *Sæpe tentatio in corde electorum lumen justitiæ abscondit, sed non interimit: & quasi ad pallorem trepidationis pertrahit, sed funditus non extinguit.* Hinc ab uno Apostolo renasci dicimur *ex semine* non corruptibili, sed *incorruptibili*; & ab alio *Semen Dei in renatis manere* dicitur. Scripserat Marcus Antonius de Dominis in Consilio reditûs sui, teneri in ecclesia Anglicana quòd justorum gratia sit ina- 1 Pet. 1. 23. 1 Joann. 3. 9.
" missibilis. Respondit Crakanthorpus; Gratiam simplici- Defens. Eccles.
" ter inamissibilem non dicimus, non vel cogitamus; & san- Anglic. p. 593.
" ctissimorum virorum lapsus, & quotidiana in omnibus
" Dei servis experientia demonstrat, in ipsis gratiam Dei
" ex parte non amissibilem solùm esse, sed & frequenter amitti. *Est*, inquit, *in omnibus, ut in oceano, reciprocatio quædam divinæ gratiæ, fluxus frequens, sed & nonnunquam refluxus: ut non luna, sic nec ipsi semper, & vix unquam in plenilunio; sed ut illa luminis, sic hi incrementum cælestis gratiæ patiuntur & decrementum.* Totaliter verò aut finaliter non amitti divinam gratiam docet Servator ipse. Ubinam verò? Si quis interroget, assignari possunt ex uno Joannis evangelio loca quamplurima, hæc inter alia; *Oves meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me; & ego vitam æternam do iis: Nec peribunt in æternum, neque rapiet eas* Joan. 10. 27, 28.

Joan. 4. 14. *quisquam è manu mea. Quisquis biberit ex aqua illa, quam ego dabo, non sitiet in æternum: sed aqua illa quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* In quæ verba *Theophylactus* cœlestem illam aquam ubicunque hauritur, non manere tantùm observat, sed & multiplicari, ac fontem effici perenniter salientem ad vitam. Illustrem liceat totam hanc, de qua agitur, rem allusione triplici. Cecidit *Mephiboshethus*, & per id quod reliquum erat vitæ clauditatem contraxit, vixit tamen & valebat. Cecidit *Eutychus* è cœnaculo in pavimentum, & morti proximus videbatur; reliqua tamen erat in ipso anima, atq; adeò statim convaluit. Cecidit *Eli*, & fracto collo expiravit. *Cadere* possunt verè sancti cum Mephiboshetho, & in se vulnus recipere ex quo claudicent: Imò *decidere* possunt cum Eutycho, & ad tempus animæ deliquium pati. Non tamen possunt *excidere* cum Eli, ità ut priventur penitus omni vitâ spirituali.

Quæ dicta sunt abundè sufficerent ad assensum ab ingenuis etiam Papistis extorquendum, quales fuerunt *Eisengreinius*, *Catharinus*, & *Marinarius*: Monachis autem Crumenimulgis non persuadebis, etiamsi persuaseris positum esse in officio fidelibus ut de gratia certiorari summis conatibus enitantur. Qui enim id curant scilicet, ut emantur Indulgentiæ & Missæ, & ut Clerus utatur laicis obsequentioribus, eorum interest artem docere dubitandi, & plerophoriam tanquam blasphemiam execrari. Siquidem experti sunt (ut loquar cum Petro Molinæo) *trepidationem populi augere rem Cleri, hominémque attonitum faciliùs emungi argento.* Verùm qui sordidus est sordescat ampliús. Me si audiant Christiani, quid dico me? Si sacram Scripturam, si doctores secundùm eam reformatos, curæ & cordi sit iis omnibus, qui saluti suæ consulunt, hanc salutis galeam induere.

Absit interim ut aliquibus fraudi sint aut præjudicio quæ sub ementito summi viri D. Davenantii nomine ad finem dissertationum ipsius de Morte Christi, déque prædestinatione & reprobatione legentibus occurrunt in eo quod assuitur

tur scripto, & hunc præ se titulum fert, "Sententia Eccle-"siæ Anglicanæ de Prædestinatione & capitibus connexis, "ab eodem (utì fertur) authore, jussu Regis serenissimi "conscripta. Novissima illius verba sic se habent, *Certè sententia illa de qua tantopere pugnatur de certa perseverantia eorum omnium qui semel crediderint ac regenerati fuerint, nullis unquam veteris ecclesiæ patribus probata fuit, sed ab omni antiquitate rejecta, & perpetua omnium temporum experientia nimiùm refutata, & non nisi hoc ultimo seculo nota (al. nata) & ex æmulatione quæ Zuinglio sociisque ejus cum Luthero intercessit, in ecclesiam introducta.* Prodiit quem designo liber ex officina Rogeri Danielis Anno Dom. 1650. Me quod attinet, quamprimum ista se obtulerunt, *Obstupui, steteruntq; comæ.* Egóne scilicet qui toties Reverend. admodum Davenantii Prælectiones & Determinationes imbiberam, qui Exegetica, qui Polemica, qui Synodica scripta perlegeram, & ipsius dogmata ferè quidem omnia in succum & sanguinem vertere conatus sum? Egóne ut crederem illius unquam calamo tale prodigium excidisse? Subesse proculdubio falsi aliquid apud me statuebam, quod tamen detegere nullus potui. Ideóque dolebam seriò tantam viro optimo, tantam ipsi veritati factam injuriam. Interea temporis, vigilante providentiâ, post paucorum mensium curriculum, effracto quasi carcere erupit in lucem Anno 1651. *Fur ille prædestinatus --- Aliquísque malo fuit usus in illo.* Siquidem inter nebulonis istius anteambulones prostat ipsissimum illud scriptum de quo priùs questus sum, alteri quidem authori ascriptum, & sub alio titulo; videlicet "Sententia "Ecclesiæ Anglicanæ de Prædestinatione καὶ τοῖς ἐχομένοις per Doctorem Overallum Theologiæ Cantabrigiæ Professorem, exposita. O factum bene! Salva sunt deinceps omnia; nec ulteriùs licebit ad statuminandam Apostasiam abuti nomine & authoritate clarissimi Davenantii, cujus apud orthodoxos memoria in benedictione sempiterna permanebit.

Cap. X.

De Machæra Spiritûs verbo Dei.

Duæ narrationes historicæ præmittuntur. Circa fidem quâ creditur Scripturã esse verbum Dei, Conclusio prima. De Ecclesiæ testimonio quid olim August. *quid hodierni Protestantes, & è regione Pontificii sentiant* Sect. 1,2,3. *Conclusio secunda. De innatis sacrarum literarum criteriis, majestate styli, sublimitate materiæ, doctrinæ efficaciâ, quæ variis exemplis confirmatur* Sect. 4. *Conclusio tertia. De Spiritûs sancti testimonio nostrorum sententia.* Socinianorum & Episcopii, *dissensio. Falsò nobis impingitur Enthusiasmus* Sect. 5, 6. *Reprehenditur vilipendium S. Scripturæ. Illius encomia proferuntur* Sect. 7. *Verbo Dei tanquam gladio defenduntur milites Christi. Eodem fugantur hostes. nominatim hæreses, vitia, & dolores: testantibus respectivè* Bugenhagio, Vergerio, Augustino, Lactantio, Thoma de Kempis, & Baptista Mantuano Sect. 8. *Cur verbum Dei Spiritûs sancti machæra dicitur. Locus* 2 Pet. 1, 20, 21. *illustratur. Coronis parænetica* Sect. 9,10.

§ I. FEcerat virtus militaris ut ad munus Centurionis designaretur *Marinus* ille de quo Eusebius in historia. (Lib. 7. cap. 14.) Simulac verò Christianum esse constitit, jussus est intra tres horas, Officium an Religionem abdicare vellet apud se

se statuere. *Theotectus* interea Episcopus Cæsariensis gladium monstrans Officii symbolum, atq; unà Codicem Biblicum, fidei scilicet apothecam, Utrùm, inquit, horum mavis accipe, nam utroq; frui non licet. Ille Biblia statim arripuit, & martyrio coronatus est. Disparata fuerunt eo in casu Codex & gladius; sed in hoc apud Paulum apparatu militari sunt conjunctissima: sequitur enim in contextu Apostolico, Καὶ τὴν Μάχαιραν τοῦ Πνεύματος ὅ ἐστι ῥῆμα Θεοῦ, & gladium Spiritûs, hoc est Verbum Dei. Huc illud facit quod inter sua memorabilia recenset *Wolfius*, Quo die coronatus est *Edvardus sextus* Angliæ Rex, tres illi offerebantur gladii, ut significaretur eum trium regnorum, Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ monarcham esse: Fertur Rex dixisse, Unus adhuc gladius deest: interrogatus quisnam ille esset, respondit, volumen sacrorum Bibliorum; Is, inquiit, liber gladius est Spiritûs, hisce omnibus longè anteferendus. Lection. memorab. centur. 16. p. 601.

Dei non hominis verbum esse sacrum codicem utrinque creditur, à nobis & à Pontificiis: maximè verò controvertitur quidnam illud sit in quod ultimò resolvitur ista fides, id est, quod sistit credulitatem nostram, ità ut quando illuc pervenitur non opus sit ulteriore scrutinio. Ut hujusce controversiæ latifundia intra limites angustiores contrahantur, distinctione quâdam præmissâ, tribus deinde conclusionibus absolvere libet, si non omnia, saltem præcipua tantæ rei momenta. Statui potest triplex principium illius fidei, quam debemus sacrarum literarum authoritati divinæ; unum *introductivum*, alterum *argumentativum*, tertium verò *productivum*. Quo præsupposito prodit jam

§ II. Prima conclusio. Fieri potest, & sæpe fit, ut fidei principium introductivum sit Ecclesiæ testimonium, id est, ut Scripturam credant aliqui ipsissimum esse Dei verbum, *per Ecclesiam*, ut primum indicem, licèt non *propter Ecclesiam* ut palmarium assensûs argumentum, sed *propter se*. Quemadmodum si mater, intentis ad cœlum digitis, puerulo suo priùs nescienti apertè dixerit, Mi puer, hic est sol; ille

postea solem esse satis indubitanter credet, non quia mater sic edocuit, sed quia calorem & lucem solarem ipse quotidie " persentiscit. Fatemur, inquit *Calvinus*, eos, qui nondum " Spiritu Dei sunt illuminati, Ecclesiæ reverentiâ ad doci- " litatem induci, ut Christi fidem ex Evangelio discere " sustineant. Atq; ità hoc modo Ecclesiæ authoritatem Isa- " gogen esse quâ ad fidem evangelii præparamur. Neque aliud sibi voluisse videtur Augustinus in dicto illo vexatissimo, *Ego non crederem evangelio, nisi me Catholicæ ecclesiæ authoritas commoveret*; Ad cujus sensum eruendum apprimè facit illa Riveti observatio; scriptoribus scilicet Africanis " in usu fuisse imperfectum pro plusquam perfecto ponere. " Exempli gratiâ, scripserat Augustinus alicubi, Quod cre- " dimus nostrum est; illud sic retractat; quod profectò non " dicerem, si jam scirem fidem ipsam inter Dei munera re- " periri: ubi dicerem ponitur pro dixissem, scirem pro sci- " vissem. Hic enim sensus est, non tunc ità dicere voluis- " sem, si novissem quod nunc scio, nimirum rem se aliter " habere. Sic in dicto jam laudato, crederem usurpatur pro " credidissem, adeò ut mens loci sit, Ego cùm Manichæus " eram, evangelio non credidissem, non fuissem adductus " ad fidem, nisi primùm ecclesiæ authoritate commotus " fuissem; ac proinde non vult ut qui jam credunt ab eccle- " siæ authoritate pendeant, sed ut qui nondum credunt ab " ea incipiant.

Institut. l. 1. cap. 7. § 3.

Lib. contra Epist. Fund. c. 3.

Isagog. ad S. Script. in 4°, cap. 3. § 22.

Retract. l. 1. cap. 23.

Verùm hisce parùm contenti Romanenses, quia vix aliquid ultra *Præconis indicium* ministeriale Ecclesiæ concedunt, pro *judicio Prætoris*, & quâdam ecclesiæ supra Scripturam authoritate & magisterio contendunt acriter: ità tamen ut methodo quâdam admirabili vel ridiculâ potiùs analysin faciant Ecclesiæ catholicæ in Romanam, Romanæ in Concilium generale legitimè congregatum, Concilii in Papam illius præsidem, eúmque non ut hominem (sic enim errori fatentur obnoxium) sed ut Pontificem, Pontificem autem non qualemcunque, sed è Cathedra determinantem, ídque

Vid. *Gerhard.* Disp. Theol. part. 2. p. 1598. & sequent.

ídque de controversiis non facti, sed juris fideiq; Christianæ. Nunquam non crepant Ecclesiam catholicam, Concilium œcumenicum, & id genus augusta vocabula; sed revera voces istæ nihil aliud sunt quàm *ad populum phaleræ:* Ubi ad rem ventum est, & apex controversiæ tangitur, tum unus ac solus Pontifex Romanus is est, cui authoritatem concedunt supremam de dogmatibus fidei, déq; ipsa Scripturæ αὐθεντίᾳ statuendi. Scripsit *Gregorius de Valentia* libros octo satis prolixos de analysi fidei catholicæ, in quorum ultimo ponit & probare satagit hanc ipsissimam thesin, *Quotiescunq; Romanus Pontifex in fidei quæstionibus definiendis, illâ quâ est præditus authoritate utitur, ab omnibus fidelibus tanquam doctrina fidei recipi divino præcepto debet ea sententia, quam ille decernit esse sententiam fidei; toties autem eâ ipsâ auctoritate uti censendum est, quoties in controversiis fidei vel per se, vel unà cum Episcoporum concilio, sic alterutram sententiam determinat, ut ad eam recipiendam obligare velit universam ecclesiam.*

§ III. Tanto scilicet negotio tantas nugas agit ille Gregorius. Citiùs ego crediderim Regem Hispaniæ gaudere privilegio infallibilitatis quia dicitur in proverbiis, *Divinatio in labiis regis, in judicio non errabit os ejus;* quàm fidem omnem Christianam resolvi debere in scrinium pectoris Papalis (id est, sæpenumero in cloacam vitiorum & errorum) eò quòd Petro dixerit Dominus. *Rogavi pro te nè deficeret fides tua; Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam; Pasce oves meas;* & alia nonnulla, quibus innititur tota hæc fabrica Jesuitica. Quod ad hypothesin attinet de librorum biblicorum divinitate, sicut olim scripsit Tertullianus in Apologetico de Romanis (apud quos in more positum erat diis suis ἀποθέωσιν concedere vel negare per suffragia Senatorum) *Apud vos de humano arbitratu divinitas pensitatur. Nisi homini Deus placuerit, Deus non erit; Homo jam Deo propitius esse debebit:* ità se gerunt hodierni Romanenses erga Scripturas. Enimvero nisi sic statuat Ecclesia (id est in ana-

Prov. 16. 10.

lysi Papa) verbum Dei scriptum apud eos non alio ferè loco habebitur, quàm Alcoranus Mahometis, Titus Livius, aut Æsopi fabulæ. *Propter solam ecclesiæ authoritatem credimus Scripturæ*; Sic Stapletonus. *Credunt Catholici id quod credunt quia Deus revelavit, Deum autem revelâsse credunt, quoniam Ecclesiam ità dicentem, & declarantem audiunt:* sic Bellarminus. Eckius, *Non esse authenticam Scripturam*; Hosius, *Perexiguum pondus apud nos habere*; Andradius *Nihil in ea esse quod nos ad credendum constringat* asserit, *nisi id ei præstet authoritas Ecclesiæ.* Quibus omnibus unicum hoc argumentum oppono.

Triplicat. advers. [illegible]

Lib 6. de liber. arbitr. cap. 3. § At Catholici.

Ap. *Chamier. Paustrat.* tom. 1. l. 6. c. 15. § 7.

Impossibile est ut fides divina (qualis est illa per quam recipimus Christianæ religionis dogmata & præcepta, quia traduntur in sacris literis, & sacras literas à Deo profectas esse credimus) finaliter nitatur humano testimonio; Illud enim monstro simillimum esset, ac si quando *turpem desinit in piscem mulier formosa supernè*. Sin autem analysis ultima fidei statueretur in authoritatem ecclesiæ fieri, sequeretur fidem divinam finaliter niti testimonio humano, quo nihil absurdius. Assumptio probatur, ex eo quod testimonium ecclesiæ, quæcunque tandem illa sit, testimonium est hominum, quorum omnes & singuli sunt fallibiles: neq; contrarium ausi sunt fidenter asserere Romanensium Theologi primipilares.
" Bellarminus ipse, Verbum, inquit, Ecclesiæ, id est, Con-
" cilii, vel Pontificis docentis ex Cathedra, non est omnino
" verbum hominis, id est, verbum errori obnoxium, sed
" aliquo modo verbum Dei. Quàm timidè dictum & tre-
" pidanter! Becanus verò rotundè asserit assensum, qui ni-
" titur authoritate ecclesiæ, non esse assensum fidei theolo-
" gicæ, sed alterius inferioris ordinis. Quid ergò superest nisi ut, qui fidem suam ultimò resolvunt in ecclesiæ solius authoritatem, agnoscant ingenuè credere se quæ credunt omnia fide non theologicâ sed humanâ? Dei interim servis non licet ulli sive homini, sive societati in animas suas Christi sanguine redemptas, Spiritu obsignatas, verbo edoctas

De verbo Dei l. 3. cap. 10.

Tract. de fide l. 8. qu. 8. § 8.

ctas id dominii concedere, ut fidei vel γένεσιν, vel ἀνάλυσιν (quarum utraq; Deum spirat) illius authoritati debeant, aut debere se profiteantur.

§ IV. Secunda conclusio, Principium hujusce fidei argumentativum est ipsius Scripturæ genius & indoles, sive innata, uti vocantur, κριτήρια. *Lumen* appellantur *pedibus nostris* sacræ literæ. Psal. 119.105. Luminis est non alia tantùm, sed & seipsum manifestum reddere: sic eluxit hactenus sacra Scriptura inter tot sectas, & coruscavit radiis suis, ut primum omnis theologicæ veritatis principium; nec opus habet, ut ei credatur, à priori demonstrari, magìs quàm lumen solis alio lumine collustrari ut actu videatur. Salvianus, *Dicta, inquit, humana argumentis & testibus egent. Dei autem sermo ipsis sibi testis sit.* Athanasius, ἀφ' ἑαυτοῦ ἔχει τὸ γνώριμον. De provid. lib. 3. Ipse se suis notis & indiciis prodit. Lib. contra Gentes. Inter hæc insita quasi visceribus sacri Codicis argumenta, quibus sibi de sua divinitate fidem facit, eminentem sibi locum vendicant ista tria.

1°, *Majestas styli*, in quo summa cum simplicitate (occurrunt enim verba plerumque vulgaria) conjunctum est semper aliquid magnifici, quod ingerit se legentis animo. Quemadmodum cùm Angelus offert se conspiciendum sub humana specie, os quidem humanum agnoscitur, & humana membrorum conformatio; apparet tamen semper aliquid, ut ità dicam, peregrinum, quo percellaris animo, & tacitè admonearis non esse verum hominem, sed spectrum. Ità est in Scripturæ stylo nescio quid (ait vir magni nominis & meriti) quod effari non possum, persentiscitur tamen ab iis qui legunt; quo facilè eum discernas à scriptis humanis, sicut cujusvis est in esculentis discernere sapores, quanquam rationem diversitatis explicare difficile sit. *Jo. Camero* Operum in 4°, Tom. 3. p. 135.

2°, *Sublimitas materiæ*. Enimvero continent sacræ literæ mysteria supra captum rationis humanæ, Trinitatem putà Personarum in eadem essentia, hypostaticam unionem duarum naturarum in eadem Persona, resurrectionem eorun-

dem corporum, & id genus alia. Dogmata voluntati humanæ minimè grata, qualia ſunt illa de peccato originali, de mortificatione carnis, de abſoluta gratiæ neceſſitate, de liberi arbitrii ſervitute, de facultatum naturalium in ſpiritualibus ἀδυναμία. Vaticinia deniq; ultra ſphæram humanæ præſcientiæ, quæ lippire ſolet, imò cœcutire ad futura contingentia; quorum tamen multa prædicit ſacra Scriptura non minori eventûs certitudine, quàm ſi coràm cernerentur.

3°, *Doctrinæ efficacia.* Eam ſic olim celebravit Auguſtinus, *Leguntur verba piſcatorum, & colla ſubduntur oratorum.* " *Savonarola* verò ſic; Teſtis eſt Deus, quòd ſæpe prædi-" canti mihi ad populum, dum ego per argutam philoſo-" phorum doctrinam, pérq; humanæ ſapientiæ verba eva-" garer, ut ſciolis hujus ſeculi ac inflatis ingeniis ſacri elo-" quii profunditatem oſtenderem, perſpexiſſe contigerit ex " quadam auditorum impatientia ac lenta adverſione, non " tantùm rudium, ſed etiam peritorum aures minùs atten-" tas. Quoties autem ad ſacræ Paginæ majeſtatem conver-" terer, miram ſingulorum attentionem, omniúmq; in me " defixa ora marmoreis ſtatuis ſimilia intuebar. Quin & eam experti ſunt alii quamplurimi in ſuis ipſorum conſcientiis. *Locus ille Pauli fuit mihi verè porta Paradiſi*; Sic Lutherus de verſu decimo ſeptimo primi capitis ad Romanos. *Lego partem capitis, & ità commoveor, ut repentè divinitatem argumenti, & ſcripti majeſtatem, authoritatémque ſenſerim longo intervallo omnibus eloquentiæ humanæ fluminibus præeuntem.* Sic de initio evangelii ſecundùm Joannem Franciſcus Junius. *Novum Teſtamentum ab Eraſmo editum latinitate potiùs quàm verbo Dei allectus emebam. Incidi primâ ut memini lectione, in hanc (O mihi ſuaviſſimam Pauli ſententiam) Certus ſermo & dignus quem modis omnibus amplectamur, quòd Chriſtus Jeſus venit in mundum, ut peccatores ſalvos faceret; Hæc una ſententia Deo intus in corde docente ſic exhilaravit pectus meum, priùs peccatorum conſcientiâ*

De Verb. Dom. Serm. 59.

Triumph. crucis lib. 2. c. 2. prope finem.

In ipſius vita.

tiâ saucium ac penè desperabundum, ut mox visus sim mihi nescio quantam intus tranquillitatem sentire. Ità de versu decimo quinto capitis primi prioris epistolæ ad Timotheum Thomas Bilnæus Martyr. Deniq; nè nimius sim, Joannes Isaacus Levita de quinquagesimo tertio Isaiæ verba faciens; *Ingenuè*, inquit, *profiteor illud ipsum caput ad fidem Christianam me adduxisse. Plùs millies caput illud perlegi.* Et quæ sequuntur ibidem alia lectu dignissima de quinque Rabbinis Jesum esse Messiam negantibus ab ipso in nundinis Francofurtensibus ex eodem loco refutatis. Quibus addi potest opportunè quod tradit *Andradius* de Judæis quibusdam Africanis ipsi notis, qui solâ ejusdem capitis lectione inducti fuerunt ut domo, patriâ, parentibus, amplissimísq; fortunis relictis, Christo se Jesu (prout ille loquitur) inflammatis studiis consecrârunt.

In Epistola Latina ad *Tonstallum*, quæ habetur in Actis & monument. *Jo. Foxii*, volum. 2. edit. ult. p. 266. Defens. veritat. Hebraicæ adversùs *Lindanum*, lib. 2. p. 82, 83. Defens. Tridentinæ fidei lib. 4. fol. 352.

§ V. Tertia conclusio. Spiritûs sancti operatio, eáque sola principium est ejusdem fidei productivum. Testetur quantùm potest Ecclesia, splendescat insitâ suâ luce quantùm solet Scriptura; si tamen desit Spiritûs sancti operatio afflatu suo cor tangentis, ut divinitatem in sacro Codice elucentem agnoscat, deerit adhuc fides divina; nec amplius quid efficiet Ecclesiæ testimonium quàm fidem humanam, aut ipse S. Scripturæ genius quàm opinionem theologicam. Hoc illud est quod sibi volunt nostri Theologi. Calvinus. *Sicuti Deus solus de se idoneus testis est in suo sermone; ità non ante fidem reperiet sermo in hominum cordibus quàm interiore "Spiritûs testimonio obsignetur. Chamierus.* Posse multis "argumentis compesci eum, qui insurgit in sacrorum libro-"rum authoritatem negans esse divinam, absit ut negemus: "sed ut ille ità convictus prorsus persuadeatur regulam esse "fidei, fieri omnino non posse nisi interno Spiritûs motu "asserimus. *Whitakerus.* Etsi externis testimoniis evicti ne-"gare præ pudore non possumus sacras literas esse Dei ver-"bum; tamen tum demum certam & salutarem πληροφορίαν "assequimur, quando idem Spiritus, quo libri illi scripti

Instit. l. 1 c. 7. parag. 4.

Lib. 6. de canone cap. 1. parag. 7.

Oper. in fol. Tom. 1. p. 10. vid. ibid. p. 78.

"atque editi sunt, mentibus de Scripturarum fide persua-
"sit. Qui hoc Spiritu caret, quantumvis Ecclesiam millies
"audiat, tamen incertus semper apud se dubiúsq; remane-
"bit. Robertus Baronius Abredonensis. *Distinguendum est sedulò inter principalem causam effectivam assensûs fidei, & causam ejus principalem objectivam. Spiritus sanctus, per internam illuminationem intellectûs & efficacem motionem voluntatis humanæ, est causa principalis effectiva assensûs fidei. Sed ipsum verbum Dei insitâ suâ luce, virtute & majestate divinitatem suam nobis manifestans est principalis causa objectiva, seu principale fundamentum assensûs fidei.* Hæc illi.

Disp. de formali objecto fidei, p. 27.

Cæterùm ab his, præter Pontificios etiam Sociniani, & è
"Remonstrantibus aliqui plurimùm dissentiunt. Author
"brevis disquisitionis, homo ex asse Socinianus, in ipso li-
"mine capitis tertii hæc habet; Alius de judice error est,
"ísque eò ad incautos seducendum accommodatior, quò
"majorem sanctitatis ac religionis habet speciem. Nimirum
"Judicem ipsi Spiritum sanctum statuunt; saltem sine eo
"nullum cuiquam de sacris judicium concedere volunt. *Episcopius* autem signifer ille Remonstrantium ità loquitur. *Patet ineptos esse eos qui vel præter vel citra testimonium Ecclesiæ requiri aiunt internum Spiritûs sancti testimonium, ad hoc, ut libros hosce divinos esse, & authoritatem divinam habere, intelligamus.* Quibus quid dici potuisset vel disertius, vel absurdius? Apostolum certè multò aliter sensisse credendum, quando Thessalonicenses sic alloquitur, *Evangelium nostrum constitit apud vos non sermone solùm, sed etiam potentiâ,* καὶ ἐν Πνεύματι ἁγίῳ, καὶ ἐν πληροφορίᾳ πολλῇ, *& Spiritu sancto & plenâ certioratione multâ.* Annon hîc clarè liquet verbum Dei à nemine recipi posse in virtute, & cum certitudine persuasionis nisi per Spiritum sanctum intus in corde certiorantem? Eò saltem propendet Tertullianus in suo de præscriptionibus libro, ubi legere est, *Qui Scripturam non recipiunt, nec Spiritum sanctum possunt agnoscere discentibus missum.* Nam (quod paulò antè præcedit) *Christus sedens ad dexteram Dei,*

Institut. Theologic. lib. 4. c. 5. p. 235.

1 Thess. 1. 5.

Dei misit vicariam vim Spiritûs sancti, qui credentes agat.

§ VI. Verùm hîc iterum clamitant iterúmque, foveri à nobis Enthusiasmos, & admitti revelationes extra verbum. Frustrà quidem & perversè nimis. Audiantur nostri nè damnentur inauditi. Ille, quem modò laudavi " Baronius duas ait revelationes concurrere ad veri nominis enthusiasmum, unam ex parte objecti, cujus est res " novas patefacere, alteram ex parte potentiæ, quæ aperit " mentis oculos ad intelligendum ea quæ patefiunt. In Dei " amanuensibus, utpote afflatis modo extraordinario utriusq; generis revelationes datas fuisse asserit; iis verò qui " nunc dierum illuminantur ad ea, quæ primitus in Scripturis fuerunt revelata, intelligendum & credendum, " unam solam sufficere revelationem, eam scilicet, quæ " conceditur ex parte potentiæ; atq; adeò illis non contingere propriè dictum Enthusiasmum. Alibi sic, Evangelici, inquit, per internum illud Spiritûs sancti testimonium non intelligunt novam aliquam & extraordinariam " revelationem immediatè à sancto Spiritu profectam, sed " revelationis priùs in ipsa Scriptura factæ applicationem efficacem. Joannes Cloppenburgius in opere posthumo. *Spiritûs sancti testimonium internum non est verbum ἄγραφον præter Scripturam sacram credendum; sed est vivum Scripturæ in cordibus ἐπίγραφον; adeóque (si hypotyposis doctrina spectetur) idem verbum scriptum quod publicè legitur.* Joannes Maccovius, *Testimonium*, inquit, *Spiritûs sancti est lux quædam ità mentem perfundens, ut eam leniter afficiat, ostendátque rationes ipsi rei, quæ credenda proponitur, insitas, sed antea occultas.* Gulielmus deniq; Whitakerus, quo nemo vel copiosiùs vel fortiùs causam egit Scripturæ contra Doctores Pontificios, auream hanc sententiam protulit, suo & nostrorum omnium nomine, *Ecclesiæ ministerium in honore habemus; internas persuasiones sine externo verbo tanquam Satanæ ludibria cavemus. Ex Scripturis sapimus, cum Scripturis sentimus, propter Scripturas credimus.*

Apolog. pro Disp. de formal. object. fidei, p. 736. 763. & 769.

Exercit. super L. C. in Disp. de methodo fidei thes. 4.

L. Com. p. m. 28.

Oper. in folio Tom. 2. p. 121.

§ VII. Hoc interim posito & probato (quod hîc abundè factum esse confidimus) sacram scilicet Scripturam ipsissimum esse verbum Dei, minimè ferendi sunt ab hominibus Christianis, qui sacra Biblia quovis modo vilipendunt. Hujus autem criminis (flagitii potiùs) se insigniter reos præstiterunt Episcopi illi Gallicani, de quibus suprà dictum est.

Lib. 1. c. 6. § 8.

Sed & huic affines culpæ sunt quotquot aliis immersi studiis se in lectione Scripturarum negligentiùs exercent. In catalogo testium veritatis recenset Illyricus *Robertum Gallum*, qui floruit circa annum 1290. Is illorum temporum "sophistas & scholasticos Bibliorum incuriâ laborantes, curiosis interim inutilibúsq; quæstionibus plurimùm intentos, aptè comparavit homini, qui gestans à latere vini generosi amphoram, unà cum pane optimo, sed utroque intacto, lapidem interea gerebat in manu, quem avidè quidem sed frustrà rodebat. Ad conspectum sacri codicis æquum est utiq; & necessarium, ut alii se libri, quotquot sunt in orbe terrarum universi, submittant illico, sicut olim coram *Josephi* fasce reliqui Patriarcharum manipuli se incurvabant adorabundi.

Quin & erubescant oportet illi omnes, qui horum similiúmq; præceptorum immemores, *Quærite ex libro Jehovæ & legite. Intentus esto lectioni. Scrutamini Scripturas*, tam augustum cœli depositum honore debito non prosequuntur. *Alexandrum* ferunt, quando inter *Darii* spolia oblatum illi fuerat immensi pretii scriniolum (in quo materia reliquam prædam, opus materiam superabat) nihil dignius existimâsse quod in eo reconderetur quàm *Homeri* poemata. Et de *Ælio Vero* Imperatore tradunt historiæ augustæ scriptores, eum usq; adeò deamâsse librum *Ovidii* de arte Amandi, ut illum sæpiùs in lecto decubiturus legerit, & dormiturus pulvinari imposuerit. Pudeat te, Christiane, pudeat non manu versare, non in oculis habere, non in corde reponere Verbum Dei, cùm tanti viri verbum Homeri, imò Ovidii

Isaiæ 34.16. 1 Tim 4.13. Joan. 5.39.

Ovidii tanti fecerint. Sin autem nonnulli reperiantur (eorum verò ferax est hæc, ni fallor, ætas, si unquam alia) seduli quondam verbi lectores & auditores, qui nunc Biblia rariùs attingunt, conciones ferè nunquam adeunt; illos ego potiori multo jure censendos arbitror inter mortuos, quàm olim *Pythagoras* scholæ suæ desertores; in quorum usitatis sedibus ille κενοτάφια posuisse dicitur, ut significaret eos moraliter obiisse. Nobis ad acuendam hac in re diligentiam nostram seriò perpendenda sunt, quæ sacræ Scripturæ debentur encomia. Paradisus est, in quo duæ succrescunt arbores primariæ, hæc scientiæ, illa vitæ; Animarum Cynosura, veritatis Acropolis, & pietatis Gazophylacium; semen est, quo renascimur Christiani; lac, quo nutrimur infantes; cibus, quo adulti pascimur; vinum, quo infirmi refocillamur; medicina, quâ sanamur ægroti. Eminet inter alia multa, quod præ manibus est, Elogium Paulinum, *Machæra Spiritûs sancti,* cui quicquid addideris, minùs erit.

Porphyr. in vita Pythag.

§ VIII. Quare verò Machæra? Reddam brevissimè rationem unam & alteram. Gladio defenduntur milites inter pugnandum; ità per Scripturam Christiani. Princeps nostræ militiæ Christus, qui exemplo suo nobis præivit, cùm adversùs tentatorem in eremo duellum instituit, non usus est alio quovis telo præter hunc gladium (*Scriptum est*, inquiit, atque iterum Scriptum est, quin & tertiò Scriptum est) quo solo se adversùs diabolum tuebatur. Hostis ille veteranus non, utì volunt Pontificii, *Picturam Christi*, sed *Scripturam*; non *Signum crucis*, sed *Verbum crucis* reformidat.

Quin & adversarii per gladium fugantur: ità per verbum Dei hæreses, vitia, & dolores. Primò *Hæreses* duobus illud exemplis illustraturus sum: unum erit *Joannis Bugenhagii*. Lutherus, utì notum est omnibus, explosis Antichristi figmentis, & scholasticorum næniis, solùm ferè verbum Dei propinavit. Scripsit inter alia librum de *Captivitate Babylonica*. Eum Bugenhagius inter cœnandum perlustrans, erupit

M. Ad. vit. Theol. German. p. 313.

erupit præceps in hanc ſententiam, Multos à paſſo Christò Salvatore hæreticos Eccleſiam infeſtâſſe, ac duriter exercuiſſe; ſed nullum illius libri authore peſtilentiorem unquam extitiſſe. Poſt aliquot dies libro attentiùs lecto ac relecto, ſingulíſq; accuratiùs penſitatis, reverſus ad collegii, quod incoluit ſodales, & palinodiam canens. Quid ego vobis, inquiit, multa dicam? *Univerſus mundus cæcutit, & in Cimmeriis tenebris verſatur: Hic vir unus & ſolus verum videt.* Alterum *Pauli Vergerii* Epiſcopi Juſtinopolitani; de quo ſic

Sleidan Comment. Relig. lib. 21.

" *Sleidanus*; Librum conſcribere orſus eſt, cui titulum de-
" dit Adversùs Apoſtatas Germaniæ. Dum autem confu-
" tandi causâ libros Proteſtantium diligenter excutit, & at-
" tentè conſiderat argumenta, captum ſe victúmque ſentit:
" & abjectâ ſpe Cardinalatûs, qui ei à Pontifice deſigna-
" tus erat, ad fratrem ſuum Polæ civitatis epiſcopum abit;
" quid ipſi factum ſit commemorat. Frater initio territus
" conditionem Vergerii deplorat. Sed Vergerii precibus
" inductus, cùm ad Scripturæ perveſtigationem ſeſe appli-
" câſſet, illúdq; imprimis doctrinæ caput de Juſtificatione
" diligenter expendiſſet, cedit & ille quoque, & falſam eſſe
" Pontificiam doctrinam judicat. Itaq; mutuò ſibi gratulantes populum per Iſtriam erudire cœperunt.

Secundò, *Vitia.* Irretitus fuerat aliquandiu laqueis incontinentiæ juvenis adhuc *Auguſtinus.* Hâc tandem voce monitus *Tolle lege, Tolle lege,* arripuit codicem Apoſtolicum, legit caput decimum tertium ad Romanos, in quod primum oculos conjecerat: incidit tandem in illa verba, *Non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione; ſed induite Dominum Jeſum Chriſtum, & carnis providentiam nè feceritis in concupiſcentiis.* Nec ultrà, inquit, volui legere, nec opus erat; ſtatim quippe cum fine hujuſce ſententiæ, quaſi luce ſecuritatis infusâ cordi meo, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt. Sed quid tum poſtea bone vir? *Quàm ſuave*, inquit, *mihi ſubitò factum eſt carere ſuavitatibus nugarum? & quas amittere*

Confeſſ. l. 8. cap. ult.

Indul. Confeſſ. l. 9. c. 1.

tere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas à me vera Tu & summa suavitas (Christe Jesu) *ejiciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior*, &c. Qualis olim fuerit in eradicandis vitiis sacrarum literarum efficacia, satìs demonstrat illa *Lactantii* Firmiani præclara sanè provocatio, *Da mihi virum qui sit iracundus, maledicus, effrænatus; paucissimis Dei verbis tam placidum quàm ovem reddam. Da cupidum, avarum, tenacem; jam tibi eum liberalem dabo. Da timidum doloris & mortis; jam cruces & ignes & Phalaridis taurum contemnet. Da libidinosum adulterum, ganeonem; jam sobrium, castum, continentem videbis. Da crudelem & sanguinis appetentem; jam in veram clementiam furor iste mutabitur. Da injustum, insipientem, peccatorem; continuò & æquus & prudens & innocens erit.* De falsa sapientia, lib. 3. cap. 26.

Tertiò, *Dolores*. Dixit Regum sapientissimus, *Mæror in corde viri deprimit illum, & sermone bono lætificabitur.* Sermo nullus melior est quàm Verbum Dei, nec ullus majoris lætitiæ parens. Unde Paulus, *Quæ antè scripta sunt, ad nostram doctrinam antè scripta sunt; ut per tolerantiam, & consolationem Scripturarum spem habeamus.* Dixisse fertur *Thomas à Kempis*, & libris suis, ni malè memini, inscripsisse pro symbolo, *In omnibus requiem quæsivi, sed nusquam inveni præterquam in angulo cum libello.* Talis revera liber est Codex biblicus, qui vel solus, vel supra omnes requiem animabus nostris præstabit. *Baptistæ Mantuano* suum unà cum documento experimentum adjicere liceat. Hæc illius verba " sunt. Magnum & mirabile contra corporis dolores & " animi tristitiam invenies ex sacræ Scripturæ lectione re- " medium. Feci ego persæpe periculum. Nam cùm fue- " rim aliquando circumventus multis anxietatibus, quarum " feracissima est turbulenta ista mortalium vita, fugi semper " ad Codices sacros, tanquam ad arcem munitissimam, & " præsentaneum medicamentum animi laborantis; & quod " in iis quærebatur levamen inveni; nec à spe, nec à deside- " rio meo fraudatus.

Prov. 12. 25.
Rom. 15. 4.
S. Torshell exercit. in Malach.
De patientia l. 3. cap. 32.

§ IX. Dictum est quare Machæra; Dicamus jam quare Machæra Spiritûs audiat; quoniam scilicet Verbum Dei, primitus à Spiritu sancto dictatum, per Spiritum Dei in corde loquentem ab humanis scriptis dignoscitur, & ab eodem Spiritu in Scripturis loquente certam recipit & infallibilem interpretationem. Ex iis quæ præmissa sunt hoc ipso in capite satìs opinor innotescunt priora. Patet tertium ex loco Petri ubi docemur, *Nullam prophetiam Scripturæ esse privatæ interpretationis,* ἰδίας ἐπιλύσεως. *Non enim libitu hominis allata est olim prophetia, sed acti à Spiritu sancto locuti sunt sancti Dei homines.* Hunc in modum argumentari videtur Apostolus. Ab eo proficisci debet expositio Scripturæ, qui eam inspiravit. Ille Spiritus Dei est; vel sic, unusquisque verborum suorum proprius & optimus interpres est. Scripturæ sunt Spiritûs sancti oracula: Ergò non sunt proprio cujuslibet arbitrio explicandæ, sive ex ingenio & spiritu cujusvis privato. Certè per ἰδίαν ἐπίλυσιν commodè satìs intelligitur interpretatio vel expositio privata: ut enim apud Latinos verbum *explicandi* à plicarum evolutione; ità apud Græcos ἐπίλυσις à vinculorum solutione deducitur, cùm expositio sit velut nodi alicujus solutio. Bernardus emphaticè, *Quo,* inquit, *Spiritu facta sunt Scripturæ, eo Spiritu legi desiderant; ipso etiam intelligendæ sunt.* Spiritus quidem privatus hominis Christiani is est, qui intelligit & credit hunc vel illum sensum esse genuinum hujus vel illius loci: sed à Spiritu Dei publico illuminatur ut apprehendat, intelligat, & credat. Adeò ut hæc intellectio & fides *quoad actum* à privato spiritu peragantur; sed *quoad ortum* suum à Spiritu illo publico deriventur, qui verba facit in Scripturis. Quando provocatur ad Concilia, ad Patres, ad Ecclesiarum confessiones, itur ad fallibiles judices: Quod Spiritus sanctus in Scripturis loquitur inter se collatis, id solum pro rato habendum est. Proinde Concilium illud celebre Actorum decimo quinto, quia sententiam suam exegerat ad normam illorum testimoniorum, quæ à Petro & Jacobo prolata

[Margin: 2 Pet. 1. 20. 21.]

[Margin: Serm. ad Fratres de monte Dei.]

lata sunt ex sacris literis, *Visum est*, inquiit, *Spiritui sancto & nobis*, Spiritui scilicet loquenti in illis testimoniis, & ideo nobis, quia Spiritui sic loquenti. Act. 15. 28.

§ X. Quocirca gladium hunc evaginemus, Viri, Fratres, eúmque in disputationibus nostris, præsertim verò in concionibus vibremus unicè. Esto quilibet verbi Minister alter *Apollos, vir eloquens, potens in Scripturis.* Eloquens sit per me licet (qui ut olim *Moses*, *Utinam totus populus Jehovæ essent prophetæ*, ità paratus sum optare, Utinam omnes Jehovæ prophetæ essent Oratores!) verùm eloquentiâ non theatrali, sed Theologicâ, masculâ, flexanimâ, i. e. Biblicâ. Eloquens sit vel ad miraculum, modò interim potens sit, non in poetis & historicis, non in philosophis & philologis, non in scholasticis & Patribus, nedum in Traditionibus & Legendis; sed in Scripturis. Omne genus libros verset, modò sit in bibliotheca Spiritûs sancti versatissimus. *Oxoniæ* dixisse ferunt *Jacobum Regem*, "si modò captivus esset, & penes ipsum electio carceris, se Bibliothecam Bodleianam præ aliis omnibus electurum. Ecce major Bodleio est hîc. *Sacer Codex est Spiritûs sancti bibliotheca*, eáque talis, ut in carcerem vix & nè vix quidem mutari possit, quoniam libertate donat incolas suos, secundùm illud Servatoris, *Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis: & cognoscetis veritatem, & veritas vos in libertatem vindicabit.* Act. 18. 24. Num. 11. 29. Joan. 8. 31, 32.

Qui *artem* hanc, ut ità loquar, *gladiatoriam* semel à Deo didicerunt (à Deo inquam, quia verè Θεοδίδακτοι sunt omnes evangelii præcones genuini) sedulò caveant nè Verbi gladium, cui nullus revera similis est, uti de gladio *Goliathi* dixit *Davides*, ut illum Hebræi, ponè Ephod abscondant: sed eum per crebras conciones coram populo producant. Memores, precor, sint *Aaronis*, cui non suffecit malogranatum absq; tintinnabulo; Memores Pentecostes, quando descendebat Spiritus, nec in specie *manuum*, ac si esset mundus vi & armis subigendus; nec *pedum*,

dum, ac si fugiendus cùm minatur; nec ***aurium*** aut ***oculorum***, quæ discendi sunt organa, sed ***linguarum***, quæ docendi; quibus ad Deum oretur pro populo, ad populum peroretur de Deo. Academici verò, & quotquot alicubi fuerint generosæ indolis, ac bonarum literarum studiosi, vel hoc nomine linguis, quas vocant, originalibus operam dent, eò quòd *vaginæ* sint, in quibus reconditur illa, quam hactenus pertractavimus, *Machæra Spiritûs.*

Libri secundi FINIS.

TACTICORUM SACRORUM

Liber Tertius.

Cap. I.

Exhibens apparatum ad victoriam per Alloquia sacra.

Ad Ephesios sexti versus 18 per totum hoc caput tractatur. De illius nexu cum præcedentibus sententia prior. Usus Scripturæ inter orandum Sect. 1. *Posterior. Copiis auxiliaribus comparantur preces. Ab eis orsi etiam Ethnici Senatores, Poetæ, Oratores & Milites* Sect. 2. *Oratio ad Deum solum dirigenda. Triplex est, publica, privata, secreta; commendantur singulæ* Sect. 3. *Nequaquam petenda sunt à Deo non promissa, nedum prohibita in verbo* Sect. 4. *Orandum pro bonis spiritualibus e.g. remissione peccatorum, eradicatione vitiorum, & augmento virtutum; Contra Philosophos & Pelagianos aliter docentes* Sect. 5, 6. *Temporalia quousque & quomodo petenda* Sect. 7. *Deum adeunt mortales jure triplici, Creationis, Redemptionis, Adoptionis.* Gal. 4. 6. *illustratur* Sect. 8. *Deum alloqui possunt & debent tum renati, tum irregeniti; quorum hoc quatuor thesibus declaratur*

tur Sect. 9. *Quando orandum.* διαπαντὸς *quid. Pontificiorum horæ canonicæ* Sect. 10. *Quid sit Spiritu orare, si de nostro intelligatur; quid, si de Spiritu sancto,* Rom. 8. 26. & Jacob. 5. 16. (*ubi occurrit* δέησις ἐνεργουμένη) *elucidantur* Sect. 11, 12. *Precibus invigilare quid: Vigiliæ corporis, atque etiam mentis* Sect. 13. *Vis vocabuli* προσκαρτέρησις. *Similitudines* Granatensis. *Quomodo suorum preces exaudit Deus* Sect. 14. *De imprecationibus. Circa diras quæ extant in sacris literis quid sentiendum* Sect. 15. *Conclusio parænetica* Sect. 16. *Oratio ad normam Dominicæ* Sect. 17.

§ I. PRimus liber Christianum ad militiam instituit; Secundus ad pugnam; Subsequitur Tertius, in quo ad victoriam & triumphum instruitur. Post finitam panopliam subjungitur monitum Apostolicum in hæc verba, Διὰ πάσης προσευχῆς καὶ δεήσεως προσευχόμενοι ἐν παντὶ καιρῷ ἐν Πνεύματι, καὶ εἰς αὐτὸ τοῦτο ἀγρυπνοῦντες ἐν πάσῃ προσκαρτερήσει, καὶ δεήσει περὶ πάντων τῶν ἁγίων. i. e. Omni prece & obsecratione orantes omni tempore per Spiritum, & illi ipsi rei excubantes cum omni perseverantia & supplicatione pro omnibus sanctis. De cujus versiculi tum nexu, tum sensu verba facere in hujusce libri exordio perquam opportunum existimo.

Cohæret fortè præceptum hoc cum verbis immediatè præcedentibus. *Recipite gladium Spiritûs*, hoc est, *verbum Dei*, & innuunt in omnibus nostris ad Deum alloquiis respici debere sacras literas. Ædificii siquidem instar est omne sacrum alloquium, ad quod extruendum lignis & lapidibus opus est. Sacra Scriptura sylva est è qua ligna cæduntur, lapidicina è qua effodiuntur saxa ad hanc structuram necessaria.

ſaria. Soliti ſunt proinde Sancti inter orandum ſacrarum literarum exempla, promiſſa, dictáque alia commemorare, ſaltem reſpicere. Auguſtinus de matre ſua Monica, *Chirographa*, inquit, *tua ingerebat tibi Domine*, id eſt, promiſſa, quibus ſe Deus quaſi debitorem fecerat. Vitus Theodorus de Lutheri precibus ſcribens ad Melancthonem hæc habet, *Bone Deus! quantus ſpiritus, quanta fides in ipſius verbis ineſt? Tantâ reverentiâ aliquid petit, ut cum Deo; tantâ ſpe & fide, ut cum Patre & amico ſe loqui ſentiat.* Et paulò pòſt, *Inter orandum promiſſiones ex Pſalmis ſic urgebat, ut qui certus eſſet omnia eventura eſſe quæ peteret.* Fundârunt preces ſuas Apoſtoli ſuper ea quæ dicta fuerunt propheticè in Pſalmo ſecundo. Verùm præ aliis dignum eſt quod obſervetur *Mariæ* canticum in primo *Lucæ*, cujus expoſitionem *Chemnitius* "hiſce verbis exorditur, Simpliciſſimam carminis hujus explicationem judico in eo conſiſtere ſi notentur & accommodentur loca Scripturæ, ex quibus Maria, inſtinctu ejus quem utero gerebat, floſculos gratulatorii ſui carminis decerpſit & contexuit. Id quod ſcriptor ille acutiſſimus per ſingula membra conatur oſtendere. Nos contenti paucis erimus, quoniam liber ejus vel eſt, vel eſſe meretur in omnium manibus. *Exultavit ſpiritus meus*, ait Maria, *in Deo Servatore meo*; Extant eadem ferè verba apud *Habakkuk* capite tertio verſu penultimo, Ἐγὼ δὲ ἐν τῷ Κυρίῳ ἀγαλλιάσομαι, χαρήσομαι ἐπὶ τῷ Θεῷ σωτῆρί μου. Pergit illa, *Quia reſpexit ad humilitatem ancillæ ſuæ*; quæ ferè eadem ſunt cum iis quæ occurrunt primi *Samuelis* primo, verſu undecimo, ubi ſic *Hanna* in voto ſuo, Ἐὰν ἐπιβλέπων ἐπιβλέψῃς ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν τῆς δούλης σου. Porrò, *Ex hoc*, inquit Maria, *beatam me dicent omnes generationes*; quæ deſumi videntur ex dicto *Leæ*, Geneſeos triceſimo, verſu decimo tertio; μακαρία ἐγώ, ὅτι μακαρίζουσί με αἱ γυναῖκες. Deinde ſic Maria in Cantico, *Miſericordia ejus in progeniem & progeniem timentibus eum*; quæ ipſiſſima ferè leguntur Pſalmo centeſimo tertio; verſu decimo ſeptimo, τὸ δὲ ἔλεος τοῦ Κυρίου ἀπὸ τοῦ αἰῶνος καὶ ἕως τοῦ αἰῶνος ἐπὶ τοὺς φοβουμένους αὐτόν.

M. Adam. vit. Theol. Germ. p. 142.

Act. 4. 25, 26.

Chemnit. harmon. evang. c.

Illa verò quæ ſequuntur, *Præſtitit robur per brachium ſuum; ſuſcepit Iſraelem puerum ſuum. Ut memor eſſet miſericordiæ;* affinia valde ſunt eis quæ habentur apud 70 interpretes Pſalmo nonageſimo octavo, verſibus ſecundo & tertio, Ἔσωσεν αὐτὸν ἡ δεξιὰ αὐτοῦ καὶ ὁ βραχίων ὁ ἅγιος αὐτοῦ, ἐμνήσθη τοῦ ἐλέους αὐτοῦ τῷ Ἰακώβ, καὶ τῆς ἀληθείας αὐτοῦ τῷ Ἰσραήλ. Præſertim ſi addamus quæ inveniuntur apud *Iſaiam* capite quadrageſimo primo, verſibus octavo & nono. Σὺ δὲ Ἰσραὴλ παῖς μου. Et paulò pòſt, οὗ ἀντελαβόμην. ſic enim *Maria*, Ἀντελάβετο Ἰσραὴλ παιδὸς αὐτοῦ μνησθῆναι ἐλέους. Reliqua ferè omnia tantùm non ad verbum extant in Cantico *Hannæ*, primi Samuelis ſecundo: & in Pſalmo centeſimo decimo tertio, verſu ſeptimo.

§ II. Alii monitum hoc connectunt, non tam huic aut illi particulæ, quàm toti ſermoni Apoſtolico de hoſtibus & armatura Chriſtianorum, ídque hunc in modum. Tandem ut in bello (verba ſunt *Joannis Quiſtorpii* profeſſoris "Roſtochienſis) ii qui ab hoſtibus externis premuntur, per "literas ſibi à confœderatis auxilia petunt, qui nec fratri-"bus denegant: ità ultimo loco vult nos in hac ſpirituali pu-"gna precibus ad Deum Patrem & Chriſtum fratrem no-"ſtrum confugere, mutuíſque nos qui ſumus in Chriſto "fratres precibus contra hunc hoſtem juvare. Certè ut in bello auxiliaribus ſæpe copiis tribuenda eſt victoria; ſic in militia ſpirituali alloquiis ſacris, quibus invocatur Deus ut præſtò laborantibus ſit. Hinc illud, *Oratio eſt oranti ſubſidium, Deo ſacrificium, diabolo flagellum:* Atq; illud Macarii, *Etſi fuerint dæmones fortes, robore montibus haud abſimiles, ab oratione comburuntur, ut ab igne cera.*

Quiſtorp. Comment. in loc. p. 199.

ὑπὸ τῆς εὐχῆς καίονται, καθάπερ ὁ κηρὸς ὑπὸ πυρός. *Macar.* homil. 43.

Imò hoc ipſum, Deo ſcilicet fundendas eſſe preces, ut bene cedat id negotii, quod aggredimur, qualecunq; demum fuerit, non à Chriſtianis tantùm & Judæis (apud quos obtinuit dictum hoc proverbiale, *Quicunque expedit negotia ſua antequam oraverit, perinde eſt ac ſi ædificaret excelſum.* Sed & ab Ethnicis agnitum eſt, & indè factum, ut viri primarii, Senatores, Poetæ, Oratores, & Milites, ſuis quiſq;

Buxtorf. florileg. Hebraic. p. 282.

quisq; negotiis preces soliti sint præmittere. Præceptum erat *Xenophontis* politicum, πειρᾶσθαι σὺν θεοῖς ἄρχεσθαι παντὸς ἔργου, ὡς τῶν θεῶν κυρίων ὄντων οὐδὲν ἧττον τῶν εἰρηνικῶν, ἢ τῶν πολεμικῶν ἔργων, id est, Conari omne opus cum diis aggredi; quia dii non sequiùs rebus civilibus, quàm bellicis præsunt & dominantur. Et apud Plutarchum, *Scipio* priùs Capitolium ad orandum intrâsse dicitur, quàm Senatum adire voluit, ad consulendum Reipublicæ. Quin & eâdem religione tincti sunt ipsi etiam Poetæ; unde illud *A Jove principium Musis*-- Vale-" rius Maximus in fine præfationis suæ, Prisci, inquit, ora-" tores à Jove exorsi sunt; excellentissimi vates à numine " aliquo principium traxerunt. Hoc quicquid erat solennis " officii nec Ovidius quidem neglexit: is enim in principio Metamorphoseωn ità precatur, *Dii cœptis aspirate meis.* Quod ad Oratores attinet, in numerato sunt testimonia pa-" riter & exempla. *Plinius* secundus in vestibulo Panegy-" rici. Bene, ac sapienter, Patres Conscripti, majores insti-" tuerunt ut rerum agendarum, ità dicendi initium à pre-" cationibus capere. Quod ipse statim firmat exemplo suo " in hæc verba prorumpens, Quò magìs aptum, piúmq; est " Te, Jupiter Opt. Max. antea conditorem nunc conserva-" torem imperii nostri precari, ut mihi digna Consule, di-" gna Senatu, digna Principe contingat oratio. *Demosthenes* verò suam, quam adversùs *Æschinem* habuit orationem sic orditur, πρῶτον μὲν ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις. Si quis plura desideret, consulat velim *Diogenem Laertium* in vita *Protagoræ*, qui precationem inter partes orationis legitimæ numerâsse dicitur. Item ea quæ de *Pericle* tradit *Ælianus* variæ historiæ libro quarto, capite decimo. Et quæ scribit Servius ad illa Maronis verba,

Præfatus divos, solio Rex infit ab alto.

Vid. *Turneb.* Adversar. l. 25. cap. ult.

Nostrâ magìs interest scire quid fecerint milites. Illis etiam in more positum est, cùm se ad prælium accingebant, precari, De *Mario* Plutarchus πρὸς τὸν οὐρανὸν ἀνασχὼν ηὔξατο τοῖς θεοῖς. De *Turno* Virgilius,

Multa deos orans, oneravítque æthera votis.

Quod ab Ethnicis in civili militia præstitum est dictante naturâ, illud ut Christiani multò magis, multóque feliciùs effectum darent, hortatur hoc in loco Apostolus. Nos ipsorum, prout in textu originali sita sunt, verborum ordinem & ductum sequentes, quantùm singulis insit momenti pensitabimus.

§ III. Διὰ πάσης προσευχῆς, id est omni prece. Προσευχὴ est πρὸς τὸν Θεὸν εὐχή. Præpositio illa πρὸς connotat orationis objectum, & terminum ad quem, qui quidem Deus solus est; adeò ut profanus sit qui cultum hunc Deo non defert, qui defert alii præterquam Deo, idololatra. Suffragantur Augustinus, *Solus ille colendus est quo solo fruens beatus sit cultor ejus; & quo solo non fruens omnis mens misera est quacunque re alia perfruatur.* Hilarius Pictaviensis, *Non ignoras quin in maledicto sit Religio creaturæ.* Alexander Halensis, *Vera Religio in unius constat veri Dei servitio:* Atque alibi, *Idololatria est omnis cultus divinus qui exhibetur creaturæ.* Quin & omnes illi Patres qui ex adorabilitate veram Deitatem inferunt. *Epiphanius* de Christo, οὐ κτιστὸς τοίνυν ὁ ἅγιος λόγος, ὅτι προσκυνητός. Sanctum Dei verbum cùm sit adorandum, creatum esse non potest. *Nazianzenus* de Spiritu sancto, εἰ δὲ προσκυνητὸν, πῶς οὐ σεπτὸν, εἰ δὲ σεπτὸν, πῶς οὐ Θεός; Si adorandus sit, quomodo non religiosè colendus? Si religiosè colendus, quomodo non Deus est?

Contra Faustum lib. 2. c. 5.

De Trinit. l. 8.

Summ. part. 3. q. 30 § 1. & part. 2. qu. 106. memb. 1.

Ancorat. n. 50.

Orat. 37.

Epitheton πάσης, quod hîc adjicitur, videtur omnimodam precationem innuere, non publicam solùm, sed & privatam, ac secretam. Orandum est publicè, quando conveniunt Christiani in templis suis, quæ idcirco vocata sunt à veteribus *Oratoria.* Comprecentur oportet, qui commilitant. *Omnes quando oramus mendici Dei sumus, ante januam magni Patris familiâs stamus, imò etiam prosternimur, & supplices ingemiscimus, aliquid volentes accipere, & hoc aliquid ipse Deus est.* Sic Augustinus. Jam verò sicut multitudo pauperum, quibus à viro aliquo divite præ domûs suæ foribus alimonia

Serm. de Tempore 15.

monia quotidie suppeditatur, commendat ipsius beneficentiam; ità plurimùm facit ad Dei gloriam multitudo precantium. Tertullianus de sui seculi Christianis, *Coimus in cœtum & congregationem, ut ad Deum quasi manu factâ precationibus, ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est.* Inter Judæos celebratur dictum *Maimonidis*, hunc præ se sensum " ferens, Quisquis incolit civitatem, in qua extat synago- " ga, & inibi non precatur cum cœtu publico, is est qui " meritò dicitur malus vicinus. Rectè quidem; eò quòd aliis in vicinia degentibus quam debet opem subtrahit. Enimvero quanquam absit ut statuam cum Theologo quo- " dam Salmanticensi, Censeo dicendum orationes, quæ in " templo fiunt esse efficaciores, quàm in aliis locis fusas, " non solùm ex opere operantis, quia munditiês templi, or- " natus & alia magìs excitant ut ferventiùs oretur, & con- " sequenter ut efficacior sit impetratio; sed etiam ex opere " operato. Itaq; cæteris paribus ex parte orantium, orati- " ones in ecclesia emissæ sunt Deo gratiores, & ad impe- " trandum efficaciores ratione consecrationis, &c. Fateor " tamen plurimam inesse precibus publicis efficaciam; verùm ità ut illis commoditas quidem accedat, sed non religio ex loco cœtui accommodato, & illud quicquid est efficaciæ debeatur non loco, sed communioni Sanctorum, quorum vis unita fortior.

Apolog. 1.39.

Lib. de oratione cap. 8.

Raphael de la Torre in 2ª 2æ q.83. artic. 3. p. 301.

Orandum est insuper privatim ab unoquoque Patrefamiliâs in domo sua. Quamobrem Paulus servorum dominos, quà tales, hunc in modum alloquitur, *Domini jus & aquum servis præstate, ut qui sciatis vos quoq; habere Dominum in cælis. In precibus perdurate, invigilantes iis cum gratiarum actione.* Fundari possunt, aut posse saltem videantur hoc in loco preces domesticæ quotidianæ, habitâ præsertim ratione contextûs, qui totus est in adornando Christianam œconomiam. Ægrè ferunt rectores familiarum, si quis eis deberi intra proprias ædes potestatem regiæ similem inficietur. Scias velim quisquis es, qui in propria familia Rex audis,

Coloss. 4. 1. 2.

dis, expectare tuum in cœlis Dominum ut ibidem etiam sacerdos sis, coram tuis precum & laudum sacrificia de die in diem offerens. De secretis, quas vocant, orationibus
Matth. 6. 6. monet Servator, qui & præceptor unicus est. *Tu quum precaris, introito in conclave tuum, & clauso ostio precare Patrem tuum in occulto, & Pater qui te aspicit in occulto, reddet tibi in propatulo.* Hisce verò precibus nullus non locus sufficit, prout res tulerit & occasio. Ecce *Jeremiam* in fovea, *Danielem* in antro leonum, *Jobum* in sterquilinio, *Ezechiam* in lecto, *Tres Pueros* in fornace, *Jonam* in ventre ceti, *Christum* in horto, *Petrum* in solario, *Paulum* in carcere sacris precibus
Ad popul. Antioch. homil. 79. Sententia 333. incumbentem. Indè quæ sequuntur Patrum dicta; Chrysostomi, *Ubicunque sis ora, Templum tu ipse es, nè locum quæras.* Augustini, *Volens in Templo orare, in Te ora; & ità semper age ut Dei templum sis. Ibi enim Deus exaudit ubi habitat.*
In meditationibus alicubi. Bernardi, *Ubicunque fueris, intra temetipsum ora; si longè fueris ab Oratorio, non quæras locum, quoniam ipse locus es.* Sed & aliud occurrit ejusdem authoris effatum aureum, quod hac de re verba facienti pæne nefas esset omittere;
Serm. 40. in Cantic. *O sancta anima, sola esto: fuge publicum, fuge domesticos. An nescis te verecundum habere sponsum, & qui nequaquam suam velit tibi indulgere præsentiam præsentibus cæteris?*

§ IV. Καὶ δεήσεως, & obsecratione. Δέομαι Græcis est indigeo, proinde δέησις petitionem notat eorum quibus nos indigere persentiscimus: πᾶσαν δέησιν obsecrationem pro eis omnibus obtinendis, sive bona spiritualia fuerint, sive temporalia, modò sint in verbo promissa, vel directè vel indirectè. Sin minùs, expeti non debent, ut ut nobis optima videantur & utilissima. Exempli gratiâ, vix aliquid melius commodiúsve cogitari potest à nobis quàm clara visio essentiæ divinæ, & sacrosanctæ Trinitatis, dum sumus in via. Verùm non licet eam petere, quia nullibi promissa est viatoribus. Jesuitæ tamen (ut illud obiter observem) chara scilicet Dei soboles, de illius adeptione gloriantur, eámque parabilem & expetendam esse docent. Inter alios *Joannes*

" *Eusebius Neirembergius*, apud quem occurrunt ista. San- De Adorat. in Spiritu & veritate, p.446, 447.
" cto Patriarchæ nostro *Ignatio*, dum magis afflictus fuit &
" exhaustus pœnitentiis, copiosiùs manifestatum est, & cla-
" riùs quàm dici potest, Lumen scilicet Deum coram ipso
" sistens. Ferventissimus Pater *Didacus Martinius* ferè sem-
" per se videbat circumfusum quâdam luce splendidissimâ
" Trinitatis, aut alicujus ex tribus Personis. Et sancto viro
" Patri *Joanni Ferdinando* revelatum est, quendam nostræ
" societatis Religiosum diu detineri in Purgatorio, quia non
" desideraverat ardenter videre sanctissimam Trinitatem.
Hæc ille. O beatam interim societatem, cujus alumnis id conceditur sæpiuscule quod ipsi *Mosi* negavit Deus, quocum tamen ut cum amico loqui solitus est! Vel ô te potiùs aut fallacem aut falsum, *Joannes Eusebi*, qui talia sive commentus es, sive præ nimia in socios tuos charitate ab aliis ficta credulus hausisti!

Sin autem minimè petenda sint quæ non promittuntur in verbo, multò minùs quæ in eodem prohibentur. Frustrà simul & impiè Baalitæ pro successu idololatriæ suæ à mane
" usq; ad meridiem precati sunt. Cavendum est (ait *Chry-* Serm.132.
" *sologus*) ut à Deo quæ digna sunt, postulentur. Qui enim
" mala à Deo postulat, Deum mali judicat & sentit autho-
" rem; & qui vilia & indigna precatur, præstantis pote-
" statem degener petitor ignorat. *Suaresius* autem sic, Qui De Religione tom. 2. p. 5.
" à Deo malum aliquid postulat, non petit à Deo ut Deus
" est; sed Deum apprehendit ac si esset homo aliquis aut
" dæmon, qui malum culpæ promovere posset. Unde (ut
hoc etiam obiter moneam) apparet insignis turpitudo Theologiæ Gentilium, qui patronos scelerum faciunt Deos, atq; adeò petunt ab eis fidenter ut peccatis suis faveant. Ità fur apud Horatium

— Pulchra Laverna
Da mihi fallere, da justum sanctúmque videri;
Noctem peccatis, & fraudibus objice nubem.

Mercator etiam apud Ovidium in Quinto Fastorum,

Da modò lucra mihi, da facto gaudia lucro;
Et fac, ut emptori verba dedisse juvet.

Nil equidem miri si ista prudentioribus Ethnicis, nominatim *Seneca*, displicuerint. *Quanta nunc*, aiebat ille, *dementia est hominum? Turpissima vota diis insusurrant: si quis admoverit aurem, conticescent; & quòd scire hominem nolent, Deo narrant.* Et alibi, *Quàm multa sunt vota, quæ etiam sibi fateri pudet? quàm pauca quæ facere coram teste possimus?* Hoc proinde consilium sugggerit suo Lucilio, *Sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat; sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant.*

Epist. 10.

De Beneficiis l. 6. cap. 38.

§ V. In nostris autem ad Deum alloquiis bonorum imprimis spiritualium impetrationi incumbendum est sedulò. Primam curam merentur primaria, summam postulant solicitudinem, quæ summæ dignitatis sunt. Piè Savanorala, *Injuriam magno Deo facit, qui parva petit: Parva autem sunt omnia temporalia, magna verò spiritualia, præsertim Christus.* Ejusmodi sunt (ut ad particularia descendamus) Remissio peccatorum, eradicatio vitiorum, & augmenta virtutum: ad quæ omnia obtinenda efficax admodum est oratio.

In Psal. 51.

De primo, *Confitebor*, aiebat Psaltes, *adversùs me prævaricationes meas Jehovæ, & tu dimisisti iniquitatem meam. Propter hoc orabit omnis sanctus ad te tempore opportuno.* Propter hoc, id est, interprete *Simeone de Muis*, subitò quoties inciderit in aliquod peccatum, orabit & confitebitur, exemplo veniæ, quam tu mihi dedisti, excitatus. Quid expertus sit Bernardus, ipse testetur, *Quoties*, inquit, *me oratio quem pæne desperantem suscepit, reddidit exultantem, & præsumentem de venia?*

Psal. 32. 5, 6.

Serm. 32. in Cant.

De secundo, *Orate*, inquit Dominus, *nè introeatis in tentationem.* Et experientiâ compertum est eam esse vitiorum & precum antipathiam, ut ex istis alterum tandem eveniat necesse est; vel alloquiis vitia, vel vitiis alloquia cladem & internecionem allatura sunt.

De tertio, virtutes, quas appellant Theologicas, hæ sunt Fides,

Fides, Spes, & Charitas. Eas omnes alit & fovet oratio. De fide suaviter Augustinus, *Ut oremus credamus, & ut ipsa non deficiat fides, quâ oramus, oremus. Fides fundit orationem, fusa oratio fidei impetrat firmitatem.* Spem verò nostram (de qua verissimè pronunciatur, *vitam vitæ mortalis esse spem vitæ immortalis*) auget & perficit frequens orandi exercitium, quoniam eam sæpiùs excitat; Nemo enim seriò postulat quod se non sperat aliquando adepturum. Habitus autem etiam infusi, quò magìs exercentur eò magìs augentur. Adeóq; meritò Psaltes spem & preces conjungit, *sperate in eo omnis congregatio populi; effundite coram illo corda vestra; Deus adjutor noster in æternum.* Charitatem quod attinet erga Deum, qui summè bonus, atq; adeò summè amabilis est, ea crebris inter orandum alloquiis accenditur simul & ampliatur; sicut inter homines amicitiæ fomes est colloquendi frequentia, desuetudo signum vel odii vel aversionis. Sunt quæ dissecant amicitiam uno quasi ictu, ut perfidia & proditio; sunt quæ dissuunt & paulatim dissolvunt, inter quæ recensetur ab *Aristotele* colloquiorum intermissio, πολλὰς δὴ φιλίας ἀπροσηγορία διέλυσεν. Ità se res habet Deum inter & homines. Proinde *Judas* in epistola charitatem & orationem copulat, *Vos autem dilecti per Spiritum sanctum orantes, vos ipsos in charitate Dei conservate.* Atq; hîc laudare mihi liceat, quem nuper culpavi, *Neirembergium.* Illius "hæc assertio est, Homines irati malunt perire, quàm remedium indigentiæ suæ à capitali adversario postulent, "nè illum alloquantur. Pari protervià sunt erga te, *O affabilissima ineffabilitas!* (ità Deum compellat) sæpe egent, "affliguntur, pereunt, quia à te non petunt auxilium, nec "loquuntur. Quod majus odii signum quàm duos degere "in eâdem domo, & nolle unum colloqui cum altero? "Mentitur homo si se Deum diligere dicit, & intra se morantem nunquam alloquitur. *Amicitia muta non distinguitur ab odio.*

Serm. 36. de verb. Dom. c. 2.

Psal. 62. 9.

Ethic. l. 8. c. 5.

Judæ vers. 20, 21.

De Adorat. in Spir. & verit. lib. 2. c. 1.

§ VI. Quisquámne ut credat horum aliquid vel in dubi-

um vocari posse? Fuerunt tamen (utinam non hodiéque sint!) qui orationem ad fines prædictos utilem esse, nedum necessariam præfractè negârunt. Philosophos intelligo, & Pelagianos. Dixit olim Siracides de gigantibus antediluvianis, *Non exoraverunt pro peccatis suis antiqui gigantes, qui destructi sunt confidentes sua virtuti.* Hi Nimrodis erant discipuli, qui suos docebat, teste Josepho, nil petere à Deo, sed omnia propriis viribus accepta ferre. Eundem spiritum imbibisse videantur Gentilium philosophi, qui, pro ea qua gloriati sunt αὐταρκείᾳ, suiq; plenitudine, non opus esse precibus, saltem non ad virtutem adipiscendam existimabant & docebant. Eos felicitatem sibi parandam esse, non impetrandam, credidisse testatur *Augustinus*. Cæterùm producantur tabulæ, citentur ex ipsorum libris testimonia. "Quis quòd bonus vir esset gratias egit diis unquam? At "quòd dives, quòd honoratus, quòd incolumis; Jovémq; "Optimum Maximum ob eas res appellant; non quòd nos "justos, temperatos, sapientes efficiat; sed quòd salvos, "incolumes, opulentos, copiosos. Ità *Cicero*.

Eclus 16. 8.

Epist. 51.

De Natur. Deorum lib. 3.

Hæc satis est orare Jovem, quæ donat & aufert;
Det vitam, det opes; æquum mî animum ipse parabo.

Ità philosophiæ Stoicæ sectator *Flaccus*. Seneca verò ejusdem doctor primarius sic. *Turpe est etiamnum deos fatigare. Quid votis opus est? Fac teipsum felicem.* Alibi verò, *Bonam mentem stultum est optare, cùm possis à te impetrare.*

Epist. 31.
Epist. 41.

Eorundem vestigiis visi sunt institisse *Pelagiani*, qui tantam vim naturæ hominis, & libero arbitrio ad operandum ea, quæ sunt ad salutem necessaria tribuerunt, ut orationem necessariam esse negaverint. Augustinus, *Destruunt*, inquit, *orationes quas facit Ecclesia, sive pro infidelibus, & doctrinæ Dei resistentibus, ut convertantur ad Deum; sive pro fidelibus, ut augeatur eis fides, & perseverent in ea. Hæc quippe non ab ipso accipere sed à seipsis homines habere contendunt.* Quin & eò pervenerunt insaniæ, ut ex indole suorum dogmatum duas in oratione Dominica petitiones è medio sublatum iverint;

Lib. de hæres. cap. 88.

rint; unam de peccatorum venia, de victoria tentationum alteram. Hanc quia docuerunt penes nos esse tentationes ad peccata propriis viribus superare absq; divino adjutorio, & proinde mentem petitionis in hoc solummodo consistere, nè aliquid mali patiamur, quod non habemus in potestate, qualia sunt de equo cadere, pedem frangere, vel à latrone interfici. Illam, quia crepabant statum perfectionis & impeccabilitatis etiam in via, in quo superfluum esset dicere, Remitte nobis debita nostra. Tribus autem subterfugiis usi sunt ut se & suos ab istorum verborum ictu tuerentur. Dicebant primò Dominicam orationem Apostolis cùm adhuc infirmi essent præscriptam fuisse, sed perfectis non competere. Secundò, si concederetur Apostolos sic orâsse post adeptam perfectionem, tum eos non tam pro seipsis, quàm pro imperfectis adhuc peccatoribus, quibuscum in Ecclesiæ visibilis corpore conjuncti erant, dixisse Remitte nobis debita nostra. Tertiò, si daretur pro seipsis sic orâsse, tunc asserebant, adhibitam fuisse à Sanctis eam petitionem humiliter potiùs quàm veraciter. Ista seriò perpendenti occurrebat mihi in memoriam sententia quædam memorabilis, quam solam responsi loco placet attexere, *Tenue est mendacium, pellucet si diligenter inspexeris.*

Vid. hac de re tota *Jansenium* de hæresi Pelagiana, l. 4. c. 15.

§ VII. A bonis spiritualibus transeo jam ad temporalia, quæ etiam peti tutò possunt. Habet enim pietas, quæ ad omnia utilis est, promissionem vitæ præsentis æquè ac futuræ. Proinde Christus docuit inter orandum dicere, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Constat hoc ex Sanctorum praxi sub utroq; testamento. *Jacobus* à Deo victum petit & vestitum. *Ezra* & itineris socii quæsiverunt per preces viam rectam pro se ac parvulis. Oravit *Agur* pro viatico; Ale me cibo demensi mei. *Christus* ipse pro transitu calicis. Et pro εὐοδίᾳ *Paulus.* Disertissimè Thomas; *Temporalia licet desiderare; non quidem principaliter, ut in eis finem constituamus; sed sicut quædam adminicula quibus adjuvamur ad tendendum in beatitudinem, in quantum scilicet per ea vita*

1 Tim. 4. 8.

Gen. 28. 20.

Ezræ 8. 21.

Prov. 30. 8.

Luc. 22. 42.

Rom. 1. 10.

2a 2æ qu. 83. art. 6.

 corpo-

corporalis sustentatur, & in quantum nobis organicè deserviunt ad actus virtutum.

Enimvero pro diversa ratione materiæ, & pro mensura promissionis temperanda sunt alloquia, & discrimen aliquod ponendum inter ea quæ petimus. Ipse Dominus aliter petiit finalem suorum beatitudinem; *Pater quos dedisti mihi volo, ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut spectent gloriam illam meam, quam dedisti mihi*; Aliter verò suam ipsius liberationem, *Pater, si vis, transfer calicem illum à me.* Fateor me plurimos hac de re tum scholasticos, tum Theologos reformatos consuluisse. Sed præ omnibus rem acu tangere visus est noster *Amesius*, cujus verba non gravabor recitare; quia totius profectò negotii proram & puppim in se "continent. Eo, inquit, modo omnia sunt petenda, quo "modo sunt promissa. Spiritualia igitur bona, quatenus "sunt ad salutem necessaria, ad salutem debent abso- "lutè peti, quia sunt absolutè promissa fidelibus & pe- "tentibus. Sin autem ex eis sint quæ gradus admittunt, "non possunt in omni gradu absolutè peti; quia res ipsæ, "non gradus earum, sunt absolutè necessariæ, & à Deo ab- "solutè promissæ. Illam tamen gratiæ Dei mensuram, quæ "necessaria est nobis ad crimina aut scandala vitanda, & "conscientiam bonam retinendum, absolutè petere debe- "mus. Quod attinet ad bona temporalia, quatenus sperare "possumus ea nobis ad salutem profutura, & in gloriam "Dei cessura; eatenus possumus illa petere. Talis verò pe- "titio non est formaliter conditionalis vel verbis vel sensu; "quia, sicut conditionalis assertio nihil certò asserit aut "ponit de antecedente, sic conditionalis petitio nihil petit. "Est igitur petitio absoluta, sed adjunctam habens vel ex- "pressam vel tacitam subjectionem ad Dei sapientissimam "ordinationem. Vel ego plurimùm fallor, vel acutissimus ille vir in hisce verbis haud adeò multis multò plùs dixit quàm ipse *Suaresius* in quatuor vel quinque prolixis capitibus hujusce materiæ tractationi destinatis. Audiamus insuper

Joan. 17. 24.

Luc. 22. 42.

Ames. Cas. Conscien. lib. 4. cap. 20.

De Relig. Tom. 2. lib. 1. c. 17. & seq.

per Augustinum multa paucis complectentem; *Aliquando Deus iratus, dat quod petis, & Deus propitius negat quod petis. Quando petitis temporalia, cum modo petite; cum timore petite; Illi committite ut si prosint det, si scit obesse, non det. Quid autem obsit, quid prosit Medicus novit, non ægrotus.* Sed & ipsis Ethnicis non penitus ignota fuisse videtur ista Theologiæ nostræ particula: Sic enim Satyricus,

De verb. Dom. Serm. 53.

Permittes ipsis expendere numinibus, quid
Conveniat nobis, rebúsque sit utile nostris.
Nam pro jucundis aptißima quæque dabunt Dii.
Charior est illis homo quàm sibi.

Juvenal. Satyr. 10.

§ VIII. Προσευχόμενοι, Orantes sive supplicantes. Refertur hæc vox ad personas quibus incumbit officium orandi; circa quas opportunè quæri possunt ista duo: Quo jure Deum adeant mortales? & à quibus per preces adeundus sit? De priore. Jure triplici Deum alloquimur.

1°, *Jure creationis.* Orare proprium est rationalis creaturæ, ait *Thomas*; addit *Suarez*, sumendo proprium in rigore, prout dicitur quod convenit omni & soli. Certè Deo minimè convenit, quia non habet superiorem quem invocet; nec brutis, quia rationis actus est: sed hominibus dictat lumen naturæ, adeundum ipsis esse Deum per alloquia. Nestor apud Homerum de Telemacho,

2ª 2æ qu. 83. art. 10. De Relig. tom. 2. p. 33.

--- Καὶ τοῦτον ὀΐομαι Ἀθανάτοισιν
Εὔχεσθαι. Πάντες δὲ θεῶν χατέουσ' ἄνθρωποι. Ἰλ. ϛ.

Etiam hunc puto immortalibus supplicare: omnes verò Diis indigent homines, Paria sunt illa Poetarum Latinorū dicta,

Flectitur iratus voce rogante Deus.
-- *Placant thura, precésque Deos.*

Atque illud Ciceronis; *Cultus Deorum optimus, idémque castißimus atque sanctißimus, plenißimúsque pietatis est, si eos semper purâ, integrâ, incorruptâ & mente & voce veneremur.*

De Nat. Deor. l. 2.

2°, *Jure redemptionis*; cujus proinde meminit Psaltes inter orandum aliquoties. *Sint accepti sermones oris mei, & meditatio animi mei corā te, Jehova rupes mea & Redemptor mi.*

Psal. 19. ult. Psal. 31. 6.

Et

Et alibi, *In manum tuam depono spiritum meum, Redemisti me Jehova.* Utiq; nostræ per Christum redemptioni debemus omnem in alloquendo fiduciam, prout docet Apostolus, Ephes. 3.12. *In quo habemus loquendi libertatem, & aditum cum fiducia, per fidem ipsius.* Admetus Molossorum Rex, ut est apud *Thucydidem*, Lib. 1. ignovit hosti suo Themistocli, filiolum proprium intuens, quem *Themistocles* supplex utrâq; manu complexus, Patri ostentabat. Si sic tyrannus, quid mitissimus faciet Deus? Quâ veniâ non dignabitur, quâ gratiâ non excipiet eos, qui delicias suas Christum Jesum vivificæ fidei ulnis comprehensum ipsi inter precandum repræsentant? Ecce promissiones suavissimas ex ipsius Redemptoris ore prodeuntes! Joan. 14.14. & 16.23. *Si quid petieritis in nomine meo, ego faciam. Amen, amen dico vobis, quæcunque petieritis à Patre in nomine meo, dabit vobis.* In ecclesiis proinde Christianis mos olim invaluit, hodiéque etiam obtinet hisce vel similibus verbis obsignandi preces suas, *Per Jesum Christum Dominum nostrum.* Quin & multis retro seculis ante Messiæ adventum in carne, populum Dei eum in orationibus suis respexisse minimè dubitandum est. Hinc eorum, quibuscunque demum in oris versarentur, cùm preces fundebant, versùs Templum Hierosolymitanum aspectus; quod Christi incarnandi typum fuisse constat ex secundo Joannis. Hinc etiam frequens mentio fœderis cum Patribus initi, de mittendo scilicet Christo; & interdum sive *Uncti*, sive *Adonai* diserta satis commemoratio. *Scutum nostrum aspice, O Deus, & intuere* Psal. 84.10. *faciem Uncti tui.* Ità Psaltes; quem locum exponit Junius Daniel. 9.17. de Christo. *Fac ut luceat facies tua super Sanctuarium tuum, quod desolatum est, propter Dominum, sive Adonai*; id est, eodem interprete, propter Christum Mediatorem, qui hæres & Dominus constitutus est omnium. Postquam nonnulla protulisset insignia de nomine Adonai, è veteri quodam De Nominibus Dei Hebraic. dissertat. thes. 54. Rabbino Buxtorfius, (neminem scilicet conjungi posse cum nomine Jehova nisi per nomen Adonai. Palatium hoc esse in quo Jehova habitat; & id genus alia multa) tandem addit

" dit de suo, Quæ de nomine Adonai dicuntur eleganter " nobis repræsentant Dominum nostrum Jesum Christum. " Nemo enim venit ad Patrem nisi per ipsum. Idcirco Da-" niel in precatione suâ capite nono hoc nomen præcipuè " usurpavit, *Lucere fac faciem tuam propter Adonai.*

3°, *Jure adoptionis.* De quo sic Apostolus, *Quoniam filii estis, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem Abba Pater* Filiis, quà tales sunt, convenit ex naturæ dictamine parentes adire ad ea quibus opus est obtinenda precarió. Et in lege civili dicitur *Onera ejus, qui in adoptionem datus est, ad Patrem adoptivum transferuntur.* Nil itaque miri si Deus ad eos sublevandos quos in filiorum numerum & sortem adoptare dignatus est, immittat in ipsorum, non ora solummodo, sed corda Spiritum illum qui jure Filii Spiritus audit, non ex eo tantùm quòd à Filio procedat æquè ac à Patre; verùm etiam quia in filiis adoptivis perinde operatur ac in filio naturali, quem in diebus carnis suæ ad crebra cum Patre suo colloquia, & preces summo cum ardore fundendas nunquam ferè non excitavit. Illc tunc cum clamore valido supplicationes obtulisse perhibetur. Illius hîc Spiritus clamare dicitur Abba Pater. Vehementiam innuit vox clamandi; reliquæ fiduciam & importunitatem. Missa facio quamplurima, quæ legentibus obvia sunt de hujusce phraseologiæ emphasi, apud *Bezam*, *Drusium*, *Heinsium*, *Grotium*, præcipuè *Ludovicum de Dieu*, ea jam sola complexurus, quæ mihi ipsi visa sunt haud inidonea, sed absq; cujusquam præjudicio. Si poneretur sigillatim vel Abba, vel Pater, denotaret fiduciam, utpote quam exercent Filii, quando supplices facti sunt, longè majorem erga Patres, quàm versùs extraneos. Duplicata, præter affectum, cujus indicium esse videntur, importunitatem etiam indicant. Neque enim filio indigenti ope paternâ satìs est semel dixisse, mi Pater opem fer; sed iterum iterúmque ingeminat Pater mi, Abba Pater, Pater, Pater. Sic Christum in cruce duplicâsse legimus suum illud *Deus mi*, *Deus mi*: & Psal-

Galat. 4. 6.

D. de Adopt. L. 45.

Heb. 5. 7.

Notis in Marc. 14. 36. Rom. 8. 15. Gal. 4. 6.

tem in hymno octuagesimo, ut pateret Ecclesiæ in quiritando importunitas, sæpiùs eandem compellationem repetiisse; neq; tamen planè eandem, sed aliquâ vocum interpositione variegatam: versu siquidem quarto dicit, *O Deus restitue nos*; versu octavo, *O Deus exercituum restitue nos*; versu deniq; ultimo, *Jehova Deus exercituum restitue nos*.

§ IX. Ad secundam quæstionem, A quibus scilicet hominibus adeundus est Deus per alloquia? Respondetur, ab omnibus, sive renati ex Spiritu sint, sive non. De renatis absit ut ambigamus; neq; enim magis competit animalibus perfectis respiratio, quàm oratio Christianis. Qui per fidem vivunt universi, spirant per preces. De *Saulo* quamprimum imbutus fuerat fide salvificâ, dixit ad *Ananiam*
Actor. 9.11. Dominus, *Ecce orat*. Apud Paulum idem sonat, *Omnes qui*
1 Cor. 1, 2. *invocant nomen Domini nostri Jesu Christi quovis loco*, ac omnes verè Christiani; quos Apostolus illîc per orationem describere videtur, tanquam per notam characteristicam. Procul omni dubio, sponte suâ feruntur renati in sacrosanctum hoc commercium; nec magis naturale est vel igni ardere, vel soli lucere, quàm renatis Deum alloqui: quippe ad hoc condita est nova creatura, ut possit, & velit cum Deo suo conversari. De irregenitis sunt qui dubitant utrùm illi Deum adire debeant & invocare, quia
Rom. 10.14. scriptum est, *Quomodo invocabunt eum in quem non crediderint?* Ad quem scrupulum eximendum dico quatuor.

Primò, Rectè hinc colligi, non posse eos invocare prout debent; verùm haud indè sequitur, non debere prout possunt: malè siquidem arguitur à negatione potentiæ ad negationem officii; quia creditori non perit suum jus quoties debitor non est solvendo.

Secundò, Quanquam irregeniti in eo statu precibus suis Deo placere minimè possunt in ordine ad salutem æternam (de qua locus intelligi videatur, si contextum consulamus; eò quòd post hæc verba, Quisquis invocaverit nomen Domini servabitur, statim sequatur, Quomodo invocabunt eum,

eum, ità scilicet ut serventur in æternum, in quem non crediderint?) nisi admodum remotè: Possunt tamen in ordine ad emolumentum temporale; uti probant exempla *Achabi* & *Ninivitarum*.

Tertiò, longè quidem alia ratio est alloquiorum, quæ à renatis, & eorum quæ ab irregenitis exhibentur; tum *quoad jus*, Agit enim renatus jure filii, irregenitus jure creaturæ, de quibus proximè jam dictum est: tum *quoad principium*, orat enim ille ex fide salutari, atq; adeò εὐχὴ τῆς πίστεως audit, oratio fidei, quæ à renatis proficiscitur: hîc vel ex solo appetitu naturali creaturæ sibi consulentis, vel ex fide dogmatica, quâ Deus esse, & miseris opitulari creditur. Jacob. 5. 15.

Quartò, Quanquam ità se res habeat, prout jam indicatum est, tenentur tamen irregeniti, pro ea quam obtinent, gratiæ qualiscunq; mensurâ Deum alloqui. Extat locus in Actis Apostolicis, quem opinor nullis fidiculis cogere possunt adversarii, quò minùs pro nobis sententiam ferat. Is est in quo à Simone Petro sic admonetur Simon Magus, *Cor tuum non est rectum in Dei conspectu; Resipisce ab ista malitia tua, & deprecare Deum si fortè remittetur tibi machinatio cordis: Video enim te in felle amarissimo & nexu injustitiæ positum.* Non is ego sum qui audeam à precibus irregenitos arcere, quà tales, cùm Apostolum video Magum hunc longè nequissimum ad eas fundendas incitantem. Suffragantem habemus rationem quæ dictat è malis eligendum esse minimum; quia minus malum respectu majoris aliqualem boni speciem induit. Jam verò minùs Deo displicere censendus est vir irregenitus quando precatur more suo (quia tum illud præstat quod in se bonum est quoad substantiam actûs, etsi peccet quoad agendi modum) quàm si penitus cessaret ab omni alloquio; & ipsum quidem actum omitteret, ad quem tamen jure creationis obligatur, cùm oratio sit cultus naturalis. Quid quòd hinc interdum auspicetur gratia, & ejusmodi precatio, etsi non sit *gradus in re*, fiat tamen Act. 8. vers. 21, 22, 23.

miſerante Domino *gradus ad rem?* Dum Deus facienti quod in ſe eſt, & prout poteſt adoranti, miniſtrat auxilium efficacius, (verùm ex gratia non ex debito) quo potens redditur adorare prout debet, utpote jam fide donatus & renaſcentiâ.

Pergit Apoſtolus, Ἐν παντὶ καιρῷ, In omni tempore, vel potiùs opportunitate. Neq; enim χρόνῳ dicit, ſed καιρῷ. Alibi
1 Theſſ. 5. 17. Hebr. 13. 15. his adverbiis utitur ἀδιαλείπτως, & διαπαντός. Si quis cum *Euchitis* (quos vetus eccleſia ſolita eſt inter hæreticos numerare) nihil aliud Chriſtianis incumbere præter hoc orandi officium, & totum vitæ noſtræ curriculum ſacris alloquiis impendendum eſſe docuerit, aliam quercum excutiat oportet; nam iſte fructus hinc nequaquam colligi poterit: Cùm aliud nihil innuant loca modò citata, quàm preces ad Deum ordinarias ſtatis horis offerri debere tanquam juge ſacri-
2 Sam. 9. 7. ficium, extraordinarias prout ſe obtulerit occaſio: quemadmodum *Mephiboſhethus* cibum ſemper in menſa Davidis capere juſſus, (Διαπαντὸς aiunt 70) non propterea debuit perdius & pernox cibo & potu ventrem ſuum onerare, ſed
Epiſt. 58. ex *Auguſt.* de hæreſ. c. 57. ſtatis prandii & cœnæ horis accumbere. Bene *Druſius*, "Orare, inquit, ſine intermiſſione ſaniſſimè ſic accipitur ut "nullo die intermittantur certa tempora orandi. Vulgò dicitur *oratio clavis diei & ſera noctis*. Manè profectò atq; veſpere Deum alloqui quotidie dictat Religio Chriſtiana more ſolenni, præter crebras ejaculationes, quas è piis cordibus nulla non elicit opportunitas. *Summa Religionis eſt*,
Marc. 1. 35. ait Lactantius, *eum imitari quem colis*. Præivit nobis hac in re Chriſtus Dominus: de eo quippe legimus quòd πρωῒ ἔννυχον λίαν ἀναστὰς, id eſt (ſicut vertendum eſſe contendit *Fran*-"*ciſcus Lucas Brugenſis*) Manè primo crepuſculo cùm ſur-
Matth. 14. 23. "rexiſſet, egreſſus abiit in deſertum locum, ibíq; orabat. "Alibi verò, dimiſsâ turbâ aſcendit in montem privatim "ad orandum; veſpere autem ſolus erat ibi. Quin & aliqua fuiſſe videntur hujuſce piæ conſuetudinis etiam apud Ethnicos veſtigia. Huc enim ſpectant aliquatenus quæ occur-

occurrunt apud Hesiodum, qui postquam monuerat 'Εργ. καὶ ἡμέρ. lib. 1. prope finem.

Καδδύναμιν δ' ἔρδειν ἱερ' ἀθανάτοισι θεοῖσι,

statim addit Ἠ μὲν ὅτ' εὐνάζῃ, καὶ ὅταν φάος ἱερὸν ἔλθῃ,

id est, *pro virili sacra facito Diis immortalibus, & quando cubitum itur, & quando sacra lux advenerit, tempore scilicet matutino.*

Ad hujusmodi loca solent scriptores Pontificii de Matutinis, primâ, tertiâ, sextâ, nonâ, vesperâ, ac completorio ad nauseam usq; multa suggerere parùm solida, nè dicam ridicula. Inter alios vir apud suos haud ignobilis, *Emanuel Sa* Jesuita. Is in lucem edidit Aphorismos casuum conscientiæ, librum mole quidem exiguum, cujus tamen studio incubuit (prout ipse profitetur in epistola dedicatoria) per annos ferè quadraginta. Fallor? an qui ista legerit, quæ illîc occurrunt de horis Canonicis, illico dicturus sit cum Martiale?

Turpe est difficiles habere nugas,
Et stultus labor est ineptiarum.

Illis ergò refutandis non immorabor, nè bonas horas malè collocâsse videar. Multò mallem cum Paulo progredi.

§ XI. Ἐν Πνεύματι, *In Spiritu.* Quæ clausula, si ad spiritum nostrum referatur, indicat orandum esse,

1°, *Animitùs.* Non solorum labiorum opus est, sed totius cordis oratio, quam idcirco definivit *Damascenus* Ἀνάβασιν τοῦ νοῦ πρὸς τὸν Θεόν. In hæc autem verba *Massutius* Jesuita „ usus est hoc glossemate. Tria sunt, inquit, quæ ad alicujus „ operationis excellentiam intelligendam maximè faciunt, „ nempe quòd actio sit formæ in genere suo perfectissimæ, „ quòd exeat & exerceatur à nobilissimo principio, & quòd „ tendat ad objectum sive finem valde elevatum. Dama- „ scenus tribus hisce verbis Ascensus mentis ad Deum com- „ plexus est ista omnia: Primum significatur nomine A- „ scensus; Secundum cùm dicitur esse à sublimiori homi- „ nis parte, mente scilicet. Tertium quia est ad Deum. Addo *Medinæ* effatum minimè contemnendum. *Oratio vo-*

Orthodox. fid. lib. 1. cap. 14.

De Cœlest. conversat. l. 1. c. 3. p. 14.

Codic. de Oratione Tractat. 6 p. 176.

calis ſignum eſt orationis mentalis : nè ergò falſum ſit ſignum, neceſſe eſt mente oret, qui voce orat; aliter enim vocalis oratio manet ſignum falſum, & ità vitioſum.

2°, *Ardenter*, quoad fervorem affectuum, totiúsq; hominis vehementem ſatis intentionem. Sunt qui rem nihili exiſtimant ſive privatim, ſive publicè preces fundere : ſed illa mihi perplacet Theologi cujuſdam, Pontificii licèt, ſententia, *Quatuor videri difficillimos omnium labores, Laborantis ſcilicet in partu, Docentis in ludo, Imperantis in bello, Precantis in templo.* Quid ſacrâ Scripturâ? *Fiebat*, inquit, *ab Eccleſia pro Petro tunc incarcerato* προσευχὴ ἐκτενὴς *Oratio intenta*, prout illa vox alibi vertitur, Charitatem alii in alios intentam habentes; ἀγάπην ἐκτενῆ. De *Elia* verò dicitur προσευχῇ προσηύξατο id eſt, vehementiſſimè, & toto virium ſuarum conatu precatus eſt. Nam *verbis addita verbalia*, teſte *Grotio*, apud Hebræos *vehementiam ſignificant*. Quid Servator? *Petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis*. Quaſi dixiſſet, Id quo vobis opus eſt petite. Non conceditur quod petitis? Quærite. Negatur quod quæritis? Pulſate. Deus vult cogi. Luctatus eſt *Jacobus* cum Angelo ut benedictione frueretur. Qui frigidè rogat, docet negare.

Apud *Drexell.* Rhetor. cœleſt. lib. 2. c. 2. in limine.
Act. 12. 5.
1 Pet. 4. 8.
Jacob. 5. 17.

3°, *Scienter*, nè nobis impingatur meritò quod in opprobrium filiorum *Zebedæi* dictum eſt à Servatore, *Neſcitis quid petitis*. Sub lege Moſaica cautum eſt, ut Sacerdos incenſum adoleret ſuper altari manè, quando lucernas componeret. Suffitus ille preces figurabat, lucernæ ſcientiam. Nunquam fundi debet oratio, niſi cùm ardet lampas in intellectu. Ad hanc autem lampadem accendendam opus eſt præeunte meditatione, quæ apud Gerſonem audit *Soror lectionis, nutrix orationis, directrix operis, omniúmque pariter perfectio & conſummatrix.*

Matth. 20. 22.
Exod. 30. 7.

§ XII. Sin autem quæ præmiſſa ſunt Apoſtoli verba ad ipſius Dei Spiritum referantur (utì ſaltem ex parte, ſi non ex ſolido referri debent) indicant quàm neceſſarium ſit Spiritûs ſancti auxilium efficax ad formandas orationes

ſummo

ſummo numini placituras; & quàm aptè apud Prophetam Zechariam *Spiritus gratiæ & ſupplicationis* indigitetur. Minimè hîc prætereundus à nobis eſt locus ille prænobilis, *Spiritus unà ſublevat infirmitates noſtras. Quid enim oremus, ut oportet, non novimus. Sed ipſe Spiritus intercedit pro nobis ſuſpiriis inenarrabilibus*, τὸ πνεῦμα συναντιλαμβάνεται ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν. Ἀντιλαμβάνεσθαι eſt collapſuros manu porrectâ retinere, metaphorâ ſecundùm *Pareum* à pueris ſumptâ, vel ab ægris hinc indè vacillantibus, quos neceſſe eſt fulcro ſuſtentari nè cadant. Id nobis præſtat Spiritus ſanctus. Sed & συναντιλαμβάνεται magna eſt præpoſitionis emphaſis. Eam *Ludovicus de Dieu* refert ad Patrem & Filium cum quibus Spiritus ſanctus, utpote ab utroq; miſſus, & unà cum eis in electis cohabitans, ſemper agit. Malunt alii, quos inter *Beza* nomen ſuum profitetur, referre ad nos laborantes, quaſi diceretur Spiritus ipſe tanquam ex altera parte precandi nobiſcum onus attollere, nè nos ſub eo fatiſceremus. Eſt enim συναντιλαμβάνεσθαι unà cum alio velut è regione opus ſuſcipere. Sic *Piſcator*. Unà ſublevat infirmitates noſtras, ut in aliis quæ præſtamus operibus, ità ſignanter in orando: neque enim alibi magìs ſe prodit infirmitas noſtra; nec ipſi novimus quid oremus ut oportet. Sæpe nocitura petimus, ſæpe non petimus profutura, niſi præſtò ſit Spiritus. Hinc Auguſtinus, *Sine ſpiritu fidei non eſt rectè quiſpiam crediturus, nec ſine ſpiritu orationis ſalubriter oraturus*. Hinc etiam Climacus, *Oratio Deum habet doctorem, qui docet hominem ſcientiam, & qui ſuggerit orationem oranti*. Sed præ aliis omnibus ipſe Paulus diſertiſſimè, Αὐτὸ τὸ Πνεῦμα ὑπερεντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν. *Ipſe Spiritus interpellat pro nobis*. Interpellat verò non ut Mediator ex officio vigore meriti ſui, ſic enim intercedere ſoli Chriſto proprium eſt; ſed ut Advocatus clienti ſuggerens quid ab ipſo dicendum ſit in cauſa ſua. Siquidem τὸ ὑπερεντυγχάνειν (obſervante *Grotio*, qui in eis ſive terminis, ſive rebus quæ ad jus civile pertinent erat longè peritiſſimus) eſt Advocatorum, qui clientibus deſideria dictant. Renatis preces

Zechar.12.10.
Rom. 8. 26.
Epiſt. 105.
Climac. gradu 29.

preces dictat Spiritus, atq; adeò interpellat, quia facit ut nos interpellemus, & clamat faciendo nos clamare. Qui sensus liquidò fluit ex collatione loci ad Galatas, ubi *Spiritus clamare* dicitur *Abba Pater*; cum illo ad Romanos, ubi nos accepisse dicimur *Spiritum adoptionis per quem clamamus Abba Pater*. Egregiè Prosper, *Quid nobis boni potest esse sine ipso, quandoquidem etiam ut rectè oremus ex ipso est?* Et mox, *Implet*, inquit, *Spiritus sanctus organum suum, & tanquam fila chordarum tangit digitus Dei corda Sanctorum*. Quis ultimorum vocabulorum στεναγμοῖς ἀλαλήτοις sensus sit, quænam emphasis, nondum liquet. Dicam paucis. Docent Philosophi definiri nequaquam posse res maximæ entitatis, qualis est Deus; & res entitatis minimæ, qualis est materia prima. Idem mihi liceat pronuntiare de piorum suspiriis & gemitibus. Interdum præ magnitudine suâ efferri nequeunt, nimirum quando oleum hoc spiritûs sancti in eorum corda è plena quasi phiala copiosè effunditur: quo in sensu Paulus alibi vocat ῥήματα ἄῤῥητα, quæ silentio premenda non eloquio promenda fuerunt. Interdum verò oleum hoc non nisi guttatim destillatur, sicut super *Ezechiam* quando sic questus est, *Ut grus aut hirundo ità pipiebam, gemebam ut columba*; & in eo casu præ tenuitate suâ nequeunt exprimi. Audiatur hac de re Lutherus. Fides nostra quæ in tentatione suspirat ad Christum, infirmissima est, quantùm ad sensum nostrum attinet. Sed cordium scrutatori exilis iste gemitus est fortissimus clamor, & inenarrabilis gemitus, in cujus comparatione maximi & horribiles rugitus legis, peccati, mortis, diaboli & inferni, prorsus nihil sunt nec audiri possunt. Et paucis interjectis, Paulus, inquit, non dicit Spiritum longâ oratione intercedere pro nobis in tentatione, sed tantùm gemitu; inenarrabili tamen. Ah Pater! brevissima quidem vox est, sed omnia complectitur. Vocula Pater formaliter dicta in corde est eloquentia, quam Demosthenes, Cicero, & quíque excellentissimi, qui unquam fuerunt in mundo, non possunt exprimere.

Galat. 4. 6.
Rom. 8. 15.
Epist. ad Demetriad.
Isaiæ 38. 14.
Prælect. in Galat. 4. 6.

" Res enim iſta non verbis ſed gemitibus exprimitur, qui " omnibus verbis omnium rhetorum non exprimuntur; " ſunt enim inenarrabiles. Hæc ille in eo ad epiſtolam Galatis inſcriptam Commentario, qui ex ipſius prælectionibus collectus eſt, & ipſo approbante ſeorſim editus Wittenbergæ, Anno Dom. 1535, poſtea verò in linguam Anglicanam verſus: quod iterum monendum duxi, quoniam illic occurrunt multa valde eximia, quæ fruſtrà quæras in eis commentariis in hanc epiſtolam qui extant inter opera Lutheri in folio.

Sunt & alia loca, in quibus auxilium, & plùs quàm auxilium, quod præſtat nobis Spiritus ſanctus inter orandum, clarè ſatìs deprædicatur. *Spiritus & Sponſa dicunt veni*, id eſt, Sponſa per Spiritum, vel Spiritus in Sponſa loquens. *Per Spiritum ſanctum orantes.* Inter cætera πολὺ ἰσχύει δέησις δικαίου ἐνεργουμένη. Crux interpretum illa vox ἐνεργουμένη· *Aſſidua*, ſic vulgatus; ſed abſque omni ad vim vocis analogia. *Efficax*, ſic Beza, multò quidem meliùs. Verùm ſi ſic interpretemur, ſuperfluum videbitur vel illud πολὺ ἰσχύει, vel hoc participium ἐνεργουμένη. Quod enim multùm valet, illud eſt efficax; & quod efficax eſt, illud multùm valet: imò quia multùm valet ideo efficax eſſe dicitur, & quia eſt efficax, multùm valere. Videamus itaque an non poſſit produci expoſitio, non ad rem ſolummodo noſtram, ſed & ad Apoſtoli mentem accommodatior. *Hilarius* ἐνέργειαν alicubi vertit *Inoperationem*. Novè quidem, ait *Beza*, ſed non ineptè, nec infeliciter. Quidni itaq; δέησις ἐνεργουμένη ſit oratio quam intus in nobis operatus eſt Spiritus? Certè Ἐνεργούμενοι dicuntur qui à dæmone correpti ſunt, & aguntur malo ſpiritu: fortaſſis & hîc apud Jacobum oratio dicitur ἐνεργουμένη, quæ à ſancto Dei Spiritu nos intus agente dictata, & formata eſt in cordibus noſtris. Judicent docti: properandum nobis eſt ad reliqua.

Apoc. 22. 17.
Jud. epiſt. verſ. 20.
Jacob. 5. 16.
In 1 Cor. 12. 6.
Πεφῆτις ἐνεργουμένη πονηρῷ πνεύματι. Arethas in Apoc. 6.

§ XIII. Καὶ εἰς αὐτὸ τοῦτο ἀγρυπνοῦντες, *Et huic ipſi rei invigilantes.* Cùm magna pars cultûs in publico præſtandi ſit ora-

tio, veteres, ut illi invigilandum esse docerent, soliti sunt ad portas Templorum pictum vel sculptum exhibere leonem, quem ferunt etiam dormientem oculos, ac si vigilaret, aperire. Unde illud,

Est Leo, sed custos; oculis quia dormit apertis,
Templorum idcirco ponitur ante fores.

Camerar. meditat. histor. Centur. I. pag. 117.

Matth. 26. 41. Marc. 13. 33. Luc. 21. 36. Coloss. 4. 2. & 1 Pet. 4. 7.

Sæpius in sacro codice conjunguntur ista duo; *Vigilate, & Orate. Excubate omni tempore deprecantes. Orationi fortiter incumbite, vigilantes in ea. Temperantes estote & vigilate ad orandum.* In Ecclesia quippe primitiva opus erat utrâq; vigiliâ. Illam etiam quæ corporis est flagitabat ratio temporum, in quibus flagrante persecutione coacti sunt Christiani nominis professores noctu convenire. Patet ex narrationis serie factas in Petri gratiam preces ab Ecclesia nocturno tempore fusas esse. Tertullianus in Apologetico de fidelibus ævi sui, *Ità*, inquit, *saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum sibi Deum esse.* Idem ad uxorem libro secundo ostendit Christianas fœminas non debere nubere maritis Ethnicis, argumento ab hisce vigiliis petito. *Quis Ethnicus nocturnis convocationibus uxorem à latere suo eximi libenter feret? Quis solennibus Pascha obnoctantem securus sustinebit?*

Actor. 12. ver. 5. 12.

Mentis vigiliâ nunquam non opus erat, hodiéq; est, & erit quamdiu duraverit Ecclesiæ militia. Enimvero valet hîc regula Theologorum, *In negotio Religionis quod cor non facit, non fit.* Sin autem desit vigilantia, cor ipsum vel deerit inter orandum, vel turpissime vagabitur. Hinc factum ut questi sint aliquoties viri etiam sanctissimi de suorum cordium quasi transfugio in castra mundi. Hieronymus, *Creberrimè in oratione mea aut per porticus deambulo, aut de fænore computo, aut abductus turpi cogitatione, etiam quæ dictu erubescenda sunt gero. Ubi est fides? Sic putamus oràsse Jonam, Sic Tres pueros? Sic Danielem inter leones? Sic latronem in cruce?* Bernardus, *Audi, piißime Deus, confeßionem meam, & respice ad pietatem tuam. Audi quàm sæpe de memoria mea Te expulit*

Dialog. adversùs Luciferianos.

De interiori domo, cap. 29.

pulit turba cogitationum plurimarum, quæ, velut plebs ad aliquod spectaculum, solent confluere in cor meum. Ad secularia revocant, voluptuaria ingerunt, ipsóque in tempore quo levare mentem meam ad te paro, inanibus cogitationibus infectus, ad terrena plerumque dejicior. Non cogitanda cogito, cogitata recogito, & eadem iterum atque iterum replicare non cesso. Idem
" alibi, In choro sum corpore, & in aliquo negotio corde. Ibid. cap. 33.
" Aliud canto & aliud cogito. Verba profero, sensum non
" attendo. Væ mihi quia ibi pecco, ubi peccata emendare debeo.

§ XIV. Ἐν πάσῃ προσκαρτερήσει, Cum omni perseverantia. Κάρτος Græcis robur est, κρατερὸς & καρτερὸς æquipollent; προσκαρτερεῖν est alicui operi totis viribus fortiter incumbere; atq; adeò de magistratibus, déq; Apostolis, quorum opera, si quæ alia, summum animi robur & fortitudinem postulabant, usurpatur. Hîc itaq; προσκαρτερεῖν, partim significat inter orandum, quod inter luctandum faciunt athletæ, vires omnes exerere, cum Jacobo Patriarcha, cujus luctam *Hoseas* precibus & lacrymis videtur absolvere. Quò verò plùs vitium est, eò diutiùs in opere duratur ab eis qui illud pro virili sua exequuntur. Ideo vox προσκαρτερήσεως ponitur etiam pro exercitio perseverantiæ, cujus in precibus usus est haud exiguus. Dixit parabolam Christus Dominus huc spectantem, quod oporteret *semper orare, nec segnes esse*, μὴ ἐκκακεῖν; Vetus interpres *non deficere*; Piscator, *non elanguescere*, id est, inquit, non defatigari precando, sed usq; instare donec exaudiamur. Præclarè Chrysostomus, *Nè recedas quousque accipias. Tunc cessa quando acceperis; imò potiùs nec tunc cesses, sed tunc persevera agens gratias pro eo quod accepisti, ut perseveret tibi quod acceperis.* Pius scriptor *Ludovicus Granatensis* varias adducit similitudines huic negotio satis accom-
" modas. Sicut, inquit, semina in terram jacta, quò diuti-
" ùs gelu premente intra ejus viscera delitescunt, eò dein-
" ceps proceriora & uberiora surgunt, quoniã altiùs radices
" egerunt: sic diutiùs multiplicatæ preces majoribus à Deo

Rom. 13. 6. Act. 6. 4.

Hos. 12. 4.

Luc. 18. 1.

Tom. 2. de variis locis in Matthæum homil. 17.

" muneribus afficiuntur. Atq; iterum, sicut illa gallina pul-
" los nunquam educet suos, quæ ubi primùm ovis incubare
" cœperit, illa deserit: sic ex oratione fructum non perci-
" piet, qui ex ariditate vel languore citò ab ea desistit.
" Quin & tertiò, qui excutere vult ignem ex silice, non con-
" tentus semel percussisse, iterum atq; iterum percutit, do-
" nec tandem scintillam excutiat: ità quisquis Dominum
" precatur, etiamsi illico ad votum non exaudiatur, perse-
" veret tamen; quoniam si perseveraverit pulsans, voti tan-
" dem compos fiet.

Cæterùm hoc illud est quod causantur desidiosi, non semper exaudiri preces, nè perseverantium quidem, atq; inde suam lassitudinem exoriri. Respondeo, distinguendum esse primò inter tempus expectationis nostræ, & tempus largitionis divinæ. Exaudit Deus suo demum tempore, licèt non nostro, quando nos diu satìs orâsse credimus. Piè admodum Chrysostomus, & politè, *Si dare situm est in Dei potestate, in ejus etiam potestate situm est quando velit dare. Ipse tempus optimè novit; supplicantes ergò perseveremus;* Nec non Augustinus, *Cùm aliquid aliquando tardiùs dat Deus, commendat sua dona, non negat: Desiderata diu dulciùs obtinentur, citò autem data vilescunt.* Addam liceat, Eis, qui tardiùs exaudiuntur, majora plerumq; beneficia cumulari. *Abrahamus* usq; ad annum centesimum prolem ex sua *Sara* expectavit; natus est illi tandem *Isaacus* promissionis filius, in cujus semine benedicendæ erant omnes gentes. *Isaacus* acceptâ licèt promissione, diu & multùm deprecatus est Deum pro sterili uxore sua *Rebecca*, quæ tandem gemellos peperit, & duas quasi gentes uno partu protulit. *Hanna* mater *Samuelis* aliquandiu sterilis precibus filium impetravit, eúmq; prophetam. Uxor *Zecharia Elizabetha* in oratione perseverans tandem aliquando peperit *Joannem Baptistam*, quo non surrexit major inter natos ex mulieribus.

Ἐι γὰρ τὸ δοῦναι Κύριος, καὶ τὸ ποτὲ δοῦναι Κύριός ἐστι, &c. *Chrysost.* in Psal. 129. De verb. Domin. Serm. 1.

Secundò, distinguendum inter exauditionem ad voluntatem, votum, aut placitum; & exauditionem ad utilitatem, salutem,

salutem, & commodum. Deus modo posteriori suos semper exaudit, prout decet precantes & perseverantes; licèt non priori. Invenimus quosdam non exauditos ad volunta-
" tem, exauditos tamen ad salutem. Ad voluntatem exau-
" diti sunt Israelitæ, & cùm adhuc cibus esset in ore ipso-
" rum, nôstis quæ consecuta sunt. Nolite igitur pro magno
" habere ad voluntatem exaudiri. Hæc *Augustinus*. Tunc autem Dominus ad salutem exaudire dicendus est, quanquam non ad voluntatem, quando vel melius quid concedit, quàm quod petitur; ut Paulo discessum stimuli in carne ter postulanti, non illud ipsum impertiit illico, sed quod illi
" potius erat, augmentum gratiæ. Unde *Calvinus*, Quod
" ad finem, inquit, suæ precationis non dubium quin exau-
" ditus fuerit Paulus, tametsi repulsam passus est in ipsa for-
" ma. Vel petentibus sibi noxia (quod faciunt quamplurimi) aures suas videtur penitus obturâsse. Qua de re *Prosper* in carminibus eleganter quidem & luculenter;

In Epist. Joann. Tract. 6. & de verb. Dom. Serm. 53.

Calvin. in 2 Cor. c. 12.

Multum concedit, quòd nocitura negat.
Errantes voto non vult delinquere facto.
Iratus sineret, quod probibet placidus.
Discat felici supplex gaudere repulsâ,
Incipiátque animo pellere quod voluit.

§ XV. Perventum est aliquando tandem ad hujusce versiculi verba postrema Καὶ δεήσει περὶ πάντων τῶν ἁγίων, Et supplicatione pro omnibus sanctis. Notum est illud Chrysostomi, *Pro se orare natura est, pro aliis gratia; Pro se orare necessitas jubet, pro aliis hortatur charitas.* Pro aliis quidem omnibus, ut ut alienis; præsertim pro Sanctis, utpote qui commilitones nostri sunt, & eorundem præliorum participes. Postulat hoc communio Sanctorum, quam adeò magni fecit *Lutherus*, ut ità scripserit in Tesseradecade consolatoria, *Onus meum portant alii, illorum virtus mea est. Fides ecclesiæ mea trepidationi succurrit. Aliorum* jejunia *mea lucra sunt. Alterius oratio pro me solicita est*, &c.

Oper. wittebergs. tom. 2. f. 22.

Verùm ex eo, quòd solorum hîc sanctorum meminerit

Apostolus, suboriri potest aliqua circa non-sanctos suspicio, & indè quæstio, Utrùm nobis etiam pro improbis precandum sit, an illis potiùs imprecandum? Sin autem illicita sit imprecatio, quid sentire debeamus de diris illis & execrationibus quæ passim occurrunt in sacris literis? Ego, ut compendifaciam, assero

Primò, Earum nonnullas fuisse illicitas: quotquot nimirum profectæ sunt vel ex impatientia, vel ex vindicta, aut
Judic. 17. 2. alio quovis affectu pravo; qualis illa matris *Michæ*, quæ surreptis sibi per furtum mille & centum siclis argenteis, execrata est furem, mille capiti illius pestes, ærumnas, mortes & gehennas imprecando. Istiusmodi tamen diris plena sunt proh dolor! omnia; nec minùs nostris quàm *Salviani* tem-
Salvian. l. 3. poribus competit illa querimonia, *Prima semper irarum tela sunt maledicta: & quæ non possumus imbecilles, optamus irati. Votis malis pro armis utimur.*

Secundò, Ex iis, quæ licitæ fuerunt, multæ non tam ipsos peccatores respiciebant quàm eorum causam, conatus, &
2 Sam. 15. 31. consilia: ut cùm David oravit, *Infatua, quæso, consilium A-*
Actor 4. 29. *chitophelis, Domine.* Discipuli, *Nunc igitur, Domine, respice*
Galat. 5. 12. *in minas ipsorum.* Paulus, *Utinam abscindantur qui vos inquietant.*

Tertiò, Ex eis imprecationibus, quæ personas feriunt, pleræq; non tam definitæ sunt, hanc vel illam personam in individuo respicientes, quàm indefinitæ, adversùs hanc vel illam speciem hominum. Quale est fulmen illud Apostoli-
1 Cor. 16. 22. cum, *Si quis non amat Dominum Jesum Christum, esto Anathema Maranatha.*

Quartò, Ex iis, quæ vibrantur adversùs personas definitè & in individuo, pleræq; non tam sunt Categoricæ, quàm Hypotheticæ. Neq; enim absolutè collimant ad malorum exitium & perditionem; sed sub conditione, nimirum si insanabiles sint, si eorum excidium vindicatio gloriæ divinæ, & Ecclesiæ salus postulet. Certè Paulus insigni discrimine separat Alexandrum apostatam, & jam profligatæ

spei

ſpei hominem, ab aliis deſertoribus qui ex ſola infirmitate peccaverant, & nondum erant inſanabiles. Contra illum videtur diſertiſſimè precari; *Alexander faber ærarius multa mala mihi exhibuit. Reddat ei Dominus ſecundùm facta ipſius.* De illis verò multò mitiùs, imò longè aliter, *Omnes me*, inquit, *deſeruerunt*, μὴ αὐτοῖς λογισθείη, *Utinam nè hoc illis imputetur.* 2 Tim. 4. 14. Ibid. verſ. 16.

Quintò, Ex eis quæ Categoricæ ſunt, multæ nil aliud imprecantur, niſi mala ſolummodo temporalia, ídq; hoc fine ut reſipiſcant peccatores, atq; non perdantur, ſed emendentur. Adeò ut hujuſmodi imprecatio (prout obſervat noſter *Ameſius*) vim habeat deprecationis, ad malum aliquod gravius removendum, per illud malum quod optatur. Medull. lib. 2. cap. 9. theſ. 77. Sic orabat David, *Imple facies eorum ignominiâ, & nomen tuum inquirent.* Pſal. 83. 17. Atq; hoc proculdubio cum charitate Chriſtiana minimè pugnat; quia pro nobis etiam ipſis id petere poſſumus, ut Deus nos potiùs affligat & corripiat, quàm in peccata ruere ſinat, aut nos in peccata jam prolapſos hiſce mediis ad ſe revocet.

Sextò, Illæ omnes quæ perniciem intentant, vel intentare videantur, (ut cùm ſic precatur Pſaltes, *Appone pœnam ad pœnam iniquitatis eorum, & nè veniant in juſtitiam tuam. Deleantur de libro viventium & cum juſtis nè conſcribantur*) Pſal. 69. 28. 29. propheticæ potiùs ſunt quàm proſeucticæ; & verba non tam precationis quàm prædictionis, nec tam vota, quàm vaticinia. Auguſtinus, *Propheta quid eſſet eventurum cecinit, non optantis voto, ſed ſpiritu prævidentis.* De Serm. Domin. in monte l. 1. ſub finem. Et alibi, *Maledicta, cùm ex prophetia dicuntur, non ſunt de malo voto, ſed de præſcio Spiritu denuntiantis.* Contra *Fauſtum* Manich. l. 16. c. 22. Quin & Theophylactus de prædictis Pauli diris in Alexandrum, *Prophetia potiùs*, inquit, *eſt quàm execratio.* Author etiam quæſtionum & reſponſionum inter opera Juſtini Martyris, verba illa non ſunt vel κατάρα execratio, vel λοιδορία convitium; ſed πρόῤῥησις πρέπουσα ἀνδρὶ Ἀποστολικῷ, μὴ ἐκδικοῦντι ἑαυτὸν, ἀλλὰ διδόντι τόπον τῇ ὀργῇ, id eſt, prædictio decens virum Apoſtolicum, qui ſeipſum non ulciſcitur, ſed locum dat iræ.

Septimò,

Septimò, Omnino illicitum est Christianis hostes suos privatos, à quibus injuriam passi sunt, diris prosequi. Sic enim Servator, *Diligite inimicos vestros, benedicite eis qui vos execrantur, benefacite eis qui oderunt vos, & precamini pro eis qui vobis infesti sunt & persequuntur vos.* Huic præcepto consona fuit praxis Domini, qui in cruce pendens non maledixit persecutoribus suis, sed pro iis oravit, dicens, *Pater ignosce.* Stephani etiam protomartyris, qui sic, *Domine nè statuas eis hoc peccatum.* Uti & post eum *Joannis Hussii*, qui, dum adversarii coràm legebant sententiam concilii damnatoriam, flexis genibus, & sublatis in cœlum oculis ità fertur " orâsse, Ex intimo corde, te precor, Domine Deus, per " immensam misericordiam tuam hoc meis adversariis ig- " noscas. Tu enim me falsò accusatum, falsis testibus " confictísq; erroribus gravatum, & iniquè condemnatum " probè nôsti. Quapropter per misericordiam tuam, quam " nemo unquam oratione comprehendere valebit, te oro, " nè hoc in ipsis vindices. Hoc verè Christianorum est, apud quos observante *Pererio*, tres sunt gradus charitatis, infimus redamare amantem, superior amare non amantem, supremus amare etiam odio prosequentem. Apud Judæos viri olim piissimi erant *Hasidæi* sive *Esseni*, inter quorum instituta fuisse dicitur ità Deum precari, *Remitte & condona omnibus qui vexant nos.*

Matth. 5. 44.

Luc. 23. 34.

Act. 7. ult. *Zechar. Theobaldi* Bellum *Hussiticum* pag. 49.

Disp. 43. in cap. 13. Joan.

Grotius in Matth. cap. 5. vers. 44.

Octavò, Tutissimum est ab imprecationibus prorsus abstinere; tum quia rectum in iis modum tenere, & non admiscere privatos affectus difficile est: tum quia paucis nunc dierum, fortè nemini, datus est ille spiritus discretionis & prophetiæ, quo acti sunt olim inter imprecandum *Davides*, *Paulus*, aliisq; nonnulli. Si quis nostrûm eodem spiritu in eadem mensura, quo sancti Prophetæ & Apostoli, regeretur, easdem fortè posset cum illis adversùs publicos & insanabiles Dei & Ecclesiæ hostes diras intonare. Sed quia longissimè absumus ab illa affectuum puritate, quæ in tantis Dei servis relucebat; & ignoramus insuper, præ defectu

revela-

revelationum, quarum illi facti sunt compotes) quinam habendi sunt insanabiles; regulam communem tuti sequemur, quam Paulus tradidit, *Benedicite eis qui vos execrantur; benedicite, & nè imprecamini.* Rom.12.14.

§ XVI. Quod superest, viri fratres, *Oremus*: & quod jam vobis dico, universis Christi militibus dictum velim, *Oremus.* Pertinacis olim symbolum erat, *Militemus*; Severi, *Laboremus*; nostrum esto, *Precemur.* Romanus sedendo vicisse dicitur: vincet orando Christianus. Liceat itaq; vobis in memoriam reducere (si modò exciderint) callosa sancti *Jacobi* genua; *Lutheri* horas quotidie ad minimum tres impensas precibus, eásq; quæ studiis erant aptissimæ; *Bradfordi* nostri geniculationem, etiam quando libris incubuit; *Pauli Eremitæ* apud Hieronymum cadaver in gestu orantis inventum, flexis officiosè genibus, manibúsque in cœlum elevatis. O ter beatam illius animam sine corpore, cujus adeò venerabundum corpus sine anima!

Illam deniq; *Lacedæmoniorum* εὐφημίαν; de qua in veterum " monumentis traditur, quòd Jovis Ammonis oraculum " legato Atheniensium sciscitanti quid in causa esset, cur " Dii ad illud usq; tempus Lacedæmoniis potiùs, quàm suis " Atheniensibus victoriam largirentur; memorabili re- " spondit sententiâ, Lacedæmoniorum scilicet εὐφημίαν, hoc " est (ut Socrates interpretatur in secundo Platonis Alcibi- " ade) precationem sibi jucundiorem esse quàm omnium " Græcorum sacrificia.

Sciendum est interim Christianos, ut ad vincendum per alloquia, ità per humilitatis exercitium ad alloquendum præparari. Præivit ipse Pater fidelium Abrahamus, *Ecce nunc*, inquit, *cœpi loqui ad Dominum, qui sum pulvis & cinis*, in quæ verba sic *Rivetus*, *Uberrima humilitatis scaturigo, comparatio nostri cum divinâ majestate.* Subsecuti sunt, inter alios Bernardus, qui ità se inter orandum exinanivit, *Quasi quoddam monstrum inter filios Dei sto -- Tanquam arbor sterilis terram occupo, & velut jumentum vile plùs consumo quàm proficio --*

Gen.18.27. Exercit. in Gen. 93.

De interior. domo, c.35.

proficio -- ſum opprobrium hominum, pecore vilior, cadavere pejor. Tolerabilius enim canis putridus fætet hominibus, quàm anima peccatrix Deo. Idcirco tædet me vivere. Vivere erubeſco quia parùm proficio: Mori timeo, quia non ſum paratus. Nec non Hooperus Epiſcopus olim & martyr Anglicanus, qui morti tunc proximus ità Chriſtum allocutus eſt, *O Domine, ego inferni abyſſus ſum, Tu verò cælum. Ego ſentina quædam & cloaca peccati; Tu mitiſſime Redemptor ſis mihi miſerrimo peccatori pro magna & ineffabili tua pietate propitius. Tu, qui cælos omnes transſcendiſti, me infernum ad Te attrahe.*

§ XVII. Ad imponendum huic capiti fortè nimis prolixo, colophonem, lubet orationem, quam non ità pridem ad Dominicæ normam exegimus, hîc attexere.

Pater noſter qui es in cælis, cui ſumma, ut Patri, obſervantia, ſummus amor, ut noſtro, & ut in cœlis habitanti ſumma debetur adoratio. De tuis erga nos viſceribus, ut ut miſellos peccatores, *filios tamen*; cùm Pater ſis Domini Jeſu Chriſti, & in eo *Pater noſter*; non eſt cur ampliùs dubitemus; utì nec de poteſtate, quoniam *in cælis es*. Qui ſolus potes, effunde, quæſumus, nobis in corda Spiritum adoptionis, per quem clamemus *Abba Pater*, majeſtatémq; cœlicam quo par eſt affectu veneremur. Illo duce & auſpice *Sanctificetur nomen tuum.* Sarta tecta ſit in æternum, & apud nos in numerato, quæcunq; tibi vel ex attributis vel inſtitutis, ex operibus, vel ex verbo reſultat gloria. Eradica Domine, & peſſunda *Mahometiſmum, Judaiſmum, Papiſmum, Atheiſmum*, & quicquid eſt ullibi ſacroſanctis nominibus *Jehovæ* & *Jeſu* dehoneſtamenti. Hunc in finem *Adveniat regnum tuum*; reducatur tandem aliquando totus Iſrael, plenitudo gentium introducatur, illuminentur heterodoxi, convertantur irregeniti, renatis incrementa gratiæ cumulentur. Currat evangelium regni, & glorificetur in univerſo terrarum orbe, in oris hiſce præſertim *Britannicis* & *Hibernicis*. Indulge magiſtratibus ſapientiam, miniſtris zelum, univerſo populo pietatem. In ſinu fovere non dedigneris utramque Academiam;

am; nostram imprimis Cantabrigiensem. Eò res ubique redeat, ut *Fiat voluntas tua sicut in cælo, sic etiam in terra.* Nè in more positum nobis sit (uti hactenus) mundo, carni, & Satanæ morem gerere; faxis ut voluntatem tuam adamussim callentes & observantes, etiam dum in terris agimus, Angelorum instar, quibus in cœlis datum est visione frui beatifica, in tua deinceps providentia paratissimi simus acquiescere; mandatísque ad unum omnibus æquè ac illi (licèt æqualiter nequeamus) summo fervore pariter & fide, reverenter simul & constanter obtemperare. Quinetiam *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Panem, Domine, non cupedia, de illis, quæ ad luxum faciunt, parùm solliciti, ea petimus venerabundi quæ sunt ad vitam necessaria. Concede, quæsumus, servis tuis eam tranquillitatis, valetudinis, reíq; familiaris mensuram, quæ sufficiat nobis ad viaticum. Bonam interea mentem insere pectoribus nostris, ut, dum mundo præsenti utimur, te solo fruamur vero Deo, & quem misisti Jesu Christo. Per, & propter illius meritum *Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris.* Siquidem præter labem illam primigeniam, quæ totam naturam, totámq; operum massam inficit, adeò ut vel ipsæ preces indulgentiâ, ipsæ etiam lavacro indigeant lacrymæ; per peccata, quibus indies irretimur, facti sumus quotidie debitores justitiæ tuæ: cui tamen vel ex minima parte satisfacere nulli possumus. Quoniam verò satisfecit pro nobis in cruce Christus tuus, Jesus noster, supplices ad te confugimus, Pater omnium miserationum, postulantes veniam, deprecantes pœnam, præstolantes gratiam; sed & plenam gratiæ, veniæq; certitudinem, quam tantò sumus uberiorem experturi, quantò iis, quibuscum lis nobis fuerit, prolixiùs ignoscimus. Porrò Domine, qui sol noster & clypeus es, cùm in orbe versemur laqueis pleno, corda gestemus fraudulenta, & res nobis sit cum hoste dolis & omne genus fallaciis instructissimo; *Nè nos inducas in tentationem, sed libera nos ab illo malo.* Da nobis vigilare per-

petim & orare, nè incidamus in retia Satanæ. Quòd si nos providentiæ tuæ visum fuerit tentationibus exercere, faxis nè lethales sint. Conteratur à semine benedicto caput serpentis in cordibus nostris; ut obruti licèt impræsentiarum, idq; decumanis fluctibus, emergamus tandem per gratiam tuam, & in portum cœlestem tuti lætíque recipiamur. Isthæc autem à te fidentiùs petimus universa, quia *Tuum est regnum, & potentia, & gloria.* Enimvero grandem solatii materiam exhibet; quod Tibi, Patri, Filio, Spiritui sancto, Triuni Deo, competere credimus & profitemur regnum cui subsunt omnia, potentiam quâ fiunt omnia, gloriam denique cui omnia velificantur; ídque *in secula seculorum. Amen.*

Cap. II.

De authore victoriæ spiritualis. déque ejusdem adminiculis & præmiis.

Ethnici Numinibus suis, Christiani Deo & Christo suas omnes victorias acceptas referunt Sect. 1, 2. *Pontificiorum, qui B. Mariam in Satana contendo cum Christo Domino consortem faciunt, error exploditur* Sect. 3. *Locis* 1 Pet. 5. 8. 1 Cor. 9. 25. *&* Hoseæ 4. 11. *lux infertur, & ostenditur sobrietatem victoriis spiritualibus adminiculari.* Sect. 4. *Idem probatur quoad vigilantiam ex pluribus Patrum, aliorúmque testimoniis* Sect. 5. *Et quoad fidem, ex* Apoc. 12. 11. *&* 1 Joann. 5. 4. *luce donatis* Sect. 6. *Promissum victori brabium in*

in Apoc. 2. 7. *explicatur* Sect. 7. *Item aliud ejusdem capitis versu* 17. *Quid occultum Manna, quid albus calculus, quid novum nomen illi inscriptum* Sect. 8. *Alia insuper præmia,* Apoc. 3. 5. *De libro vitæ Physico, Ecclesiastico, Agnino. Et an quis ex eo possit aut non possit deleri, fusè disseritur adversus authorem Redemptionis redemptæ. Vota etiam Mosis & Pauli declarantur, unà cum statu Judæ proditoris* Sect. 9, 10, 11, 12, 13. *Illa victorum* ἐξομολόγησις, *quam facturus est Christus, quid includit, & quanti facienda* Sect. 14.

§ I. OMnes, quas reportârunt, victorias Numinibus suis acceptas retulisse gentilis theologiæ studiosos, plurima sunt quæ evincunt. Hæc inter alia: Quòd inter Deas, quas cultu divino religiosè prosecuti sunt, locum assignârunt ipsi *Victoriæ*: cujus olim in Roma simulacrum cùm de cœlo tactum fuisset, ejúsque solæ alæ decidissent; indè colligebat *Pompeius* fore, ut non ampliùs à Romanis legionibus avolaret victoria: teste disticho illo decantatissimo,

Ῥώμη παμβασίλεια τεὸν κλέος οὔποτ' ὀλεῖται·
Νίκη γάρ σε φυγεῖν ἄπτερος οὐ δύναται. *Anthol.* Gr. Epig. l. 4. c. 21.

Quòd Deos tutelares urbem aut gentem priùs deserere, séq; loco movere credebant, quàm fieri potuit, ut gens aut urbs illa, cui præsidebant, in hostium potestatem redigeretur. Hinc *Æneas* apud Virgilium de Troja tunc primùm capta post bellum decennale, Æneid. l. 2.

Excessêre omnes, adytisque arísque relictis,
Dii quibus imperium hoc steterat —

Hinc etiam orta est illa Numinum hostilium evocatio per certa carmina, quam Romanos usurpare solitos esse testatur Saturnal. l. 3. cap. 9.

 Macrobius;

Macrobius, apud quem de illius uſu ſimul & modo legere
Numer. 23. 23. eſt. Tale quid attentâſſe creditur *Balac* adversùs populum Dei, & eum in finem *Balaamum* conduxiſſe, donec illos experientia docuiſſet, *Non valuiſſe incantationem contra Jacobum, nec divinationem contra Iſraelem.* Item, quòd poſt partas victorias ſoliti ſunt in Deorum ſuorum templis manubias reponere, eósq; laudibus & gratiarum actionibus
1 Sam. 5. 1, 2. concelebrare. Sic *Philiſtæi,* poſtquam arcam Dei cepiſſent,
Judic. 16. 23. "induxerunt eam in ædem *Dagonis.* Et capto *Samſone,* "congregati ſunt ad celebrandum ſacrificium magnum "Dagoni Deo ſuo, & ad lætitiam: dicebant enim, Tradi-"dit Deus noſter in manus noſtras Samſonem inimicum "noſtrum. Denique quòd apud Romanos, Imperator hoſtium victor, triumpho exacto, ſuperſtitiosè in Jovis Capitolini gremio reponebat coronam triumphalem; ut eum victoriæ datorem agnoſceret.

§ II. Homines verò Chriſtiani, utpote qui magiſtris longè melioribus uſi ſunt, ſuarum omnium victoriarum Deum in Chriſto authorem unicum agnoſcunt & celebrant; ſive illas de hoſtibus externis, ſive de ſpiritualibus reportaverint. Deſignatus eſt in Apocalypſi Chriſtus Dominus
Apocal. 6. 2. per Equitem coronatum, qui *prodiit vincens & ut vinceret.* Inter prima tanti victoris facinora, poſtquam ſe in cœlum receperat, eminet excidium Hieroſolymitanum, unà cum
Luc. 19. 27. Judæorum ſtrage, quam in parabola prædixerat apud *Lucam, Quinetiam meos illos inimicos, qui noluerunt me regnare ſupra ſe, adducite huc & jugulate coram me.* Eam ipſius adminiſter *Titus*, etſi minimè ſacris Chriſtianis initiatus, nemini præterquam Deo auſus eſt aſcribere. Siquidem poſt civitatem captam & direptam, conſpectis quæ remanſerant
Joſeph. de Bello Judaico l. 7. c. 16. p. 667. "munimentis exclamâſſe dicitur, Deo planè adjuvante pugnavimus; & Deus erat, qui detraxit ab iſtis munimentis Judæos. Nam quæ hominum manus, aut quæ machi-
Xiphilin. p. 217. "næ ad iſtas turres valerent? Sed & minimè paſſus eſt ſe *Judaicum* appellari, ſecundùm aliorum Imperatorum conſuetudinem,

ſuetudinem, qui devictis provinciis mutuati ſunt exinde titulum. Quinimo, prout teſtatur *Suidas*, quando Syria univerſa, & *Ægyptus*, omnésq; finitimæ gentes coronas ei mittebant, victorem appellantes, ille coronas repudiavit, & dixit, *Non ſe id feciſſe, ſed Deo iram ſuam declaranti manus ſuas accommodâſſe.* Faciunt quidem iſta, ut minùs obſtupeſcendum ſit ad recordationem nobilis illius dicti, quod Imperatori Chriſtiano tribuitur; *Carolo* nimirum *Quinto*, qui cùm Saxonum & aliorum ingentes ac numeroſas copias exiguâ manu fudiſſet, ad Pontificem Romanum de eventu ſcribens, *Veni*, inquiebat, *& vidi, ſed vicit Chriſtus.* *Surius* in Commentar. rerum toto orbe geſtar.

Sin de victoriis ſpiritualibus ſermo ſit, Deum in Chriſto eis originem, incrementum & exitum præbere teſtatur Apoſtolus. *Gratiæ ſint*, inquit, *Deo, qui dat nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Alibi ſic, *In his omnibus ampliùs quàm victores ſumus per eum qui dilexit nos.* Quis autem ille ſit, oſtendit ejuſdem capitis verſu noviſſimo, ubi memorat dilectionem Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Paulo nobis hunc in modum præeunte, quanquam non ſit opus Patribus; ſuave tamen, opinor, erit atque etiam utile, quid illis acciderit paucis oſtendere. *Cyprianum* ferunt tunc temporis Ethnicum & Magum *Chriſtinam* quandam virginem Chriſtianam deperiiſſe; cujus copiam ſe ei facturum promiſit diabolus: quod cùm efficere non potuiſſet, ſed Chriſtinæ Deum ſe fortiorem volens nolens affirmâſſet, hâc occaſione Chriſtianam religionem, abdicato diaboli cultu amplecti cepit Cyprianus. Quid expertus ſit *Auguſtinus*, ipſe pereleganter enarrat. *Tentator*, inquit, *defuit, & ut deeſſet, Tu feciſti*, (Deum alloquens) *locus & tempus defuerunt, & ut hæc deeſſent Tu feciſti. Affuit tentator, non defuit locus, non defuit tempus, ſed ut non conſentirem Tu me tenuiſti. Venit tentator tenebroſus ut eſt, & ut eum deſpicerem Tu me confortâſti. Venit tentator armatus, & fortis, & ut me non vinceret Tu eum refrænâſti, & me roborâſti. Venit tentator transfiguratus in Angelum lucis, & ut me non deciperet Tu eum increpâſti; &* ut

1 Cor. 15. 57. Rom. 8. 37. 39

Zepper. Legum forenſ. l. 4. c. 5.

Soliloq. c 16.

ut eum cognoscerem, Tu me illuminâsti. Patrum ætatem proximè attigit *Bradwardinus*, apud quem occurrunt ista, quæ lubens subjungo; O mira circa nos miseros & ingratos divinæ pietatis dignatio! quæ non tentatos à tot & tantis tentationum turbinibus intactos præservat, tentatos in tot & tantis tentationum incursibus invictos conservat; & per ipsam, non per ipsos vincentibus tot & tanta præmia coacervat, &c.

De causa Dei lib. 2. cap. 7.

§ III. Quapropter explodendi meritò sunt hodierni *Romanenses*, qui insignem hanc Christi prærogativam; Authorem scilicet esse victoriæ spiritualis, déq; ipso diabolo triumphare; B. Virgini communem faciunt, ex malè lecto, pejúsque intellecto textu protevangelico. Postquam enim legi ceperat, *Ipsa conteret caput tuum*, versus est error in furorem, & nihil non commenti sunt Mariolatræ, quod ipsam honore redemptricis cumularet. Frequens extitit per *Germaniam* (referente *Gerhardo*) Pictura, in cujus infima parte stat peccator facie ad B. Virginem versâ, hac illam compellans precatione,

Loc. comm. in 4°, vol. 8. p. 719.

Te rogo Virgo pia, nunc me defende Maria.

Ex uno latere virgo Maria denudatis uberibus Christum Filium sic alloquitur,

Hæc quia suxisti, Fili, veniam precor isti,

digito monstrans peccatorem. Ex altero latere conspicitur Christus, vulnera Patri cœlesti ostentans hisce verbis,

Vulnera cerne Pater, da quod rogitat mea mater.

In sublimi constitutus Pater cœlestis ità respondet,

Quæque petita dabo, Fili, tibi nulla negabo.

Scripsit *Costerus* Enchiridion controversiarum, in cujus propylæo cernere est depictam imaginem B. Mariæ conculcantis serpentem, cum hoc elogio, *Ipsa conteret caput tuum.* Exstat etiam inter *Angelini Gazæi* Jesuitæ Elegias, quas annexuit *Piis Hilaribus*, Poema, cui titulus est, *Positus in medio quò me vertam nescio.* Per totum certat cum elegantia superstitio. Hæc in ipso limine Lector offendet, & eis, si orthodoxus sit, offendetur;

Pag. 298.

Hæreo,

Hæreo, lac inter meditans intérque cruorem,
Inter delicias uberis & lateris.
Ubere lactari volo, sed volo sanguine pasci;
Deliciisque tuis Christe, Maria tuis.
Lac Matris miscere volo cum sanguine Nati,
Non possem antidoto nobiliore frui.

Sed quia pictoribus atq; poetis quodam quasi jure gentium, quidlibet audendi potestas conceditur; videamus an eadem "mens sit Pontificiis Theologis. Securum accessum ha- "bes ad Deum, O homo, ubi Mater stat ante Filium, Filius "ante Patrem; Mater ostendit Filio pectus & ubera, Filius "Patri latus & vulnera: sic *Antoninus*. In illis verbis, Ipsa "conteret caput tuum, victoria Virginis super diabolum "patet quadruplici ratione; Primò, ratione conterentis "Ipsa, quia non fuit vir, sed fœmina; Secundò, ratione "modi conterendi, quia non percussit, nec vulneravit, sed "contrivit; Tertiò, partis quam contrivit, quia non cau- "dam sed caput; Quartò, ratione Personæ quam contrivit, "quia non aliquem de parvis dæmonibus, sed ipsum prin- "cipem, &c. Sic *Barradius*. Mater misericordiæ adjuvit "Patrem misericordiarum in opere salutis nostræ. Quid est "ergò quod Dominus dicit apud Isaiam, Torculare calca- "vi solus, & de gentibus non fuit vir mecum? Verum est "Domine quòd non fuit vir tecum, sed mulier una tecum "fuit, quæ omnia vulnera, quæ tu suscepisti in corpore, susce- "pit in corde. Sic Author cujusdam Marialis *Argentinæ* editi, Anno 1493. Et nè dicatur ab indoctis quibusdam Monachis eisq; solis ista profluxisse, doctiorum aliam esse sententiam: observari velim quid Jesuitarum (qui doctissimi haberi & salutari volunt) insignis ille Coryphæus Alphonsus Salmeron apertè statuit, *Mariam scilicet stetisse sub cruce ut Corredemptricem, quemadmodum Eva unà cum Adamo malum invexit.*

Part.3. Summæ titulo 3.

Harmon. Evang.l.3 c 7.

Lib. 1.cap.5.

Oper.tom.10. Tractat. 41. p. 339.

§ IV. Ex adminiculis victoriæ spiritualis ea mihi videntur esse præcipua, quæ recenset Petrus hisce verbis, *Sobrii* 1 Pet.5 8, 9.

estote & vigilate: nam adversarius ille vester diabolus, ut leo rugiens, obambulat, quærens quem absorbeat; cui obsistite firmi per fidem. Primum est *sobrietas*, de qua Paulus de re agonistica Christianorum verba faciens, *Quisquis*, inquit, *certat, in omnibus est continens.* Πᾶς ὁ ἀγωνιζόμενος πάντα ἐγκρατεύεται. *Illi ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem ut incorruptam.* Cujus loci intuitu sic olim Tertullianus, "Athletæ segregantur ad strictiorem disciplinam, ut robori ædificando vacent; continentur à luxuria, cibis lautioribus, potu jucundiore, &c. Quantò plùs in exercitationibus laboraverint, tantò plùs de victoria sperant. Quid autem sibi per τὸ ἐγκρατεύεσθαι velit Apostolus, vix alibi clariùs innotescet, quàm ex Poeta Venusino. Is cursorem Olympicum ità delineat.

1 Cor. 9. 25.

Exhort. ad martyres.

Horat. de Arte poetica.

Qui cupit optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitq; puer, sudavit & alsit;
Abstinuit venere & vino. ---

Venerem & vinum conjunxit nexu commodissimo; siquidem *venter mero æstuans* (ut emphaticè Hieronymus) *citò despumat in libidinem.* Conjunxit etiam propheta θεόπνευστος, *Scortatio, vinum, & mustum auferunt cor.* Vecordes raro fiunt victores: per hæc autem duo cor aufertur; atq; adeò non impeditur solùm victoria; sed omne genus hostibus produntur animæ militantium.

Hos. 4. 11.

Augustinus luculentissimè, *Ebrietas est blandus dæmon, quam qui habet, seipsum non habet; qui facit, peccatum non facit, sed totus est peccatum.* Memorabile est admodum quod refert *Wilhelmus Schickardus* de undecim Rabbinis, quos gentilis Rex *Pirgandicus* triplici optione datâ coegerat vel suillam comedere, vel ethnicum vinum bibere, vel cum scortis concumbere. Illi vinum admittere maluerunt quàm reliqua; quamvis & illa deinde admiserint, cùm bene potis mensa clanculum gyrata est, immundæ carnes oblatæ nescientibus, & vino sepultis fœminæ provocatrices adjunctæ.

Ad sacras Virgines.

Jus Regium Hebræorum, cap. 5. p. 149.

Quod illicitam venerem spectat, ad alia plerumque vitia

viam

viam sternit, & inter alia ad turpissimam idololatriam. Sic Balaamus Israelitas per mulierum Moabiticarum consortium ad idolorum Moabiticorum cultum facilè pellexit. Apoc. 2. 14. Ipsiúsque *Solomonis* cor extraneæ mulieres post Deos alienos inclinâsse perhibentur. 1 Reg. 11. 4. Quin & scitum est (ait *Andreas Rivetus*) memoriâ nostrâ viri cujusdam illustris Apophthegma, Comment. in Hoseæ 4. 11. qui cùm magnum aliquem principem videret ex ædibus egredientem, in quibus habitabat ejus concubina, quæ proximæ erant templo, in quod primùm ingressus est, ut Romanæ superstitioni communicaret, adstantibus dixit, *A Lupanari ad missam unum tantum esse passum.*

§ V. Secundas obtinet vigilantia; quæ si adsit, salva sunt ut plurimùm omnia; si desit, conclamata. Urbem obsedit *M. Cato*, prout tradunt rerum Romanarum scriptores, quam civium vigilantia fortissimè tuebatur; eam tamen cepisse dicitur hoc strategemate. Abitum simulavit veluti solutâ obsidione; sed adeò procul non abiit. Urbs quartum jam diem ab obsessore libera, hinc malè secura vigilias laxare & hostis oblivisci cœpit. At *Cato* per vias ignotas & avias regressus, & civitatem vi subitâ incursans, die quinto expugnavit. Pari artificio Satanas animabus nostris insidiatur: proinde non interruptis vigiliis opus est, & nè vincatur Christianus fiat oportet *Argo* similis, de quo Poeta,

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat.
Indè suis vicibus capiebant bina quietem,
Cætera servabant, atque in statione manebant.

Cavebat sponsa nè tota dormiret. Cantic. 5. 1. *Ego*, inquit, *dormivi, sed animo meo vigilante.* Quatuor animalia, de quibus *Joannes* in Apocalypsi, Plena erant oculis antè & retro. Apoc. 4. 6. 8. Quin & intus oculata, Ἔσωθεν γέμοντα ὀφθαλμῶν. Idem asserit *Macarius* de quavis anima verè Christiana, quæ Deum gestat (prout ille loquitur) sive potiùs à Deo gestatur, quòd *Tota scilicet oculus sit.* Ἡ ψυχὴ ἡ βαστάζουσα τὸν Θεὸν, μᾶλλον δὲ βασταζομένη ὑπὸ τοῦ Θεοῦ γίνεται ὅλη ὀφθαλμός. *Macarius* homil. 33. pag. 428.

Tanta est, esse saltem debet, piorum hominum vigilan-

tia. Imò quò magìs pii fuerint, eò majori opus habent diligentiâ, utpote qui majoribus damnis obnoxii ſunt: ſicut inter Romanos in illa urbis obſeſſæ parte, quæ hoſtium inſidiis erat maximè opportuna, collocari ſolebant vigiles opulentiores, quíq; honoratiſſimi cenſebãtur, & in publicis rebus partem maximam obtinuerunt. Eis enim potiſſimùm conveniebat non indulgere voluptatibus, ſed potiùs ut memores magnitudinis periculi, quod ipſos maneret, præ aliis attenti eſſent ad urbis cuſtodiam. Nè autem veteranus aliquis ſe toties victoriâ potitum exiſtimet, ut in utramq; deinceps aurem dormire poſſit; ſciat velim prorogandam eſſe cum vita vigilantiam: quoniam nulla omnino eſt in terris conditio, quæ militem Chriſtianum extra telorum jactum conſtituit. Bernardum audiat. *Nuſquam ſecuritas: neque in cœlo, neque in paradiſo, multò minùs in mundo. In cœlo enim cecidit Angelus ſub præſentia divinitatis, Adam in paradiſo de loco voluptatis, Judas in mundo de ſchola Servatoris.* Quocirca quiſquis es commilitonum, vigil eſto ut victor evadas. Noli unquam ſecuritati litare, nè adverſariis in ludibrium pariter & in prædam ſis. Cave dicas, Nullus mihi jam in conſpectu hoſtis eſt: inimicum enim tecum circumfers, id eſt temetipſum. Doceat Hieronymus, *Grandis* (ait ille) *virtutis eſt ſecum pugnare quotidie, & incluſum hoſtem Argi centum oculis obſervare.* Neq; te diſcere pudeat ab *Epicteto*, qui ſuum philoſophi proficientis characterem ità claudit, ὡς ἐχθρὸν ἑαυτὸν παραφυλάσσει καὶ ἐπίβουλον, *ut inimicum & inſidiatorem ſemetipſum obſervat.* Quanquam ſenex fortè ſis, tibi tamen cavendum eſt ſedulò etiam ab eis, quas appellat Apoſtolus *cupiditates juveniles.* Terrorem nobis incutiat licet, acuat ſaltem vigilantiam, quod expertus eſt olim ſanctus ſenex *Hieronymus*, prout ipſe queritur in epiſtola ad *Euſtochium* de cuſtodia virginitatis. *O quoties ego ipſe in eremo conſtitutus, & in illa vaſta ſolitudine, quæ exuſta ſolis ardoribus horridum monachis præſtat habitaculum, putabam me Romanis intereſſe deliciis! Sæpe choris intereram puellarum. Pallebant ora jejuniis, & mens deſideriis*

Joann. à Chokier in ſuis ad *Onoſandri* Strategicum notis pag. 30.

De diverſis 30.

Epiſt. 8.

Epictet. Enchirid cap. 72.

2 Tim. 2. 22.

Epiſt. 22.

desideriis æstuabat in frigido corpore; & ante hominem suum jam carne præmortuâ, sola libidinum incendia bulliebant. Turbæ fortè pertæsus es, & paratus cum eo dicere, quem laudavit Thomas à Kempis, *Quoties inter homines fui, minor homo redii:* Verùm ne te securum reddat solitudo, attende sis ad ea quæ mulieri cuidam sanctimoniali Eremum affe- De Imitat. Christi lib. 1. cap. 20.
" ctanti suggerebat Abbas ille Clarevallensis; volenti per- *Bernard.* epist. 116.
" peram agere & desertum abundantiam habet, & nemus
" umbram, & silentium solitudo. Malum quippe quod ne-
" mo videt, nemo arguit: ubi autem non timetur reprehen-
" sor, securiùs accedit tentator; licentiùs perpetratur ini-
" quitas. Colophonem imponat *Augustinus*, qui postquam Ad fratres in eremo serm. 16.
lapsus Samsonis, Davidis, & Solomonis commemorâsset, ità progreditur; *Vigilate ergò fratres, & nolite deficere: quia nec sanctiores Davide, nec fortiores Samsone, nec sapientiores Solomone vos esse cognoscitis.*

§ VI. Tertium adminiculum Fides est. Ex mandato *Constantini* illius *Magni* cusum erat numisma, in quo extabat signum crucis cum hac epigraphe, *Hoc signo victor eris.* Multum indè superstitionis in ecclesiam irrepsit; adeò ut verbum crucis à pluribus signo crucis posthabitum sit. Cynosuram nobis commodiorem hisce verbis exhibet Apocalypsis, *Dejectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat eos in conspectu Dei nostri die ac nocte. Sed ipsi vicerunt eum per sanguinem Agni, & per sermonem testimonii sui.* Vides Apoc. 12. 10, 11.
sis, Lector, sanguinem & sermonem Christi, duplex illud objectum fidei salvificæ: Eam idcirco constat victoriæ, quam de Satana reportamus, plurimùm adminiculari. Hanc verò rem explicatam dedimus prolixè satis, quando de diaboli telis per scutum fidei extinguendis egimus suprà.

Operæ tamen pretium erit ad elucidationem loci cujusdam Joannensis de mundo aliquid hîc adjicere: *Hæc est,* ait 1 Joann. 5. 4.
ille, *victoria quæ vincit mundum, nempe fides nostra.* Quem Joannis aphorismum Apostolus ad Hebræos illustravit ex- Heb. 11. 24, 25, 26, & 27.
emplo nobilissimo, Mosis scilicet mundi tum bona tum mala

præcipua ſuperantis per fidem. Maximi inter illius bona pretii ſunt honores, voluptates, & opes; de quibus vulgò dici ſolet,

Hæc tria pro trino numine mundus habet.

De hiſce omnibus & ſingulis victoriam ille ſatìs opimam retuliſſe perhibetur. Ad honores quod attinet, *Per fidem Moſes jam grandis renuit vocari filius filiæ Pharaonis.* Quod ad voluptates, *Potiùs eligens ſimul malis vexari cum populo Dei, quàm temporariam retinere peccati oblectationem.* Quod ad opes, *Majores ducens divitias probrum Chriſti, quàm Ægyptiorum theſauros.* Inter mala mundi præcipua jure optimo
Prov. 19.12. cenſetur ira Regis, de qua Solomon, *Ut rugitus leonis juvenis eſt indignatio Regis.* Eam Moſes ibidem ſúſq; déq; habuit: *Per fidem enim dereliquit Ægyptum non metuens excandeſcentiam Regis.* Moſi adjungam licet Lutherum, cujus hoc celebratur dictum nobile, *Mihi nec furor, nec favor Romanus curæ eſt.*

§ VII. Præmia victoriæ ſpiritualis occurrunt in Apocalypſi varia quidem & valde magnifica. In calce ſiquidem epiſtolarum ſingularum ad ſeptem eccleſias Aſiaticas proponuntur brabia, quæ non ſimpliciter militantibus (multi enim Chriſto dederunt nomina per externam profeſſionem, qui animas ſuas illi per fidem minimè unquam tradiderunt; multi in milites conſcripti ſunt qui nuſquam comparent inter victores) ſed eis ſolis qui in certamine ſpirituali fortiter ad victoriam uſq; depugnaverint. Nos tria ſeligemus, è quibus ferri poterit judicium de reliquis.

Ordiar à dicto Chriſti ſuaviſſimo ad Eccleſiam Epheſi-
Apoc. 2. 7. nam, *Victori dabo edere ex arbore illa vitæ, quæ eſt in medio Paradiſi Dei;* Terreſtris ille Paradiſus, quem ab ipſo conſitum Dominus ab initio protoplaſtis incolendum & colendum tradidit, cœlum beatorum figurâſſe meritò creditur;
2 Cor. 12. 4. eò quòd *Paulo* idem ſonat Paradiſus & tertium cœlum. Nec eſt cur aliquis miretur palatium illud beatorum ſpirituum ab horto *Edenis*, quo nullus unquam locus in orbe ter-

rarum

rarum amœnior extitit, Paradisum audire; cùm infernum gehenna dicatur à valle *Hinnom*, loco omnium miserrimo fœdissimóque. In Paradisi, quem diximus, medio sita erat arbor vitæ, ut symbolum beatæ illius immortalitatis, ad quam opportunè absq; ullo mortis interventu transferendus fuisset *Adamus*, modò perstitisset integer; atq; etiam typus Christi, qui, teste Paulo, tum *mortem fecit evanescere*, tum *vitam & incorruptibilitatem in lucem produxit per Evangelium*; & cui *Solomon* sapientiam increatam celebrans (quod in tertio fecit æquè ac in octavo capite Proverbiorum, sicut illico patebit conferenti loca) hoc ipsissimum elogium attribuit, *Arbor vitæ est prehendentibus eam, & beatus quisquis eam tenuerit*. Adeóque per esum arboris vitæ verisimile est promitti illic Christianis victoribus eam Domini Jesu Christi participationem, quæ ad vitam æternam (à qua primi parentes exciderant, exclusi proinde ab incolatu Paradisi atque usu arboris vitæ) eos omnes perduceret. Suffragatur *Joannes Cluverus*, cujus hæc verba sunt; Homo "cùm à tentatore diabolo seductus victúsq; in ejus potestatem transiisset, Paradiso expulsus, lignóque vitæ vesci "prohibitus est. Revertitur autem ad possessionem priscæ "beatitudinis, quam diaboli fraude invidiâque amisit. "Promittitur enim illi comestio de ligno vitæ in medio paradisi Dei. Manducatio hæc significat restitutionem gaudii, libertatis, & vitæ æternæ per lapsum amissæ, quæ peregrinantibus & militantibus in hoc seculo plenè non contingit. Nondum enim sumus in Paradiso, quantumvis "jus ingrediendi Christus nobis recuperavit.

2 Tim. 1.10.

Proverb. 3.18.

Dilucul. Apocalypt. tom. 2. p. 80. 81, 82.

§ VIII. Pergo jam ad promissionem luculentissimam, quam epistolæ ad Ecclesiam Pergamensem datæ subjicit Dominus, *Ei, qui vicerit, tribuam ut edat ex Manna illo occulto: Et dabo illi calculum album, & in calculo nomen novum scriptum, quod nemo novit nisi qui accipit.* Miræ dulcedinis erat Manna, gustúsq; ejus, ait vetus interpres, quasi similæ cum melle; vel ut *Junius*, ejus sapor velut epichyti ex melle.

Apoc. 2. 17.

Exod. 16. 31.

melle. Quamobrem hîc poni creditur pro illa gaudii ſuavitate quam Chriſtus ſuppeditat: & appellari *Manna abſconditum*, quoniam in Arca recondebantur cœleſtis illius panis reliquiæ, ſicut univerſa Chriſtianorum conſolatio reponitur in ipſo Domino; unde Paulus, *Si qua igitur ſit conſolatio in Chriſto:* vel quia latet irregenitos illa dulcedo, quâ poſt rem bene geſtam victoris animus à Chriſto perfunditur. Unde Solomon, *Animus agnoſcit ſuam ipſius amaritudinem, & in gaudio ejus non miſcebitur extraneus.* Hujuſce verò conſolationis ſcaturigo ſpecialis eſt ſenſus juſtificationis & adoptionis gratuitæ, quarum illa per *album calculum*, hæc per *novum nomen* deſignari poſſe videatur. *Senſum* dico *non actum:* quoniam agitur hîc de præmio ſubſequente victoriam, quam utriuſq; actus præcedit,

Philip. 2. 1.

Prov. 14. 10.

Facilè crediturus eſt abſolutionem à reatu per album calculum ſignificari, quiſquis Ovidiana carmina recoluerit,

Metamorph. l. 15.

Mos erat antiquis niveis atríſque lapillis
His damnare reos, illis abſolvere culpâ:

Unà cum dicto *Alcibiadis*, qui apud *Plutarchum* cuidam ſuadenti ut patriæ judicium de ſe committeret, reſpondiſſe fertur, *Nec matri quidem* μή πως ἀγνοήσασα τὴν μέλαιναν βάλῃ ψῆφον ἀντὶ τῆς λευκῆς, *nè per ignorantiam in ferendo ſuffragio nigrum fortè calculum pro albo injiciat.* In hoc autem, quem tractamus, calculo *novum nomen* inſcribi dicitur, illud ſcilicet filiorum Dei; quia juſtificationi finitima ſemper eſt adoptio, cujus etiam alibi mentio fit à ſummo brabeuta tanquam præmii; verba ſunt, *Victor hæreditario jure obtinebit omnia: & ero ei Deus, & ipſe erit mihi filius. Novum* audit nomen illud ob eam fortè rationem, quia cùm novitas quandam indat rebus præſtantiam & claritatem, poni ſolet ſæpiuſcule *Novum* pro *præclaro* & *Magno*; utì cernere eſt apud ſacros interpretes in illud Pſaltis, *Cantate canticum novum*, & illud Servatoris, *Mandatum novum do vobis.* Quin & apud *Servium*, qui ad nonnulla Maronis loca Novum per præclarum vel magnum interpretatur. ex. gr. ad illud in Ecloga tertia,

Apoc. 21. 7.

Pollio

Pollio & ipse facit nova carmina : ---

Illud in secundo Æneïdos,

--- Tremefacta novus per pectora cunctis

Insinuat pavor --- Illud in quarto,

Quis novus hic nostris successit sedibus hospes ?

Illud etiam in nono,

Macte nova virtute ---

Hoc certè nomen Filii Dei permagnum esse testatur Apostolus, quando sic loquitur, *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, nempe ut filii Dei vocemur.* Quare verò nemo " illud novisse dicitur nisi qui accipit? Quia jus filiorum Dei " irrident qui filii Dei non sunt, quasi jus illud fabulæ essent, " ait *Matthæus Cottherius* in locum. 1 Joann. 3. 1.

Hæc etsi nobis visa sunt haud inconcinna, minimè tamen aliis probantur, eò quòd calculus hîc & inscriptum illi nomen à victore recipiatur; in suffragiis autem ferendis non solebat à reo recipi calculus, sed in urnam conjici. Quocirca illis aliam inire viam placuit: & metaphoras non à re *judiciaria*, sed *agonistica* derivare. *Samuelis Petiti*, qui eorum antesignanus est, verba recitare non gravabimur. Cùm " dicat Dominus victores admissum iri ad epulas Mannæ, " quod sequitur hinc pendet; atq; alluditur ad Hieronica- " rum præmia. Nam Hieronicæ fruebantur epulo publico, " & de publico cœnabant. Non temere autem admitte- " bantur, nisi symbolo fidem facerent se esse τῶν ἱερῶν συσσίτων. " Itâ testatur Dominus se τοὺς νικῶντας publico Mannæ exce- " pturum epulo, & ut ad illud admittantur, se daturum illis " pollicetur calculum album, &c. Hic calculus symbolum " est & tessera, cui nè quis nomen suum inscribat cavetur: " nam in eum incidi à se pronunciat Dominus Nomen no- " vum, quod nemo novit nisi is qui accipit. Suam hanc interpretationem ibidem firmat partim ex codice *Theodosiano*, partim ex *Arethæ* commentario in locum hunc Apocalypticum. Consulant, quibus volupe est doctorum hominum conjecturas expiscari. Variar. lect. lib. 1. cap. 8.

§ IX. Insuper attexenda sunt alia per modum commentarii, in ea quæ ad Ecclesiam Sardensem scripta sunt. *Qui*
Apoc. 3. 5. *vicerit amicietur vestimentis albis. Neque unquam delebo nomen ejus ex libro vitæ; sed agnoscam nomen ejus in conspectu Patris mei, & in conspectu Angelorum ejus.* Amictum candidum non attingo; quoniam infrà, capite scilicet hujus libri postremo, de illo dicendi copiosiùs ansa nobis porrigetur. Verùm ut de *libro vitæ* paulò fusiùs agatur, materiæ non modò suavitas, sed & difficultas allicit.

In more positum erat antiquitus, atq; etiam nunc dierum obtinet, eorum nomina, qui in aliquam dignitatem aut munus electi sunt, ad rei memoriam libris inscribere; unde Romani Senatores appellati vulgò sunt *Patres Conscripti*, & *conscribi* dicuntur *milites*. Hinc in sacris Scripturis ipsi Deo tribuitur ἀνθρωποπαθῶς Liber, in quo extare perhibentur electorum suorum nomina: unde Paulus *Clementem* memorat unà cum reliquis adjutoribus suis, *quorum*, inquit,
Phil. 4. 3. *nomina sunt in libro vitæ. Liber* autem *vitæ* dicitur, quo-
Apoc. 13. 8. 21 ult. niam hîc terminus est ad quem eliguntur, vita scilicet æterna in cœlis perfruenda: alibi verò *Liber vitæ Agni*, quia Christus *caput est electorum*, etsi *non caput electionis*; & ele-
1 Pet. 1. 19. cti non perducuntur ad vitam nisi per sanguinem ipsius, utpote agni inculpati & incontaminati. Hujusce libri *bibliotheca cœlum est:* Indè phrasis Apostolica Ad conventum uni-
Hebr. 12. 23. versalem, & concionem primogenitorum ἐν οὐρανοῖς ἀπογεγραμμένων, qui conscripti sunt in cœlis. In cœlis conscripti esse dicuntur, quotquot ascripti cœlo sunt per æternum electionis decretum.

Jam verò circa librum hunc (ut ad rem quæ præ manibus est accedamus propiùs) duo sunt, quorum Spiritus Christi certiores reddere solet electos. Unum quòd illi inscripta sunt eorum nomina, alterum quòd indè nunquam delebuntur. Quanquam is ego non sim qui existimem electorum quemlibet, simulac regenitus est, & fide imbutus, de suâ statim electione & ejusdem immutabilitate certum fieri: credo

credo tamen victoribus post aliquot propriæ sinceritatis experimenta, crebráq; certamina adversùs hostes spirituales feliciter inita & peracta, de eorum, quæ posuimus, utroque non rarò πληροφορίαν, & sine dubio certitudinem adipisci. De priori verba facit Dominus apud Lucam ad discipulos septuaginta, *De eo nè gaudete, quòd spiritus vobis subjiciuntur*; Luc. 10. 20.
gaudete verò potiùs, quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis. Enimvero absq; hoc si fuisset, post ejecta dæmonia potuissent ipsi inter dæmonas ejici, secundùm illud, *Qui non in-* Apoc. 20. 15.
ventus est in libro vitæ scriptus, conjectus est in stagnum ignis. De posteriori agitur hîc in epistola Dominica ad Sardenses; ubi plùs quàm innuitur æternum electionis decretum nunquam rescindi; & librum vitæ nullius lituræ, nedum indicis expurgatorii capacem esse. Augustinus in illud Psalmographi, *Deleantur de libro viventium. Fratres,* inquit, *non sic* In Psalm. 68.
accipere debemus, quòd quenquam Deus scribat in libro vitæ & deleat eum. Si homo dixit, Quod scripsi scripsi, Deus quenquam scribit & delet?

§ X. Cæterùm nihil horum est quod arridet authori nupero *Redemptionis redemptæ.* Quamobrem, si placet, illius paragraphum unum & alterum ad examen revocabimus. Est, ubi varias affert & urget exceptiones; verùm, si quid ego sapiam, satis invalidas. Primò satagit probare Deo non indignum esse quem inscripserat delere, quia Mosi dicenti *Dele me de libro quem scripsisti,* reponit Dominus, *Qui peccaverit eum delebo.* Respondeo istud quicquid est argumenti non attingere causam: quoniam aliud longè est liber hic de quo *Moses,* ab illo de quo nos impræsentiarum disputamus. Faxim appareat. Cùm vita triplex sit, *naturalis* scilicet, *spiritualis,* & *æterna*; consonum erit sacræ paginæ librum etiam vitæ triplicem assignare, *Physicum*; *Ecclesiasticum,* & *Agninum.* Physicus est, in quo continetur eorum catalogus qui vitâ fruuntur temporali, ex illo delentur qui morte violentâ vel immaturâ excinduntur. Ecclesiasticus, in quo recensentur qui ecclesiæ visibilis membra sunt, utpote vitam

I. G. Ἀπολύτρωσ. cap. 13. § 31.

Exod. 32. 32, 33.

ſpiritualem, vel agentes revera, vel quoad apparentiam. Agninus ille, quem ſuprà deſcripſimus. Primi meminiſſe videtur Pſaltes, ubi ſic loquitur juxta verſionem Piſcatorianam, *Non ſunt occultata oſſa mea à Te, quum factus ſum in abdito; quum artificiosè confectus ſum in imis locis terræ. Embryonem meum videbant oculi tui, & in libro tuo hæc omnia ſcribebantur, imò quum nondum ullum ex eis extaret.* Secundi Prophetæ. Iſaias, *Erit, ut qui relictus fuerit Zione, & reſiduus Hieroſolymis, ſanctus dicatur; quiſquis adſcriptus fuerit vitæ Hieroſolymis.* Ezechiel, *Erit manus mea contra prophetas iſtos qui vident vanitatem, & qui divinant mendacium. In concilio populi mei non erunt, & in deſcriptione domûs Iſraelis non conſcribentur*, vel ut habet vetus interpres, *In ſcriptura domûs Iſrael non ſcribentur.* Davides, *Deleantur de libro viventium, & cum juſtis non conſcribantur.* Catalogus eorum, ait *Zanchius*, qui fidem in Chriſtum profitentur, Liber vitæ & viventium appellatur: quoniam in numero eorum habentur ab Eccleſia, qui ad æternam vitam vocati & electi ſunt. Deleantur de libro, &c. hoc eſt, O Deus, detege horum hypocriſin, & fac ut quales ſint, agnoſcantur; atq; ità è catalogo Sanctorum, qui ſunt in eccleſia, deleantur. Hæc ille. Tertii meminerunt loca Apocalypſeos quæ nos paulò antè citavimus.

Pſal. 139. 15. 16.

Iſaiæ 4. 3.

Ezech. 13. 9.

Pſal. 69. 29.

De Natur. Dei, l. 5. c. 3. col. 583.

Aſſero jam intelligi debere librum vel phyſicum, vel eccleſiaſticum, nunquam verò Agninum, quoties deleri dicuntur aliqui ex libro vitæ. Deleti ſunt *Judas, Arius, Julianus*, & alii ex utroq; libro priori, utì ſatìs notum eſt eis qui hiſtoriam eccleſiaſticam vel à limine ſalutârunt: ſed ex ultimo nemo unquam mortalium deletus, aut delendus eſt. Certè votum *Moſis* non eò tendebat, ut ille vitâ privaretur æternâ pro ſalute ſuorum popularium; ſed ut ipſe potiùs mortem ſubiret temporalem vel acerbiſſimam, quàm ut illi omnes excinderentur.

XI. Ad hanc verò ſententiam ſtatuminandam argui poteſt à contextu. Populus Iſraeliticus, ipſo *Aarone* obſtetricante,

cante, graviſſimam idololatriam parturierat: Eam ultus eſt Dominus, pridie quàm votum hoc conceperat Moſes, immittendo gladium, quo ceciderunt uno die tria millia virorum. Nè totus populus ſimili clade periret funditus, deprecatus eſt eorum Dux, & ſe potiùs occidendum offert, neciq; quantumvis ignominioſæ devovendum, quando dicit *Dele me de libro tuo quem ſcripſiſti*, phyſico ſcilicet: minimè verò, inquit Dominus; *Eos qui peccaverunt delebo de libro meo*, non autem te qui ab iſto idololatriæ reatu temet immunem præſtitiſti. Deinde ab abſurdo ſententiam gravante quæ huic opponitur. Dixit olim ipſa Veritas, *Majorem hac dilectionem habere neminem, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*; ad mortem ſcilicet temporalem eorum vice ſubeundam. Sin autem daretur *Moſen* ſe ad æternum exitium obtuliſſe, ut Judæis ſalutem obtineret, in eo charitatem maximâ majorem repertam fuiſſe ſequeretur. A Pauli deniq; voto parallelo quod ità ſe habet, *Optarim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, cognatis meis ſecundùm carnem.* Si Paulus vovens ſe intra cancellos malorum temporalium continuerit, non eſt credibile Moſen eos tranſiliiſſe: plùs enim ſub evangelio charitas efferbuit quàm ſub lege. De utroque ſic è veteribus Hieronymus: "Si conſideremus Moſis vocem rogantis Deum pro populo Judæorum, atq; dicentis, Si dimittis eis peccatum ſuum, dimitte; ſi autem non vis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti: perſpiciemus eundem & Moſis & Pauli erga creditum ſibi gregem affectum: Paſtor enim bonus ponit vitam ſuam pro ovibus. --- Hoc ipſum eſt dicere, Optabam anathema eſſe à Chriſto, & dele me de libro quem ſcripſiſti. --- Perire cupit Paulus non in perpetuum ſed impræſentiarum. --- Vult Apoſtolus perire in carne, ut alii ſalventur in Spiritu: ſuum ſanguinem fundere, ut multorum animæ conſerventur. Quòd autem anathema interdum occiſionem notet multis veteris inſtrumenti teſtimoniis probari poteſt. Hæc ille.

Exod. 32. 28.

Ibid. verſ. 32, 33.

Joan. 15. 13.

Rom. 9. 3.

Epiſt. ad *Algaſiam* quæſt 9

Quin & audiantur de Paulo sigillatim alii quidam è recentioribus. Inter exteros *Joh. Michael Dilherus*, qui postquam docuisset pluribus anathemata dici res sacras, & maximè homines sacros, qui quoties imminentis iræ divinæ signa aderant, mitigandæ & avertendæ illius causâ, vel voluntariè sese ad victimam offerebant, vel à populo universo ad hoc destinabantur; Paulum adducit in exemplum hisce " verbis; Quando magnitudinem amoris sui & calidum er- " ga Judæos affectum Romanis vult exprimere, verbum " hoc anathema illis tanquam rituale non incognitum, de se " usurpat; juxta quosdam innuens, quòd tanto in Judæos " amore flagret, ut pro eorum salute homo sacer sive ana- " thema fieri, hoc est, ipsorum incolumitatem ac salutem " morte suâ redimere, voti sui summam ducat. Inter nostrates doctissimus *Hammondus*, qui in scholiis suis, postquam Ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ interpretatus est per excommunicari à corpore Christi, quod est Ecclesia: (qua de re *Grotius*, cujus ille vestigiis insistit, ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ id est, inquit, ab ecclesia Christi, quæ Christus vocatur, 1 Cor. 12.12. Gal. 3. 27. Sicut mos erat apud Hebræos, uxores vocari de mariti nomine, *Esaiæ* 4. 1.) postquam etiam asseruisset in ecclesiæ Christianæ primordiis excommunicationis pedissequam fuisse traditionem Satanæ, & illius comitem ὄλεθρον σαρκὸς, interitum carnis, id est, corporis perpessiones longè gravissimas: istam loci Paulini expositionem firmat ex collatione dicti cujusdam *Ignatii* Martyris, in sua ad Romanos epistola, scilicet Κόλασις τοῦ Διαβόλου ἐπ' ἐμὲ ἐρχέσθω, μόνον ἵνα Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐπιτύχω. *Veniat in me punitio diaboli, modo possim Jesu Christo* " *frui*: ubi, inquit, per κόλασιν τοῦ διαβόλου intelligi nequaquam " debent pœnæ infernales, utpote quæ non sunt omnino ad " Jesu Christi fruitionem ordinabiles; sed quæcunq; infligi " possent vel à dæmonibus pœnæ temporales ad mortem " usque. Consulat, si velit, Lector quæ sequuntur ibidem de Mose, déq; libro vitæ lectu dignissima, & eis planè consentanea quæ nos hisce chartis illevimus.

Disput. Academic. Tom. 1. p. 436.

§ XII.

§ XII. Ab authore nominatissimo, quicum mihi præsens hoc intercedit negotium, proximus qui adducitur locus, ipsissimus est quem nos prosecuti sumus hactenus ex Apocalypseos tertio. Ecclesiæ, inquit, Sardensi pollicetur Dominus nolle se delere eum qui vicerit ex libro vitæ: ergò supponit solere hoc fieri, saltem posse. Respondeo locum hunc pro nobis facere, quoniam asserit inibi Christus nolle se quem inscripserat delere. *Grotius* apposite οὐ μὴ ἐξαλείψω τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐκ τῆς βίβλου τῆς ζωῆς, id est, inquit, *Jus habebit ad vitam æternam, & ipse id intra se sentiet.* Et paulò pòst, Est autem hîc λιτότης· nam οὐ μὴ ἐξαλείψω dicitur pro *diligenter asser-* Annot. posthum. ad Apocal. 3. 5.
" *vabo.* Sed frustrà, inquit vir doctus, illud polliceretur
" Christus, quod fieri non potuit. Minimè verò non frustrá: quoniam ejusmodi promissiones eò spectant, ut fideles reddantur certiores de illa perseverandi infallibilitate, & pro illa majori gratitudine repleantur.

" Excipit tertiò, falli nostros theologos circa notionem
" libri vitæ; eúmque nihil aliud esse præter generale Dei
" propositum circa salvandos, non quoad ipsorum nomina,
" sed qualitates: adeò ut qui credunt, quamdiu credant, di-
" ci possunt inscribi libro vitæ, & ex eo deleri si quando fide
" suâ excidant. Sed, quod pace illius dictum velim, hoc non est Scripturam exponere, sed diluere. Nam inscriptio nominum apertissimè significat electionem personarum, singularium inquam personarũ, idq; quà personæ sunt, non quà induti his vel illis qualitatibus. Certè vox ὀνόματα in sacris literis sæpissime pro personis sumitur, κατ' ἀριθμὸν ὀνομάτων juxta numerum nominum, id est, hominum & alibi multoties. Numer. 1. 2. Act. 1. 15. Apoc. 3. 4. & 11. 13.

" Excipit quartò, contra totum argumentum quod urgere
" solent nostri à libro vitæ, asserens satis confidenter, Plus
" illi frontis esse quàm cordis. Cujus dicterii pœnas luat in hoc responso, Egregiæ scilicet artis est ridere quod non potes solvere.

§ XIII. Alibi pugnat idem vir doctus exemplo *Judæ* Ἀπολύτρωσ, cap.14 § 15. & cap.15 § 9.
" proditoris, qui cùm aliquando fuerit inter electos, evasit

" filius

" filius perditionis, atque adeò deletus est de libro vitæ, " etiam eo quem Agninum diximus. Inter electos eum fu- " isse colligit ex eo, quod dictum est Judæ æquè ac reliquis
Matth. 19. 28. " Apostolis, paratum illi fuisse thronum, *Amen dico vobis " qui secuti estis me; in regeneratione, cùm sederit filius homi- " nis in throno gloriæ suæ, sedebitis & vos etiam in thronis duo- " decim, judicium ferentes de duodecim tribubus Israelis.* Ecce thronos duodecim, nè deesset vel uni in quo sederet. Extorquebo illi, si possim, hunc mucronem: & posse quidem mihi videor, si negem innui præmium æternæ vitæ per thronos istos; cùm hoc tantùm sibi velit Servator, fore ut in illo die tribus Israelis judicentur secundùm ea quæ duodecim Apostoli in Judæa prædicaverant: hoc enim sensu & non alio judices futuri sunt Apostoli. Jam verò quoniam ea, quæ *Judas* docuit, eadem erant & æquè sana çum documentis reliquorum, ideo etiam illi thronus assignatur: sed respectu doctrinæ tantùm, non personæ. Probè notandum,
Harmon Evang c. 173. " ait *Joh. Gerhardus* quòd in hac promissione non tam ad " personas, quàm ad officium Apostolicum respectus ha- " beatur.

Verùm (ut indulgeamus adversariis telum paulò acuminatius, quod ipse non torquet eò loci) fortiùs stringit quod ex ore Servatoris occurrit apud *Lucam* Evangelistam, ubi promittitur ulterius quid, & quod cœlestem omnino gloriam indigitat, eisq; solis proprium est, quos nos electos ap-
Luc. 22. vers. 28, 29, 30. pellamus. Verba sunt, *Vos ii estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Ego verò paciscor vobis, prout pactus est mihi Pater meus, regnum; ut edatis & bibatis in mensa mea, & sedeatis super thronos judicium ferentes de duodecim tribubus Israelis.* Ecce præter thronos regnum, & accubitum ad mensam cum Christo Domino in regno. Sed respondeo *Judam* hîc non intelligi; neq; enim totius numeri mentio fit, ut in loco superiori, ubi memorat thronos duodecim, cùm hîc indefinitè tantùm dicat, *Sedebitis super thronos:* neque spectat promissio ad omnes Apostolos, sed ad eos solos

los, qui cum Christo in tentationibus suis permansissent; quod nequam iste non fecerat: tunc enim cum ista dicebantur proditionis pactum inierat. Imò si consulatur series historiæ evangelicæ, constabit, opinor, Judam tum, cùm hæc à Christo prolata sunt, non adfuisse. Dixerat Dominus paulò antè, ut patet ex ejusdem capitis Lucæ nimirum vicesimo secundo, versu vicesimo primo, *Ecce manus ejus, qui me prodit, mecum est in mensa.* Hac autem occasione data est Judæ offula, quâ sumptâ ille *statim exivit*, ut testatur *Joannes*. Quod si factum sit (utì factum fuisse certo quidem proximum est) ante horum verborum prolationem; tum ad solos undecim, qui præsentes erant, pertinet hæc Christi promissio, non ad Judam qui exierat. Nè ego solus esse videar in hac sententia, testimonium scriptoris inter Pontificios haud ignobilis producere liceat. Is est *Martinus Eisengreinius*, qui, postquam dixerat, Christus Dominus discipulis suis revelavit ipsos esse electos, & post hanc vitam perpetuâ felicitate donandos, quando ad illos dixit, Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlis; mox adjungit, Apostolis quoq; suis peculiariter hujusmodi revelavit, quando *segregato ab illis Judâ*, Spiritum sanctum ipsis promisit, qui mansurus esset cum ipsis in æternum. Et rursum quando ad ipsos dixit, vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi Pater.

Joan. 13. 30.

De certitud. gratiæ tractat. Apologetic. p. 139. & 140.

§ XIV. Nondum plenè defuncti sumus integro præmio quod Sardensibus, modò se victores præstarent, pollicitus est Christus Dominus. Superest adhuc novissima clausula quàm brevissimè discutienda. Καὶ ἐξομολογήσομαι τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐνώπιον τοῦ Πατρός μου, καὶ ἐνώπιον τῶν ἀγγέλων αὐτοῦ.

Duos actus includunt ista vocabula ὁμολογεῖν & ὁμολογεῖσθαι· agnitionis unum, quem aperit *Beza*, dum Christi dictum apud Matthæum, Πᾶς ὅστις ὁμολογήσει ἐν ἐμοὶ ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, ὁμολογήσω κἀγὼ ἐν αὐτῷ ἔμπροσθεν τοῦ Πατρός μου, τοῦ ἐν οὐρανοῖς, ità vertit & versionem suam tuetur, *Quisquis agnoscet me coram*

Matth. 10. 32.

ram hominibus, agnoſcam & ego eum coram Patre meo qui eſt in cœlis. Laudationis alterum, quem exprimit Apoſtolus ad
Hebr.13.15. Hebræos, *Per ipſum aſſiduè attollamus ad Deum ſacrificium laudis*, id eſt, *fructum labiorum celebrantium nomen ejus*, καρπὸν χειλέων ὁμολογούντων τῷ ὀνόματι αὐτοῦ.

Actum hunc utrumq; ſancti Chriſto exhibent; priorem in Cantico Canticorum, ubi Sponſa, præmiſsâ Chriſti pro-
Cantic.5.16. ſopographiâ metaphoricâ, ſtatim exclamat, *Hic eſt dilectus meus, & Hic amicus meus O Hieroſolymitanæ.* Poſteriorem in Apocalypſi, ubi quatuor animalia & viginti quatuor Seniores prociderunt in conſpectu Agni, & cecinerunt canti-
Apoc. 5. 8, 9, 10. cum novum, dicentes, *Dignus es qui accipias librum, & aperias ejus ſigilla: quoniam mactatus es, & redemiſti nos Deo per ſanguinem tuum, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione: & feciſti nos Deo noſtro Reges & Sacerdotes; & regnabimus in terra.* Utrumq; victoribus rependet Chriſtus in die noviſſimo. Siquidem eos non tantùm agnoſcet, & benedi-
Matth. 25. verſ.34, 35, 36. ctos Patris ſui nominabit, ſed laudabit inſuper dicens, *Eſurientem me paviſtis, ſitientem potâſtis, peregrinum excepiſtis, nudum amiciviſtis, ægrotum viſitâſtis, & incarceratum adi-
Ibid. verſ.21. iſtis.* In eodem etiam capite occurrit fauſtum illud, *Euge ſerve bone & fidelis.* Laudari à laudatis & coram laudandis, ea demum ſolida laus eſt. Fiet hoc à Domino Jeſu, ídque
Plutarch. in Themiſtocle. *coram Patre & coram Angelis ejus.* Refert Plutarchus *Themiſtoclem*, dum agebantur ludi Olympici, in ſtadium perveniſſe; ſpectatores autem contemptis certatoribus ſolum Themiſtoclem collaudâſſe, totúmq; diem oculos in illum defixiſſe: adeò ut ille lætitiâ perfuſus ad amicos dixerit, *Satìs ſe fructûs ſuorum pro Græcia laborum ſuſceptorum percepiſſe.* Quàm non pœnitebit victorem Chriſtianum ad ſudorem, imò ad ſanguinem uſque dimicâſſe, cùm in illa panegyri Angelorum & hominum electorum ſe ab omnibus agnitum, omnibúsq; acceptum ſentiet? Idem ſcriptor celeberrimus
Id. in Alexandro. *Alexandrum* tradit *Achillem* beatum prædicâſſe, *quòd & dum viveret fidum amicum* (Patroclum ſcilicet) *& poſt fata nactus*

nactus esset magnum præconem, scilicet Homerum. O te beatum, Christiane, qui amico jam uteris Deo, olim Christo fruiturus Encomiaste! Alius inter Ethnicos vir primarius hanc voti sui summam esse professus est, *Placere vivus vellem, laudari mortuus.* Macte esto, miles Jesu, virtute tuâ (vel illius potiùs cujus te militem profiteris) age fortiter usq; ad finalem victoriam; & te certo certiùs ipse Dominus in extremo judicio collaudabit.

Cap. III.

Explicans ἐπινίκια quædam Apostolica.

Ἐπινίκιον primum ex 8° ad Romanos. *Expositio commatum 35 & 37, præcipuè verbi ὑπερνικῶμεν* Sect. 1, 2. *Ponuntur Electio & Justificatio ut duo fundamenta victoriæ Christianæ, ex parte Dei, & disquiritur obiter utrùm electi justificentur actualiter ab æterno* Sect. 3, 4. *Ejusdem victoriæ fundamenta ex parte Christi, ipsius mors, resurrectio, sessio ad dextram Dei & intercessio declarantur* Sect. 5. *Ex parte verò fideliũ præsens sensus amoris divini, quem illustrant experimenta* Pauli, Arnulphi, Pomponii Algerii Sect. 6. *& futuræ dilectionis certa persuasio, in qua pertractanda ex duobus ultimis versiculis octavi illius capitis ad* Romanos *quæritur primò, Quænam sit illa dilectio Dei in Christo Jesu; secundò, Quænam illæ, sive personæ, sive res quibus illic adimitur potestas separandi electos ab illa*

 dilectione.

dilectione Sect. 7, 8. Ἐπινίκιον *alterum* 1 Cor. 15. *circa finem. Quid sit Mors & Hades* Sect. 9. *Quo sensu peccatum aculeus mortis, & lex virtus peccati dicatur* Sect. 10. *Victoria nostra per Christum de morte.* Gerardus Bernardi frater & Wolfangus Musculus *in exempla producuntur* Sect. 11. *De Hade, ubi contra* ψυχοπαννυχίαν. *Vindicatur parabola* Lucæ 16. Sect. 12. *De peccato. Perstringitur* Castellio, *laudatur* Spanhemius Sect. 13. *De lege. Illustratur locus* Coloss. 2. 13, 14. *Dictum* Lutheri *unum & alterum allegatur* Sect. 14. Ἐπινίκιον *tertium ex* 2 Tim. 4. 6, 7, 8. *Quid sibi velit Paulinum* σπένδομαι *illìc*, & Philip. 2. 17. *quid* ἀνάλυσις. *Molliores Mortis appellationes* Sect. 15. Τὸν ἀγῶνα τὸν καλὸν ἀγωνίζεσθαι, δρόμον τελεῖν, πίστιν τηρεῖν *quid significent in illo ad* Timotheum *loco. Quid* τρέχειν ὡς οὐκ ἀδήλως 1 Cor. 9. 26. *quid* ὄγκος & εὐπερίστατος ἁμαρτία. Heb. 12. 1. Sect. 16, 17. *Quare præmium cæleste coronæ nomine insignitur*, Sect. 18. *De justitia Christi quâ parta est nobis hæc corona, & justitia Dei ex qua donata* Sect. 19, 20. *Ubi reposita est fidelibus, & an amisibilis sit.* Apoc. 3. 11. *Perpenditur* Sect. 21.

§ I. QUæ in Veteri testamento continentur ἐπινίκια, victorias civiles & externas plerumque respiciunt: quæ in Novo, spirituales. Mihi animus est, ut quæ illuc spectant in luce clariori sita sint, ex epistolis Paulinis nonnulla decerpere, & iisdem illustrandis operam dare. Ab illo lubens

bens ordior, quod in ſectione noviſſima capitis octavi ad Romanos victoriam Sanctorum hyperbolicam, unà cum ejuſdem fundamentis ex parte tum Dei, tum Chriſti, tum etiam fidelium nobis exhibet. Ipſam hæc præ ſe ferunt verba, Ἐν τούτοις πᾶσιν ὑπερνικῶμεν, *In his omnibus ampliùs quàm victores ſumus.* Rom. 8. 37.

Agitur hîc de perpeſſionibus, quas ſic paulò antè enumeraverat, *Afflictio, anguſtia, perſecutio, fames, nuditas, periculum, gladius.* Interdum coacervata fuerunt iſthæc omnia in eorundem Chriſtianorum capita per tyrannos adversùs modò natam eccleſiam ſævientes. Ut inter triturandum ictu multiplici teruntur grana, ſic illi multiplicatis afflictionibus; id θλίψις innuit. In eas conjecti ſunt anguſtias, ut neſcirent quò ſe verterent; id eſt, στενοχωρία. Solùm tamen vertere coacti ſunt; id ſignificat διωγμὸς hîc ſecundùm *Piſcatorem*; tyrannicam ſcilicet violentiam eorum qui pios in exilium exegerunt, ut iis nuſquam tuta ſedes fuerit. In exilio conſtituti famem cum nuditate paſſi, & exinde periculum. Tandem gladio percuſſi ſunt, prout indicat locus è Pſalmo citatus, *Tui causâ occidimur totum diem, reputati ſumus velut oves deſtinatæ mactationi.* Ibid.vers.35. Ibid. verſ. 36.

Dicit verò non ſimpliciter νικῶμεν ſed ὑπερνικῶμεν, pluſquam victores ſumus, egregiè ſeu excellenter ſuperamus, vel, ut olim vertit Cyprianus, *Supervincimus:* ídque,

Primò, quoniam etiam morientes ſuperabant carnifices ſuos; cùm in præliis vulgaribus non victores ſed victi reputantur quotquot intercidunt. Apoſtolus hîc uno quaſi ſpiritu θανατούμεθα dicit, & ὑπερνικῶμεν, *Occidimur,* & *pluſquam vincimus. Noſtri,* (ait Lactantiùs) *ut de viris taceam, pueri & mulierculæ tortores ſuos taciti vincunt, & expromere illis gemitum nec ignis poteſt.* Cyprianus, *Fortior fœmina viris torquentibus invenitur.* Et alibi, *ſteterunt torti torquentibus fortiores. pulſantes & laniantes ungulas pulſata & laniata membra vicerunt.* Hoc autem in genere vix eſt, opinor, aliud celebrius, quàm quod de *Marco Arethuſio* ſene, qui ſub Juliano Lib. 5. c. 13. De habitu virgin.. De Lapſis. Orat. adverſ. *Julian.* 1. p. 89. & 92.

 paſſus

" passus est, refert *Gregorius Nazianzenus*. Superior, in-" quit, iis erat à quibus tenebatur, adeóq; à doloribus & " molestiis remotus, non aliter ac si alienis periculis inter-" esset; suppliciúmque pompam, non calamitatem esse du-" ceret. Quibus perspectis, is, qui tum Hyparchi munere " fungebatur, multiplicem hominis cruciatum & toleranti-" am non ferens, ad Imperatorem liberè dixisse memoratur, *Non nos pudet, Imperator, usque adeò Christianis omnibus inferiores esse, ut nè senem quidem unum superare potuerimus, per omnia tormentorum genera grassatum? Et quem vincere haud magnum & honorificum, an non extremæ calamitatis est ab eo victos discessisse?*

Secundò, quoniam victores evadunt absq; aliquo damno notabili. Magno interdum constat in militia vulgari pusilla victoria. Postquam Epirotarum Rex *Pyrrhus* cum ingenti suorum clade Romanum exercitum superaverat, cuidam successum gratulanti dixisse fertur, *Vicimus quidem: sed si nobis altera talis victoria contingeret, omnino funditus perderemur.* Non ità genuini spiritûs milites verè Christiani, qui sub cruce laborantes non ampliùs damni patiuntur, quàm aurum in fornace, quod non nisi scoriam; aut corpus naturale post debitum usum Catharticorum, quod non nisi noxios humores deperdit: teste Prophetâ, qui de cruce populi
Isai. 27. 9. Dei, *Hac*, inquit, *re expiatur iniquitas Jacobi, & hic est totus fructus, ut amoveat peccatum ejus.*

Tertiò, quoniam præter victoriam ingens aliquod lucrum reportant, & opimis plerumq; spoliis onusti redeunt; sanctitatis scilicet & justitiæ, juxta dictum Apostoli lucu-
Heb. 12. 10, 11. lentissimum. *Castigat nos Deus ad commodum nostrum, ut participes simus sanctimoniæ ipsius. Omnis autem castigatio in præsens quidem non videtur esse gaudii sed tristitiæ: at postea fructum tranquillum justitiæ reddit iis qui per eam fuerint exercitati.* Ubi verba novissima sunt, ὕστερον δὲ καρπὸν εἰρηνικὸν τοῖς δι' αὐτῆς γεγυμνασμένοις ἀποδίδωσι δικαιοσύνης. Illa *Petrum Fabrum*, virum profectò nasutissimum in eis omnibus adorandis, quæ in

in sacris literis aut alibicunque rem spectant gymnasticam, permoverunt, ut ad eam etiam hîc alludi suspicaretur. Ex oleastro confici solebant coronæ, quibus donati sunt victores in agonibus Olympicis. Is insigne pacis habitus est; unde illud Virgilii,

Paciferæque manu ramum prætendit olivæ. Æneid. 8.

" Hisce præmissis, Parùm abest, ait *Faber*, quin asseram, " fructûs pacifici iis qui se laboribus athleticis (de quibus an- " tea egerat) exercuissent parati vocabulo, coronam oleagi- " nam B. Paulum intellexisse; indéq; translationem ad æter- " na præmia ducere voluisse, in epistolæ ad Hebræos capite duodecimo. *Pet. Fabri* Agonistic. l. 2. cap. 22. p. 182.

§ III. Victoriæ hujus hyperbolicæ ex parte Dei duo ponuntur fundamenta, nimirum Electio & Justificatio. *Quis intentabit crimina adversùs electos Dei? Deus est qui justificat.* Fuit, & est intentatio criminum (quod est propriè διαβάλλειν) magna pars artificii diabolici. Ex omni enim memoria (ait noster *Juellus* non procul ab initio Apologiæ verè gemmeæ) vix ullum tempus invenire possumus, vel " crescentis, vel constitutæ, vel renascentis religionis, quo " non veritas atq; innocentia indignis modis ab hominibus " & contumeliosissimè acciperetur. Quin & paulò pòst; " Quis nescit quæ olim convitia jacta fuerint in Patres no- " stros, qui primi cœperunt agnoscere & profiteri nomen " Christi, illos inter se conspirare, & occulta consilia inire " contra Remp. & eâ causâ antelucanis horis inter se in te- " nebris convenire, occidere pueros infantes, explere se " humanis carnibus, & ferali ritu bibere humanum san- " guinem ? &c. Rom. 8. 33.

Adversùs ejusmodi criminationes vix ullum præsentius antidotum est, quàm Electionis & Justificationis recordatio: unde apud *Zechariam*, ut *Jehosuam* Sacerdotem, cui stabat Satanas ad dexteram instar accusatoris, erigeret Dominus, in sua diaboli objurgatione mentionem facit Electionis valde emphaticam. *Increpet Jehova te, ô Satan, increpet, inquam, te Jehova* Zech. 3. 1, 2.

Jehova qui elegit Jerusalem. Pariter & Justificationis *Tertullianus* in ipso calce Apologetici sui pro Christianis adversùs Gentes, cujus hæc ultima verba sunt, *Cùm damnamur à vobis, à Deo absolvimur.*

§ IV. Cæterùm (ut hîc etiam aliquid disputatrici Theologiæ indulgeatur) ex eo, quòd Deus in isto ad Romanos loco Electos justificare dicitur, sunt qui colligunt justificari eos quando eliguntur; & Electioni, quam æternam agnoscunt, coævam esse Justificationem. Cùm ea controversia nostratibus hodie facessat plurimùm negotii, brevem attexere disquisitionem non pigebit super hâc quæstione, *Utrùm scilicet Electi justificentur actualiter ab æterno.*

Prima thesis hæc esto. Æterna Dei intentio decernentis hunc aut illum justificare non magìs habenda est pro actuali justificatione, quàm propositum condendi mundum, aut mittendi Christum in carne dici possit Creatio, vel Incarnatio.

Secunda, notionem duplicem subire potest Electorum quilibet, & illi sub utraq; competit actualis quædam justificatio. Prior est qua spectatur in persona communi, Christo scilicet qui caput electorum est & fidejussor. Atq; sic illi omnes quos Filio suo dederat Pater ab æterno, justificationem, eámq; sano sensu actualem adepti esse videantur tunc temporis, quando ipse Christus *justificatus est in Spiritu*; nempe cùm resurrexit à mortuis, & absolutus est ab omni illo reatu, quem ut Vas & Sponsor noster sustinuit. Justificatus Christus dicitur, ait *Parkerus*, *cùm resurrexit*, 1 Tim. 3. 16. *nósque in eo resurgente justificati*, Rom 4. ultimo; *quia ista solutio*, i. e. *suscitatio Patris, actualis Justificatio fuit; Illius quidem à peccatis aliorum, pro quibus satisdederat; nostrûm verò à peccatis propriis, pro quibus ille vadimonium præstitit.*

De descensu ad inferos lib. 3. § 30 p. 59.

Tertia thesis; Posterior est quà spectatur in persona sua propria. Atq; sic cuilibet Electorum contingit duplex Justificatio actualis, una *declarativa*, altera *formalis*. Declarativa

rativa dicitur illa, quâ justificantur vel *in foro mundi* coram hominibus, vel *in foro conscientiæ* coram semetipsis. Formalis, quâ *in foro cœli* coram Deo.

Quarta, In proposita nuper quæstione intelligi debet harum ultima, juxta regulam Scholasticorum, *Analogum per se positum stat pro famosiore analogato.* Sensus autem famosior is est, quem Paulus exhibet in epistolis ad Romanos & ad Galatas, ubi disputat procul omni dubio de formali peccatoris justificatione coram Deo, per & propter Christum fide apprehensum; non declarativâ: quoniam ea quæ est in foro mundi fit coram hominibus, ídq; per opera, non per fidem; ea quæ in foro conscientiæ non tam coram Deo, quàm coram nobismet ipsis.

Hisce qualitercunq; prælibatis paulò jam confidentiùs assero, Electos actualiter justificari non ab æterno, sed in tempore: rationes autem hæ sunt,

Prima, Formalis Justificatio fit per fidem. *Et nos credidimus in Jesum Christum*, ait Apostolus, *ut justificaremur ex fide Christi.* Præcedit itaq; justificationem fides, quæ magna pars est sanctificationis: Eam verò fatentur omnes subjectari in creatura rationali jam actualiter existente: ut ut enim ad electionem sufficiat objectum *in esse cognito*, requiritur tamen ad sanctificationem objectum *in esse physico* æquè ac cognito. Gal. 2. 16.

Secunda, Quia Justificatio in ordine naturæ sequitur efficacem vocationem, prout Paulus testatur eò loci, ubi quasi datâ operâ suum beneficiis supernaturalibus naturalem ordinem assignat; *Quos prædestinavit, eos & vocavit; quos vocavit, eos & justificavit; quos justificavit, eos & glorificavit.* Jam verò efficacem vocationem nemo dixerit æternitate mensurari, sed tempore, secundùm illud, *Præstituto tempore accepto exaudivi te, & in die salutis succurri tibi. Ecce nunc est præstitutum tempus, ecce nunc dies salutis.* Rom. 8. 30. 2 Cor. 6. 2.

Tertia, Nullus actus transiens est ab æterno; hoc enim illud est, per quod differt ab immanente. Justificatio est actus

De Reconcil. peccator. part. 1. lib. 1. c. 3. § 12. & 16.

Dei transiens. Ergò. Testem hîc advoco *Wottonum* nostrum. "Sciendum est, inquit ille, unam prædestinationem ex iis "omnibus Dei actionibus, quæ ad salutẽ nostram pertinent, "actionem esse in Deo immanentem: reliquas, cujusmodi "sunt Justificatio, Sanctificatio, Adoptio, & quæ has ferè "universas complectitur Redemptio, in transeuntibus Dei "actionibus numerari. Nam hæ quidem omnes & singulæ "ponunt aliquid vel physicè, vel moraliter saltem, in justi- "ficatis, adoptatis, redemptis: de prædestinatione verò tri- "tum est in scholis, Eam nihil ponere in prædestinato.

Quarta, Si esset ab æterno, tum omnes electi simul & semel justificarentur, quia non datur in æternis prius & posterius; verùm hunc priùs, illum posteriùs justificari sic probatur. Qui priùs est in Christo quàm alius, ille priùs alio justificatur: enimvero in Christo esse est participem fieri illius justitiæ per quam justi constituimur, utì patet ex quinto ad Romanos; dicit autem Apostolus de *Andronico & Junia*,

Rom. 16. 7. Οἳ καὶ πρὸ ἐμοῦ γεγόνασιν ἐν Χριστῷ, *Qui etiã ante me fuerunt in Christo.*

§ V. Fundamenta ex parte Christi posita, recensentur in ejusdem capitis versu tricesimo quarto, *Quis est qui condemnet? Christus is est qui mortuus est, imò verò qui etiam resurrexit, qui etiam est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Sunt autem numero quatuor.

Primum, Mors Christi, quæ ut ad alia, (de quibus alibi) ità, quod hîc proximè respicitur, ad calamitates superandas plurimùm valet. Siquidem ut injecto ligno aquæ *Marah*, sic per lignum crucis dulcescunt perpessiones acerbissimæ. Cruces nostras crux Christi per fidem apprehensa, ut *Aaronis* virga virgas Magorum facilè devorat. Vide sis, Lector, quæ nos hac de re suprà diximus, libri secundi capite sexto, paragrapho item sexto.

Secundum, Ejusdem resurrectio, utpote quam aliquoties nostræ etiam è miseriis, quibus premi solet Ecclesia, suscitationis exemplar & arrham sacræ literæ constituunt. Id ex duobus præcipuè locis palàm fiet. Prior extat apud Hoseam,

am, ***Agite, revertamur ad Jehovam; ipse vitæ restituet nos post biduum***, id est, interprete *Drusio*, è morte calamitatum revocabit nos in vitam facilem ac tranquillam, omniúmque perturbationum expertem. ***Die tertio excitabit nos, & vivemus coram ipso.*** Sunt qui hîc multa philosophantur de die tertio, in quo sauciatis plurimùm dolere solent vulnera, utì olim *Sechemitis* post excisa præputia; & quem medici criticum diem appellant, unde morbo laborantibus in votis est ut tum meliùs habere incipiant. Sed altiùs ascendit allusio prophetica, respicítque tunc futuram Messiæ resurrectionem die tertio, non obstante Judæorum obvoluto lapide, impresso sigillo, & excubias agente satellitio. Pari enim modo post modicum temporis, post diem quasi unum & alterum è sepulchro suarum calamitatum resurget Ecclesia, quam ità loquentem introducit alius propheta, ***Nè lætator inimica mea de me, quum cecidero surgam: quum sedero in tenebris, Jehova illucescet mihi.*** Posterior occurrit in Apocalypsi, ubi de occisis Testibus perhibetur, quòd ***Post dies tres & dimidium, Spiritus vitæ à Deo intravit in eos, & steterunt super pedes suos, & timor magnus cecidit super eos qui viderunt.*** Factâ procul omni dubio allusione ad Christi "mortem & resurrectionem. Illiùs siquidem mors censetur "triduana, partibus dierum Synechdochicè sumptis. Illis "si addatur nox quâ fuit captus, & Judæis traditus, computari poterunt tres dies cum dimidio. Tunc vivificatus "Spiritu Dominus perterruit custodes sepulchri, &c. Hinc "quia ipsius vivificatio omnium nostrûm est, verba desumpsit propheta, eáq; suo instituto accommodavit. Ità *Cluverus* in suo diluculo.

Hos. 6. 1, 2. Genes. 34. 25. Mich. 7. 8. Apoc. 11. 11. Tom. 3. p. 61.

Tertium, Est ipsius ad dexteram Dei sessio, quæ cùm *dextera* sit, & vocetur, *potentiæ* apud Evangelistam, ac *majestatis* apud Apostolum, arguit ibi sedentem Christum eâ majestate pariter & potestate præcellere, quæ ad clientes suos protegendos, & hostes ecclesiæ confringendos abundè sufficiant. Conferatur velim Psalmi centesimi decimi versus

Luc. 22. 69. Heb. 1. 3.

primus, *Dixit Dominus Domino meo, sede ad dexteram meam, donec disposuero inimicos tuos in scabellum pedum tuorum*, cum ejusdem hymni versu quinto. *Dominus qui sedet ad dexteram tuam, frangens die iræ suæ Reges.* Et cum Psalmi centesimi noni, versu ultimo, penultimóque, *Celebrabo Jehovam valde ore meo, & in medio multorum laudabo eum, Quòd assistat ad dexteram egentis, ut ipsum conservet ab iis qui abjudicant vitam illi.* Quisquis es pauper spiritu, (miles Chri-
Zechar. 3. 1. stiane) stet licèt Satanas ad tuam, utì olim ad summi sacerdotis dexteram; quoniam is, qui ad dexteram Dei sedet, non dedignatur ad egentis dexteram consistere; bono sis oportet animo: nam in tuto permanebunt omnia, túq; tandem victor, in throno Christi sessurus es, prout ipse pollicitus
Apoc. 3. 21. est, dicens, *Qui vicerit, tribuam ei ut sedeat mecum in throno meo, ut & ego vici, & sedeo cum Patre meo in throno ejus.* Quod in memoriam mihi revocat *Alexandri Magni* factum nobile; cùm ipsius exercitus (referente *Curtio*) frigore propè concretus inerraret sylvis, lassatáq; passim humi miles corpora prosterneret, fortè *Macedo* gregarius miles séque & arma ægrè sustentans tandem in castra pervenerat. Quo viso Rex, quanquam ipse tunc maximè admoto igne refovebat artus, ex sella sua exiliit, torpentémq; militem & vix compotem mentis, demptis armis in sua sede jussit considere. Ille diu nec ubi requiesceret, nec à quo esset exceptus agnovit. Tandem recepto calore, ut regiam sedem, Regémq; vidit, territus surgit. Quem intuens Alexander, *Ecquid intelligis miles*, inquit, *quantò meliore sorte quàm Persæ sub rege vivatis? Illis in sella Regis consedisse capitale foret, tibi saluti fuit.* Certè nobis in throno Christi sedere non minùs erit salutare, quàm honorificum. Superest

Quartum, Christi scilicet Servatoris apud Patrem Interpellatio. Si Reginæ *Estheris* interventu, quæ toti populo Judæorum imminebat laniena, ab eorum omnium capitibus propulsata fuerit; quid exitii imò vel detrimenti non amolietur ab ecclesia dilecti Filii apud Patrem in cœlis intercessio?

tercessio? Illic *pro nobis comparere* dicitur Christus; Ità tamen ut nihil illi nunc in sublimi posito servile tribuendum sit, post exutam servi formam. Quem in finem, nè fortè sequiùs quàm par est cogitet Lector de hac Christi Domini interpellatione, libet octastichum hîc adjungere, quod ex *Hildeberti* cujusdam poemate citat *Espencæus*; Hebr. 9. 24.

Digress. de Christo Mediatore p. 284.

Hac prece pro nobis, hac sedulitate precatur
Christus, ut Angelicum transeat intuitum.
Nescitur quantum sumpta præsentia carnis
Possit apud Patrem; quid sine voce preces.
His precibus cedit quicquid Leviticus offert,
Et quocunque modo, tempore, fine, gradu.
His precibus Patrem dediscere Judicis iras,
Et flecti constat, & meminisse Patris.

§ VI. Reliqua adhuc sunt fundamenta ex parte fidelium, quæ ad duo capita revocantur; unum est præsens sensus amoris divini, alterum futuræ dilectionis certa persuasio. Priorem cernere est eo ipso in commate quod hyperbolicam hanc victoriam comprehendit. *Plùs quàm victores,* inquit, *sumus, per eum qui dilexit nos*; & in præcedentibus, *Quis nos separabit à charitate Christi?* id est, à charitate Dei
" qui dilexit nos in Christo: sic enim ipse Apostolus ex-
" ponit versu ultimo. Sed rursum, à charitate, intellige à
" sensu charitatis. Tenendum est enim institutum Apostoli,
" quod est credentes consolari. Jam ex charitate Dei &
" Christi nullam in cruce perciperent credentes consolati-
" onem, nisi eam in cordibus suis sentirent. Ità *Piscator* in scholiis suis. Hic profectò sensus si desit, vix & nè vix quidem vincimus: sin adsit, ὑπερνικῶμεν.

Exemplo sit ipse Paulus; *Gloriamur,* inquit, *in tribulationibus, scientes quòd afflictio tolerantiam efficiat, tolerantia verò experientiam, experientia autem spem. Porrò spes non pudefacit; eò quòd charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Post Paulum prodeat *Arnulphus* cerca tempora Bernardi Christo militans, de quo Rom. 5. 3, 4, 5.

iſta referuntur in libro quodam de illuſtribus viris ex ordine
“ Ciſtercienſi. Sæpiùs ille tormina paſſus eſt, & inſtar lum-
“ brici convolutus. Poſtquam aliquandiu velut elinguis ja-
“ cuiſſet, repente ſucclamavit, repetitis identidem vocibus,
“ Omnia quæ dixiſti Domine Jeſu vera ſunt. Qui aſtiterunt,
“ eum apud ſe non eſſe judicabant, quod cùm ex eorũ mur-
“ mure præſenſit Arnulphus, Sum, inquit, fratres mei, probè
“ rationis compos. Quamobrem repeto, quod à me fuit an-
“ tea prolatum, Omnia quæ Jeſus dixit vera ſunt: fratribus
“ autem ſciſcitantibus cur ità loqueretur, Dominus, inquit,
“ in evangelio promittit in hac vita centuplum eis, qui ſuâ
“ causâ patrem, matrem, mundúmq; reliquerunt, & poſt
“ hoc vitam æternam. Ego verò nunc hujus experior pro-
“ miſſionis veritatem. Nam dolores ægritudinis omnino me
“ ſuaviter afficiunt ob divinæ miſerationis affluentiam ſub
“ hiſce latentem, ut præ illis mihi vileat omne quod reli-
“ qui. Porrò, ſi miſer ego tot peccatis impiatus, tantâ læ-
“ titiâ inundor etiam medios inter dolores, velut inter in-
“ cudem malleúmque conſtitutus; quibus deliciis abunda-
“ bunt pii perfectíque? Quamobrem revera *gaudium ſpiri-*
“ *tuale vel unicum, etiam ſolâ ſpe conceptum, centies & millies*
“ *omnia mundi gaudia longiſſimo poſt ſe relinquit intervallo.*
Poſt Arnulphum inſignis ille veritatis evangelicæ teſtis *Pom-
ponius Algerius*, qui in ea quam ſcripſit epiſtola ex dele-
ctabili pomario Leonini carceris, die 12. Julii, Anno 1555
(ſic enim ſe habuit illius ὑπογραφὴ) iſta protulit longè ſuaviſ-
ſima; *Vobis incredibile quid aperiam. Inveni favum mellis in
viſceribus leonis; In fovea profundiſſima inveni amœnitatem;
In loco amaritudinis & mortis, tranquillitatem & ſpem vitæ;
In infernali barathro lætitiam; ubi cæteri flent, ibi gaudium:
ubi reliqui timent, ibi robur,* &c. *Dulcis & benigna manus
Dei mihi exhibuit illa omnia. Ecce qui olim longiùs aberat, me-
cum eſt: quem tunc quodammodo ſentiebam, apertiùs nunc vi-
deo; quem aliàs procul aſpiciebam, eum nunc propiùs contem-
plor; quem ſitiebam, en dat mihi manum, &c. Æſtus mihi
frigus*

frigus opacum est; hyems novum ver in Domino. Qui ignem non timeo, æstum contremiscam? Angatúrne glacie qui uritur amore Domini? Locus quidem carceris hic reis durus est, sed innocenti mellifluus, &c. Hæc si tibi sapiant, Lector, ejusdem farinæ plura degustare poteris ex eadem epistola, modò nostræ professionis martyrologos consulere placuerit.

§ VII. Continetur posterius in duobus versiculis ultimis, *Nam mihi persuasum est, neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque principatus, neque potestates, neque præsentia, neque futura, neque sublimitatem, neque profunditatem, neque ullam rem aliam creatam posse nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.* Explicata dedimus in superioribus hujusce pericopes verba nonnulla, libri scilicet secundi capite nono, paragrapho sexto. Sed ut omnia penitius enucleentur, expedienda nobis porrò sunt erotemata duo. Quæritur itaque

Primò, Quid sibi voluerit Apostolus per dilectionem Dei quæ est in Christo Jesu; Respondeo, non intelligitur hîc vel generalis illa στοργὴ, quâ omnes creaturas, vel communis φιλανθρωπία, quâ omnes homines complectitur; verùm, si ità loqui liceat, ἐκλεκτοφιλία, Amor scilicet specialis, quem gerit Dominus adversùs eos omnes & solos, quos ab omni retro æternitate Christo dedit redimendos, sanctificandos & salvandos. Sic interpretes optimi, Calvinus, *Quæ est in Christo, id est*, ait ille, *cujus Christus est vinculum. Ille enim Filius est dilectus, in quo complacitum est patri. Proinde si per hunc Deo cohæremus, certi sumus de inflexibili & indefessa Dei in nos benevolentia. Amoris fontem in Patre statuit, à Christo*
" *autem in nos asserit defluere.* Cajetanus, *Nos separare*, pro-
" nomen, inquit, Nos demonstrat *Electos. A charitate Dei*,
" activâ scilicet, quæ est in Christo Jesu Domino nostro,
" tanquam in Mediatore & executore ipsius charitatis Dei
" erga nos: ut intelligamus in ipsius Jesu mysterio, opere,
" passione, resurrectione, &c. adimpleri charitatem Dei er-
" ga Electos.

Sciendum

Sciendum autem eſt (nè tanta res leviori quàm oportet pede prætereatur) beneficia Dei ſalutaria quæ ab hoc amore derivantur, non unius eſſe generis. Enimvero unum eſt quod ſe habet inſtar fontis, nimirum Electio; reliqua inſtar rivulorum indè profluentium. Quæ quidem omnia non ſolùm in Chriſto nobis obtingunt, ſed etiam per & propter Chriſtum; quod de electione non eſt temere aſſerendum. Quanquam enim electi ſimus *in Chriſto ut electorum capite, non tamen propter Chriſti meritum ut electionis fundamentum.* Quanquam ſi *terminus electionis* reſpiciatur (gratia ſcilicet & gloria, quæ in illo decreto nobis deſtinatæ ſunt) Chriſtus rationem habeat cauſæ meritoriæ; tamen quoad *actum eligendi,* non habet rationem cauſæ antecedentis, ſed conſequentis potiùs effecti. Nota eſt Aquinatis regula, *Vult Deus hoc propter hoc; ſed non propter hoc vult hoc.* Nobis illam intuentibus ità pronuntiare liceat hac de re, *Ab æterno decrevit Deus electos ſalvare propter meritum Chriſti, ſed non propter meritum Chriſti ab æterno decrevit:* vel ſic, *Vult Deus nobis gratiam & gloriam propter Chriſtum, ſed non propter Chriſtum vult.* Rem, ni fallor, acu tetigit Paulus Ferrius in " ſuo orthodoxi ſcholaſtici ſpecimine, Decrevit, inquit, " Deus ſine merito Chriſti, communicare nobis gloriam " propter meritum Chriſti; referendo illud ſine merito ad " decretum, illud propter meritum ad communicare. Ac " Chriſtus proinde eſt cauſa meritoria cur Deus communi- " cet gloriam in tempore, non cur decreverit communicare.

Thom. part. 1ª. qu. 19. artic. 5. in corp.

Cap. 23. parag. 10.

Verùm hæc & hiſce ſimilia quoties audiunt Remonſtrantes, illico clamant, noſtros Theologos ab electione (quam interim dilectionis fructum primarium agnoſcere videntur) ipſum Chriſtum Mediatorem penitus excludere: quo nihil falſius. Audiantur ipſi, neq; enim æquum eſt ut inau- " diti tantis calumniis obruantur. *Wallæus* Certè, inquit, " mediationem Chriſti, tanquam fundamentum & cauſam " proximam ſalutis noſtræ, in electionis ad ſalutem decre- " to contineri nemo orthodoxus unquam negabit. *Ameſius,*

Reſponſ. ad cenſuram *Arnoldi*, p. 552.

"*sius*, Falsum est excludi à nobis in hominum electione "Christi Mediatoris intuitum. Intuitum quidem Christi "ut causæ meritoriæ ipsius actûs electionis negamus; sed "non ut capitis ac fontis, electionis bona in nos deriva- "turi. Antisynod. c. 10. parag. 4.

Professores Leidenses in synopsi purioris theologiæ, Licèt "Christi meritum non sit electionis nostræ causa, quia & "ipsum Christi meritum ex electione est; tamen electio no- "stra citra respectum ad futurum Christi meritum peracta "non est: quia Christi futurum meritum & tota illius me- "diatio inter hujus electionis objecta est, & simul funda- "mentum omnium illorum beneficiorum, quæ nobis per "electionem sunt destinata. Hæc illi. Quid opus est pluri- bus? Qui docent unum & idem simplicissimum decretum esse in Deo de fine & de mediis, atque etiam inter illa me- dia primum & præcipuum esse mediationem Christi Do- mini (quod à nostris constanter asseritur) eos si quis exclu- dere Christum ab electione vociferetur, næ ille dignus est, qui non tam strenuus disputator, quàm egregius calumnia- tor audiat. Dispur. 24. thes. 29.

§ VIII. Secundò quæritur, Quænam illæ sunt, sive personæ, sive res, quibus adimitur potestas separandi ele- ctos à dilectione Dei, hoc est, ità corrumpendi & perdendi, ut amore divino excidentes in odium illius sempiternum in- ciderent? Variè quidem exponuntur isthæc omnia; & quot interpretes, totidem ferè sententiæ sunt. Post aliorum mes- sem uberrimam erit, opinor, adhuc locus spicilegio meo. Per mortem intelligi posse videantur summa omnium terri- culamenta. Siquidem Mors apud *Aristotelem* audit φοβερῶν φοβερώτατον, & in libro Job, *Rex terrorum*. Per vitam sum- mæ voluptates, quas viventes experiuntur, & quibus in- escantur plurimi. Sumi enim solet ab authoribus tam sa- cris quàm profanis *vivere*, pro *lætari* & *deliciari*. Paulus, *Nunc vivimus si vos statis in Domino.* Martialis, Ethic. lib. 3. Job. 18. 14. 1 Thess. 3. 8.

Sera nimis vita est crastina, vive hodie:

Alius, *dum vivimus, vivamus.* Cajetanus more suo, Vi-
" ta est summum appetibile, & mors ultimum terribilium:
" sub quibus duobus comprehenduntur reliqua appetibilia
" & refutabilia. Per Angelos non existimo designari beatos spiritus, qui, Apostolo teste, ministerii causâ emittuntur propter hæredes salutis futuros; neq; enim ullum nobis intentatur ab illis periculum: sed spiritus adversarios, quibus (ut hîc observat *Estius*) omne studium est Christi fideles abstrahere à salute. Sunt autem valde formidabiles impetus diabolici, utpote qui fortiores esse comperiuntur quàm vel affectus naturales, vel carnales concupiscentiæ. *Davidem* impulit natura ad lacrymas & ejulatum quàm fieri potuit
2 Sam. 19. acerbissimum, in *Absolonis* sui obitu immaturo: ab illis tamen *Joabi* monitu revocatus est. Idem *Joabus* eundem Davidem à populo numerando fortiter quidem retrahebat, frustrà tamen; eò quòd hoc quicquid erat facinoris aggressus
1 Chron. 21. 1. est provocante Satanâ. *Surrexit Satan*, ait Scriptura, *& concitavit Davidem ut numeraret Israelem.*

Principatus, ἀρχαὶ, sunt principes illi qui tunc temporis & deinceps rerum potiebantur, ac pro ea quâ præditi erant erga Christianam religionem malevolentiâ, partim cæde, partim fraude multos ad apostasiam adigere conati sunt;
Apoc. 12. 3, 4. prout testatur Apocalypsis, *Ecce draco magnus rufus habens capita septem; & cornua decem, & in capitibus ejus diademata septem; & cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram.* Interpres sit ipse Spiritus sanctus;
Apoc. 17. 9. 12. *Septem capita septem montes sunt super quos mulier sedet: Decem autem cornua decem Reges sunt.* Adeóque res ità se habuit, si Joanni Cluvero fides adhibenda sit; Dominante
Dilucul. Apocalypt. Tom. 3. p. 83. " per Ethnicos Imperatores Dracone, id est diabolo, in se-
" ptem Romæ capitibus, seu montibus gestabantur diade-
" mata: postmodum verò capite Cæsareo ad mortem oc-
" ciso, transferebantur in cornua, hoc est, in Reges provin-
" ciarum & nationum, quæ uni antea Imperatori suberant.
" Illi (quod horrendum dictu) draconi sua permittebant

" diade-

" diademata, ut ipse iis contra Ecclesiam Dei abuteretur. In " septem enim Romæ montibus cudebantur crudelia in " Christianos edicta, quæ decem Reges exequebantur.

Instrumenta præcipua, quibus utebantur Tyranni, fuerunt copiæ militares. Sunt qui illas per vocem proximam *Potestates* δυνάμεις intelligi suspicantur. *Joannes* certè *Drusius*, vir clarissimus, multus admodum est in probando vocabulum δυνάμεις, sæpius exercitum denotare, in eodem planè sensu quo nos Angli dicimus *Forces*. Enimvero Dominus exercituum apud septuaginta interpretes appellatur Κύριος δυνάμεων. In primo etiam Machabæorum, capite tertio, ubi scriptum est ἀποστεῖλαι ἐπ' αὐτοὺς δύναμιν, rectè vertunt, *ut mitteret contra eos exercitum:* quemadmodum quod in eodem capite legimus, καὶ ἔδωκεν ὀψώνια ταῖς δυνάμεσιν αὐτοῦ vertendum crediderim (ait *Drusius*) dedit opsonia copiis suis. Citat alicubi *Theodoretum*, in sua divinorum dogmatum epitome ità loquentem, τὸ δὲ Κύριος σαβαὼθ, κύριος τῶν δυνάμεων ἑρμηνεύεται, ἢ κύριος στρατιῶν. οὕτω γὰρ παρ' Ἕλλησι τὰ στρατιωτικὰ τάγματα καλεῖται. Addam liceat in Henrici Stephani thesauro nonnulla exstare testimonia è Græcis scriptoribus eundem vocabuli sensum abundè comprobantia. Quin & Thaumaturgi veteres (quales erant *Simon Magus*, de quo Lucas in Actis Apostolicis; *Apollonius Tyanæus*, de quo *Philostratus*; *Peregrinus* Cynicus, & *Alexander Paphlago*, de quibus *Lucianus*) eorúmque præstigiæ, per quas rei Christianæ non parùm olim detrimenti allatum est, δυνάμεις audiunt. De Simone Mago clamavit populus Οὗτός ἐστιν ἡ δύναμις τοῦ Θεοῦ ἡ μεγάλη. De eodem *Justinus Martyr*, δυνάμεις ποιήσας μαγικάς. Paulus filio perditionis adventum tribuit ex vi Satanæ, ἐν πάσῃ δυνάμει, καὶ σημείοις καὶ τέρασι ψεύδους. Christus reprobos introducit hunc in modum loquentes, τῷ σῷ ὀνόματι δυνάμεις πολλὰς ἐποιήσαμεν. Hîc ego nihil statuo, sed ἐπέχω potiùs; méque meliora docentibus cedere paratissimum esse profiteor. Pergo interim ad reliqua quàm brevissimè perstringenda.

Præterit p. 53. 108. 111. & Observat. sacrar. lib. 10. cap. 14.

Act. 8. 10.

Apologet. 1°.

2 Thess. 2. 9.

Matth. 8. 22.

Per sublimitatem ὕψωμα, *Cajetanus* corpora superiora, per

 profundum

profundum inferiora designari existimat, utì etiam *Pareus* elementa omnia suprema & inferna sub utroque comprehendi. Alii de mundanæ felicitatis apice, & de abysso miseriæ temporalis interpretantur. Mallem ego (si modestæ conjecturæ locus sit) mentionem hîc eorum facere, quæ saluti nostræ magìs incommodant, ità ut per ὕψωμα, *fastus & mentis exaltatio* (qualem passus est *Ezechias*, qui dicitur humiliâsse se ἀπὸ τοῦ ὕψους τῆς καρδίας, quo etiam sensu Paulus usurpat πᾶν ὕψωμα) per βάθος sive *profunditatem derelictio spiritualis* intelligatur; qualem sustinuit Psaltes, quando sic precatus est, *Ex profunditatibus inclamavi te Jehova*, Septuaginta Ἐκ βαθέων ἐκέκραξά σοι Κύριε. Ex profundis, id est, ex gravi metu damnationis propter peccata mea, qui metus talis & tantus est, ut videar mihi jamjam desperatione absorbendus, non secus ac si in profundis aquis positus metuerem me jamjam absorptum atque suffocatum iri. Sic *Joannes Piscator* in suis scholiis. Quod ad ultimam particulam attinet, οὔτε τις κτίσις ἑτέρα, *neque alia quævis creatura*, eam mihi affabre tetigisse visus est è recentioribus Pontificiis scriptor haud ignobilis. Cur aliam, inquit ille, creaturam lacessit, novam provocat, creandam valentiorem desiderat? Adeò super omnia est animus ritè & aptè amantis, ut id quod non est lacessat, cùm id quod sit, jam vicerit. -- Apostolus parem æmulum non agnoscens mundum, ultra mundanum meditabatur. Tam sufficere sibi valet valens commilitone Deo animus, ut solus superfluat cunctis quæ sunt & quæ essent; iis quæ sunt, & quæ non sunt; iis quæ sunt, & quæ possent esse; isto & alio mundo, id est duplici major. Ità *Joannes Eusebius Neirembergius*.

2 Chron. 32. 26.
2 Cor. 10. 5.
Psalm. 130. 1.
De Arte voluntat. lib. 1. cap. 29. p. 40.

§ IX. Succedit alterum ἐπινίκιον ex epistolæ primæ ad Corinthios capite decimo quinto desumptum in hæc verba. *Ubi tuus, ô mors, aculeus? Ubi tua, ô sepulchrum, victoria? Aculeus mortis est peccatum; vis autem peccati lex. Deo sint gratiæ, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.* Vulgatissimum pariter est & verissimum effatum illud

illud Tertulliani, *Fiducia Christianorum, Resurrectio mortuorum.* Nil itaque miri si desudet Apostolus in hoc dogmate stabiliendo, multáque rationum momenta cumulet; si postquam illius triumphi meminerat, qui peractâ demum resurrectione consummabitur, dixerátque, *Cùm hoc corruptibile induerit incorruptibilitatem, & mortale istud induerit immortalitatem, tunc fiet illud quod scriptum est* Κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος. *Absorpta est mors ad victoriam.* Fœtus ejusmodi meditationibus, & per fidem prægustans totam illius temporis gloriam, in hoc statim ἐπινίκιον antecedaneum lætus eruperit, Ποῦ σου, θάνατε, τὸ κέντρον; Ποῦ σου, ᾅδη, τὸ νῖκος;

De Resur. carn. c. 1.

1 Cor. 15. 54.

Quid θάνατος sive mors sit nemo dubitat; verùm de vocabulo ᾅδης, quod à nostris hîc & alibi sepulchrum redditur, non est omnibus una mens. Magni nominis Jesuita *Del-rio* in Adagialibus sacris veteris Testamenti duo proponit (ut ab ipso "vocantur) Axiomata. Primùm, Multa sunt in sacris li-"bris loca in quibus Hebræam vocem שאול aut Græcam "ᾅδης non potes nisi violenter & durè interpretari sepul-"chrum, vel statum mortuorum in genere, aut aliter quàm "aliquod Inferorum receptaculum, saltem metonymicè "significatum. Alterum, Nullus in sacra Scriptura locus "occurrit, quo שאול aut ᾅδην compellamur interpretari se-"pulchrum, &c. Ad utriusque probationem multos quidem textus producit ex utroque testamento, usque dum octoginta & septem numeraverat. Sed ut in prioris expositione vir doctissimus, summâq; mihi necessitudine conjunctissimus observavit, nullam omnino factam esse à satis cauto Jesuita mentionem loci cujusdam in libro Job, quem nullis fidiculis cogere potuisset sententiæ suæ inservire, illius scilicet, *Utinam occultares me* בִּשְׁאוֹל 70 ἐν ᾅδῃ, *& absconderes me donec aversa esset ira tua.* (Quis enim crediturus unquam est eò Jobum dementiæ pervenisse, ut optaret abscondi in gehenna sive tartaro ab ira Dei, quæ illic plùs quàm alibi flagrat?) sic annotare mihi liceat, ipsum in elucidatione posterioris, intactum ferè præterire textum hunc, qui præ manibus

Adag. 197. pag. 213. 239.

D. *Ant. Tuckney*, conc. funebri in 1 Cor. 15. 55. p. 5.

Job. 14. 13.

nibus est: nisi quòd in explicatione loci illius apud *Hoseam*, ad quem hîc alluditur, pollicetur se plura dicturum ad locum Pauli: quam fidem an unquam exolverit planè nescio. De infernali profectò carcere nequit ᾅδης hîc intelligi, quoniam etsi sepulchrum redditurum sit mortuos suos in resurrectione, & qui statum separationis perpessi sunt, tunc statum reunionis experientur: nunquam tamen gehenna partâ semel victoriâ spoliabitur; quicquid nugentur Pontificii de anima *Falconillæ* suæ, per supplicationes nescio cujus martyris, & de anima *Trajani*, per preces *Gregorii* Papæ ex inferno liberatâ. Meritò itaque nostri τὸν ᾅδην hîc & alibi de sepulchro exponunt, vel de statu separationis aut defunctorum sub imperio mortis detentione: non refragante vocabuli usu etiam apud profanos authores. Noti sunt *Philemonis* Iambici,

Καὶ γὰρ καθ' ᾅδην δύο τρίβους νομίζομεν,
Μίαν δικαίων, χ' ἁτέραν ἀσεβῶν ὁδόν. i. e.
Per haden duas opinamur esse semitas,
Unam justorum, sed & impiorum alteram.

Ubi si ᾅδης pro sepulchro sumatur, aut pro statu mortuorum, vera sunt omnia; sin autem pro ergastulo gehennali, falsum est illud ad utrumque genus hominum spectare, cùm soli illic reprobi detineantur.

§ X. Cæterùm, nè quenquam lateret quid aculeus mortis sit, cujus facta est mentio, pergit Apostolus, & duos interponit magni ponderis aphorismos theologicos. Prior ità se habet, *Aculeus mortis est peccatum.* τὸ δὲ κέντρον τοῦ θανάτου, ἡ ἁμαρτία. Per aculeum mortis eum intelligit (observante *Augustino*) quo mors facta est, non eum quem mors fecit. Peccato enim morimur, non morte peccamus. A colubris autem metaphora desumitur. Sicut enim serpentes, & venenata quæcunque aculeis prædita, iis ferire & lethaliter vulnerare solent; at si iis fortè spolientur, nullam ampliùs nocendi vim habent: ità mors per peccatum tanquam telum homines transfigit & conficit; at sine peccato inermis est.

De peccat. merit. & remiss. l. 3. c. 11.

eſt. Eleganter Ambroſius, *Non habemus quod in morte metuamus, ſi nihil quod timendum ſit vita noſtra commiſit -- Eſt quidem mors ſeparatio animæ & corporis. Anima abſolvitur, corpus reſolvitur. Quæ abſolvitur gaudet, quod reſolvitur in terram nihil ſentit, nihil agnoſcit.* Poſterior ſic, ἡ δύναμις τῆς ἁμαρτίας, ὁ νόμος, *Vis, ſive virtus peccati eſt lex.* Quoniam ſcilicet facit lex, ut peccatum appareat. *Per legem eſt cognitio peccati,* ait Paulus; atq; iterum, *Subintravit lex, ut abundaret delictum:* ut quæ latebant priùs in facie maculæ & rugæ, ad præſentiam ſpeculi, non fiunt quidem, ſed patefiunt. Deinde facit ut obnoxium pœnæ ſit. Ubi enim non eſt lex, ibi nec prævaricatio: ubi nulla prævaricatio, nulla debetur aut exigitur pœna. Facit deniq; ut ad peccandum irritemur. *Peccatum*; ait idem Doctor Gentium, *ſumptâ per mandatum occaſione*, κατειργάσατο ἐν ἐμοὶ πᾶσαν ἐπιθυμίαν, *effecit in me omnem cupiditatem.* Atque adeò ſicut mors per peccatum fit magìs mortifera, ſic peccatum per legem fit magìs peccans; καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸς ἡ ἁμαρτία διὰ τῆς ἐντολῆς. Non culpâ legis (aſſerente Pareo) quæ peccatum prohibet, arguit, damnat; ſed culpâ naturæ vitioſæ, quæ majori impetu fertur in vetitum; ſicut equus effrænis eò magìs eſt refractarius, quò magìs conſtringitur lupatis. Addo, ſicut obice poſito flumen intumeſcit; & injecta catena ferociorem reddit Moloſſum, non indendo novam ferociam, ſed eliciendo veterem. Uſque autem adeò comperta eſt obſervationis hujuſce veritas, ut in proverbia jamdudum abierint iſti verſiculi,

Lib. de bono mortis.
Rom. 3. 20.
5. 20.
Rom. 4. 15.
Ibid. 7. 8.
Ibid. verſ. 13.
In 1 Cor. 15. 56.

Nitimur in vetitum ſemper, cupimúſq; negata.
Quod licet, ingratum eſt: quod non licet, acriùs urit.

§ XI. Hiſce defunctus meditationibus ſe tandem totum in gratias effundit beatus Apoſtolus, & ſumma cum lubentia ſubjungit, *Deo ſint gratiæ, qui dat nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Deus in Chriſto is eſt cui ſoli debetur & offertur hæc adorea. Quod olim Corinthios, ſcribente Paulo, affecit lætitiâ, illud quotidie Chriſtianis, ſugge-

ſuggerente Spiritu, non poteſt non plurimum afferre ſolatii; *Fidelis eſt Deus per quem vocati eſtis in communionem Filii ipſius Jeſu Chriſti Domini noſtri.* Siquidem facti ſumus participes communionis cum Chriſto Domino, in ipſius non *officiis* ſolùm, prout dicitur, *Fecit nos Reges & Sacerdotes Deo & Patri ſuo*; verùm etiam in *privilegiis*. Illum vox de cœlo dilectum dei Filium, in quo Patri complacuit, nos dilectos & filios ſacer codex pronuntiavit. Nec in *certaminibus* ſolummodo, ſecundùm illud, *Ut cognoſcam eum, & communionem perpeſsionum ejus, dum conformis fio morti ejus:* ſed & in *victoriis*. *Ego,* inquit ille, *vici mundum. Et hæc eſt victoria,* dicit Apoſtolus, *quæ vicit mundum, nempe fides noſtra.* Ille Mortem & Haden, Peccatum & Legem (quorum hîc mentio fit) ſuperavit & domuit; nósq; Deus per illum de hiſce omnibus adverſariis luculentâ ſatìs victoriâ potiri dedit, & daturus eſt.

1 Cor. 1. 9. Apoc. 1. 6. Philip. 3. 10. Joan. 16. ult. 1 Joan. 5. 4.

Primò, De Morte. *O beatam illorum Mortem,* dixit olim *Joannes Knoxus, qui participes facti ſunt mortis Chriſti!* Ipſe *Bernardus* teſtis auritus ſimul & oculatus vidit fratrem ſuum *Gerardum* tunc temporis animam agentem, *exultantem in morte, & inſultantem morti. Ubi eſt mors victoria tua? ubi eſt mors ſtimulus tuus? Jam non ſtimulus ſed jubilus,* &c. Au-
" divit inſuper dicentem, Pater in manus tuas commendo
" ſpiritum meum, ſæpiúſque ingeminantem Pater, Pater,
" quin& exclamantem, Quanta dignatio Patrem homi-
" num eſſe! quanta hominum gloria Dei filios eſſe & hæ-
" redes! Nam ſi filii, & hæredes. Unde Pater ille melliſluus in media hujuſce victoriæ narratione, ſe ad mortem convertens, *Mortua es,* inquit, *ô mors; & perforato hamo, quem incauta glutiiſti, eo ſcilicet cujus illa vox eſt in propheta, O mors ero mors tua; Illo, inquam, hamo perforato tranſeuntibus per medium tui fidelibus latum latúmque exitum pandis ad vitam. Gerardus te non formidat, larvalis effigies. Gerardus per medias fauces tuas tranſit ad patriam, non modò ſecurus, ſed & lætabundus, & laudans.* Libet adjicere pia quædam & ſapore

Hiſtor. reformat. Eccleſ. Scotic. Bernard. Serm. 26. in Cant.

pore pleniſſima magni Theologi, *Wolfangi* nimirum *Muſculi* carmina, paucis ante obitum menſibus compoſita, in quibus ſuam ipſius animam ſic alloquitur, *Melch. Adam. Vit. Theol. German. p. 385, 386.*

Linque domum hanc miſeram, nunc in ſua fata ruentem,
Quam tibi fida Dei dextera reſtituet.
Peccâſti? Scio: ſed Chriſtus credentibus in ſe
Peccata expurgat ſanguine cuncta ſuo.
Horribilis mors eſt? fateor: ſed proxima vita eſt,
Ad quam te Chriſti gratia certa vocat.
Praſtò eſt de Satana, peccato & morte triumphans
Chriſtus: ad hunc igitur læta alacríſque migra.

§ XII. Secundò de Hade; ſive de ſepulchro, vocem illam, ſive de ſtatu ſeparationis interpretemur. Enimvero cui Deus in Chriſto Pater eſt, quem Chriſtus dignatur fratrem agnoſcere, juxta illud *Non erubeſcit eos vocare fratres*; poterit is ſedato ſaltem, ſi non læto animo verba *Jobi* uſurpare, *Sepulchrum domus mea eſt, & in tenebris ſtravi lectulum meum. Putredini dixi, pater meus es; mater mea & ſoror mea, vermibus.* Siquidem quicquid paſſus eſt Chriſtus, idem nobis ſanctificavit; *Paupertatem ditavit*, ut Lutheri utar verbis) *ignominiam glorificavit*, *mortem vivificavit:* quidni etiam dicam ſepulchrum fætore ſpoliavit, ſuíſque gratum adeò reddidit, ut illius incolæ putredo & vermes non diutiùs ut hoſtes, ſed ut familiares & amici, ut parentes & ſorores à piis ſpectari deinceps poſſint? Quod ad ſtatum ſeparationis attinet, eſt & ille mortuis in Chriſto Domino fruitionis quidem ſtatus & lætitiæ. *Heb. 2. 11. Job. 17. 13. 14.*

Non ſum neſcius extitiſſe jamdudum, hodiéque extare multos contrà ſentientes: ſed erráſſe illos, quotquot fuerint, univerſos nullus dubito. Primus ferè omnium, quantum ego colligere poſſum, putidum illud dogma de animarum dormitione uſq; ad diem noviſſimum, in eccleſiam introduxit *Vigilantius*; quem vel eo nomine veteres meritò *Dormitantium* appellavere. Poſt aliquot annorum decurſum, Papalem cathedram fœdare cœpit iſta ſententia ſub

Joanne 22, qui fertur eam propugnâsse, & mandâsse Parisiensibus, ut non aliter docerent vel in scholis, vel in templis: Imò & nullos promoverent ad gradus in theologia, nisi priùs jurarent se feralem hanc opinionem defensuros. Eum, utcunque *Bellarminus* excusare conetur operosissimè, non purgat tamen. Exorti deinde sunt *Anabaptistæ*, qui idem dogma mordicùs tenebant. De eorum primipilis verba faciens *Calvinus* in eo quem scripsit hac de re libello aureo sub titulo Psychopannychias, Anno Dom. 1534. "Blaterones, inquit, illi tantâ strenuitate in partes suas incubuerunt, ut aliquot jam hominum millia in eandem secum insaniam traxerint. Ventum est deniq; ad *Socinianos*, qui universam ferè doctrinam, quam orthodoxi tradunt Theologi de statu animarum post mortem, vel in dubium vocant cum *Henrico Slatio* Sociniano-Remonstrante, cujus "hæc verba sunt, An animæ superstites maneant, nescitur; "saltem non est comprehensibile. Et cum *Smalcio*, qui sic "contra *Frantzium*, An spiritus ille qui ad Deum redit, & "& à corpore separatus est, sensu aliquo præditus sit, & "an voluptate aliquâ fruatur ante adventum Christi, & ante conjunctionem istam novam cum corpore glorificato, "quod Deus olim daturus est credentibus; valde dubitamus. Vel penitus negant cum eodem Smalcio in verbis pro"ximè sequentibus, quæ ista sunt. Imò aliter rem se habere "credimus; nempe, quemadmodum corpus sine spiritu ca"daver est; sic vicissim spiritum sine corpore nullas actio"nes exercere posse. Vel irrident deniq; cum tenebrionibus istis, qui in Actis MSS Colloquii Racoviensis, quorum "meminit *Beckmannus*, ità loquuntur; Aliquem in inferno "fuisse & ibi torqueri, vel in sinu Abrahæ decumbere, sunt "planè fictitia & similia illis quæ Poetæ de Ixione, Sisy"pho & Tantalo scribunt. Proh scelus! Proh impudentiam "Novatorum!

De Beatitud. Sanctor. lib. 1. cap. 1, & 2.

Apud Peltium, p. 257.

Pag. 409.

Exercitat. 25. p. 488.

At enimvero procul absit, ut nos à sensu loci genuino, ad quem impingitur, profano sarcasmate dimoveri patiamur.

mur. Etsi Theologia, prout dicitur, parabolica non sit argumentativa; tamen à parabolæ scopo tutissimè potest, fortissiméq; disputari. Illius apud *Lucam*, quâ in scenam producuntur Dives & Lazarus, ipsissimus esse videtur scopus, probi viri, & improbi, post obitum utriusq; imparem longè conditionem ob oculos ponere, ídq; in separationis statu, qui extremum judicium antecedit: quoniam inibi *Mosis & Prophetarum* mentio fit, ut eorum usibus inservientium, qui tunc superstites erant in terris, cùm ab illis peractâ semel resurrectione, non ampliùs edoceri homines certum sit. En autem illic in medulla parabolæ Lazarum statim à morte sua asportatum ab Angelis in sinum Abrahami, ibíq; solatia recipientem. Hîc ut alibi sæpius, quando de felicitate, quâ fruuntur Sancti post obitum, agitur; à convivio metaphora sumitur, quod fieri amat non à sacris solùm scriptoribus (utì indicant loca quæ in margine exhibentur) sed etiam ab Ethnicis, inter quos Stoici sapientes suos μετὰ θεῶν ἑστιᾶσθαι, *cum Diis convivari* dicebant, nominatim *Epictetus* apud quem occurrit iste character viri sapientis, ἄξιος τῶν θεῶν συμπότης) à convivio, inquam, in quo *Abrahamo*, utpote qui pater erat fidelium, πρωτοκλισία, i. e. primus accubitus decorè tribuitur; alii verò in ipsius sinu dicuntur recumbere. Ità Lazarus hîc, de quo cum divite collato libet ex *Heinsio* pauca proferre. *Epulo,* inquit ille, *qui epulari perpetuò solebat, mendicum epulantem, & quidem proximum in regno Dei Abrahamo, hoc est in sinu ejus, videt; ipse jam mendicus & egenus aquæ, quâ rigari sese poscit.*

Luc. 16. 29.

Ibid. vers. 22. 25.

Matth. 8. 11. Luc. 22. 30.

Vid. D. *Heinsium* exercit. l. 3. cap. 14. & cap. 19.

§ XIII. Tertiò de peccato; sed paulatim. Sicut enim Christus prodiit *vincens & ut vinceret*, id est, interprete *Medo* nostrate, Nondum jam plenè vicit, sed fundamenta jecit victoriæ, deinde magis magísque complendæ: Sic Christiani in sua, quam obtinent, de peccato victoria, gradatim pergunt. In prima quidem conversione prodeunt vincentes, sed ut vincerent in reliquo vitæ suæ curriculo, & in morte victoriam consummarent. Obtinet hîc quod alia de-

Apoc. 6. 2.

re dici solet, *Filia devoravit Matrem*. Peccatum enim peperit mortem, & ante mortem devorari nequit peccatum. Absq; peccato si fuisset, mors nunquam intrâsset in mundum; absq; morte si esset, peccatum è mundo nunquam exiret. Hæret enim lateri lethalis hæc arundo, nec ante lethum penitus eximitur. Dico vobis, (inquit Bernardus) " genus illud peccati, quod toties conturbat nos, concupiscentias loquor & desideria mala, reprimi quidem debet " & potest per gratiam Dei, ut non regnet in nobis; sed non " ejicitur nisi in morte.

Serm. 6. de advent. Dom.

Ad hæc autem & hujusmodi scita nostrorum Theologorum ità paratragœdiat *Sebastianus Castellio* in tractatu " de justificatione. Quæro, inquit, ex vobis, undenam " didiceritis peccatum in morte aboleri? Nam ratio re- " clamat; sacræ literæ reclamant; & passim in hac vita " fieri id vociferantur. Id quod si negabitis, obruere vos " possum multitudine testimoniorum, quorum nonnulla " jam superiùs allegavimus. Ain' vero? Sed dic sodes bone vir, ubinam sunt ista tua testimonia? Eorum, inquis, nonnulla jam superiùs allegavimus. Recurro, & in hoc tractatu vix aliquid invenio, quod trahi huc vel obtórto collo possit. Verùm in altero, *De obedientia Deo præstanda*, ubi nobis eandem occinis cantilenam, citatum invenio locum Pauli ad Titum secundo, *Erudiit nos gratia salutifera, ut sobriè, justè, & piè vivamus* ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, *in præsenti seculo*; ergò ut perfecti simus in hac vita. Respondeo, non ut tibi qui mortuus es (utinam etiam in morte purgatus ab errorum tuorum sordibus) sed ut asseclis tuis satisfiat; Primò, Sanctos sobriè, justè, & piè vitam in hoc seculo agere, quanquam eorum sobrietas, justitia, pietásque non exigantur adæquatè ad amussim legis divinæ, ità ut nihil desit ad perfectionem. Secundò, Id in hoc seculo fieri, quod in transitu fit antequam anima fiat alterius mundi incola. Ubi- " nam verò ratio illa quæ tantopere reclamat? Quære- " mus, inquis, ex vobis, Utrùm per fidem Christus an per mortem,

Pag. 37.

Pag. 240.

Castell. de Justificat. p. 37.

" mortem, an neutro adhibito interficiat veterem homi-" nem? Per fidem dici non potest, nam in morte fidem " non esse suprà ostendimus. Per mortem si dicetis, Chri-" sto inimicam sociam mortem adjungetis; qui cùm vene-" rit ut mortem aboleret, peccatum non nisi mortis auxilio " abolere vel possit, vel velit. Sin neutro adhibito, efficitur " ut salus fidei non debeat ascribi; cùm tamen homines fi-" de servari nulli magìs quàm vos affirment. Hæc ille, Respondeo, Nec omnino *per mortem* hoc fieri, sed *in morte*; nec tam per fidem tunc operantem in ipso nimirum mortis articulo, quando fidelis sui vix & nè vix quidem compos est, quàm per fidem quâ priùs recubuit in Christum, qui tunc in extremis laboranti succurrit; vel potiùs per inhabitantem Christi Spiritum in hoc ultimo agone deesse minimè volentem. Quod superest responsionis absolvam verbis, non meis, sed clarissimi *Spanhemii*; *Probabile est*, ait ille, *eundem sanctificationis terminum esse, qui vitæ; & ut anima in conjunctione sui cum corpore incipit esse peccato infecta, quamprimum homo incipit esse homo: Sic & quando per mortem homo desinit esse homo, Animam in separatione sui à corpore perfectè sanctificari, ut sistatur Deo sine macula. Nec* ἔνστασις *ista valida est, vel vivum hominem sanctificari plenè, vel mortuum: si vivum, discamus, sanctificationem absolvi in hac vita; si mortuum, jam non hominem sanctificari, sed partem tantùm hominis. Neutrum enim absurdum est, vel sanctificationem cum vita absolvi potiùs quàm in vita: vel partem hominis sed præcipuam, sanctificari in separatione illius à corpore; quippe cui soli patet aditus immediatus in cœlum ab egressu ex illo; totum verò hominem, quando ille totus introducetur in gaudium Domini sui. Subtiliora quæri*, inquit, *& asseri possunt: probari non item.* Dub. Evang. part. 3. Dub. 141. parag. 7.

§ XIV. Quartò, De Lege. Si qua nobis sit indemnitas ab illius inimicitia, soli eam Christo ex asse debemus, prout docet Apostolus ad Colossenses, *Vos simul cum Christo vivificavit, condonans vobis omnia peccata: delens quod* Coloss. 2. 13, 14.

 adversùs

adversùs nos erat chirographum in ritibus, quod erat contrarium nobis, & illud sustulit è medio, affigens illud Cruci. Præclarissimus hujus epistolæ interpres *Joannes Davenantius*, "Legem etiam moralem hîc intelligi statuit, chirographum in ritibus exponens de vi legis moralis obligantis ad "perfectam obedientiam, & damnantis ob defectum ejusdem, ritibus Cæremonialibus quasi laciniis & appendicibus quibusdam oneratæ. Demonstrat etiam egregiè Paulum eò loci optimè consuluisse trepidis conscientiis pulchrâ quâdam gradatione. Non contentus, inquit, eo quòd omnia peccata nostra essent condonata, subnectit ipsum chirographum esse deletum; sed fortasse non ità deletum, quin possit lis nova suboriri; addit igitur è medio insuper esse sublatum: sed fortasse servatur alicubi absconditum, & proferetur in posterum; Imò, inquit, est Cruci affixum, id est dilaceratum & in frusta discissum iisdem clavis quibus Christus affixus & dilaceratus fuit in cruce. Hæc ille. Quibus adjicere non pigebit quod annotat *Grotius*, In more scilicet positum esse quibusdam in locis clavis transfigere edicta antiquata. Hunc in Asia morem fortè fuisse, & ad eum alludere Paulum.

Pag. 273. & 275.

Moralem profectò legem fideles, hunc in modum liberati, quanquam adhuc ut *directricem* amplectantur: non tamen vel ad peccatum, ut in priori statu, *provocatricem* sentiunt; vel ut *damnatricem* reformidant, freti suâ per Christum victoriâ. Testem adducam non nisi unicum, sed Leonem; *Lutherum* intelligo, cujus hæc verba sunt, *Sentiens terrores & minas tuas, ô Lex, immergo conscientiam meam in vulnera, sanguinem, mortem, resurrectionem & victoriam Christi; præter hunc nihil planè videre & audire volo.* Atque etiam hæc super illud ad Galatas, *Hoc autem dico pactionem à Deo priùs ratam habitam, respicientem in Christum, Lex quæ post annos quadringentos & triginta extitit, non reddit in-"utilem ad abolendam promissionem.* Scilicet assuefacias te ut "Legem à promissione etiam tempore distinguas, ut veni-"ente

Tom. 4. fol. 119. B.

Galat. 3. 17.

"ente lege, & accusante conscientiam, dicas, Domina Lex, "non in tempore sed nimis maturè venis; expecta adhuc "quadringentos & triginta annos, tum si transacti fuerint "venire poteris. Sed tum nimis serò & tardè venies, quia "quadringentis & triginta annis prævenit te promissio, cui "assentior, & in ea molliter acquiesco. Ideo nihil mihi te-"cum, non audio te. Jam enim vivo cum Abrahamo cre-"dente; vel potiùs jam post exhibitum Christum vi-"vo, qui est Justitia mea, qui te Legem abrogavit & "sustulit.

Comment. in epist. ad Gal. è *Lutheri* præ-lect. concin. p. mihi 226.

§ XV. Tertium & ultimum ὀπτίχιον (quanquam addi plura potuissent, nisi me formido suborituri lectoribus tædii sufflaminâsset) illud erit Paulinum in secundæ ad Timotheum epistolæ capite quarto, commate sexto, septimo & octavo. *Ego jam libor; & præstitutum tempus recessûs (sive migrationis) mei instat. Certamen illud præclarum decertavi, cursum peregi, fidem servavi: Quod reliquum est, reposita est mihi justitiæ corona.* Intra quorum ambitum cernere est beati Apostoli aspectum triplicem. Videtur enim

Primò, *deorsum spectare*, & sepulchrum intueri, in quod se brevi descensurum præsentiebat: Ἐγὼ γὰρ, inquit, ἤδη σπένδομαι. In usu erant sub veteri lege, præter sacrificia ex animalibus, oblationes ex inanimatis; partim aridis quæ Hebræis מִנְחָה mincha; partim liquidis, vino præsertim, quæ à Græcis σπονδαὶ dicebantur, à Latinis libamina. *Hesychius*, λοιβὴ σπονδὴ, θυσία οἴνου. *Moschopulus*, λοιβὴ δι' ὑγρῶν θυσία. Credi meritò potest Paulum hîc adhibuisse vocem σπένδομαι, ut mortis suæ, quam prævidit, genus & modum, cum sanguinis scilicet tanquam vini effusione conjunctum indicaret. *Scultetus*, *Quid est*, inquit, *mors Martyrum? Est libamen affusum* "*aræ Dei, gloriosum libanti, fructuosum ecclesiæ. Grotius* hîc, "Victimæ legales martyrum præfigurationes. Ideo animæ "martyrum sub altari, Apoc. 6. 7. quia sanguis victima-"rum sub altari effundebatur, Lev. 1. 5. 15. & 3. 28. Illa verò quæ diximus libamina, ut interdum per se oblata, ità sæpe-

Observat. in 2am ad Tim. cap. 20.

sæpenumero adhibita sunt ut appendices ad sacrificia & victimas non Judæorum modò, prout legimus in capite Numerorum vicesimo octavo, sed & ethnicorum; unde illud in epigrammate,

Rode caper vitem: tamen hinc, cùm stabis ad aras,
In tua quod fundi cornua possit, erit.

Ad quem ritum alludens Apostolus, idem alibi vocabulum usurpat. Εἰ καὶ σπένδομαι ἐπὶ τῇ θυσίᾳ, &c. *Si pro libamento offerar super sacrificio & ministerio fidei vestræ, gaudeo, & gratulor vobis omnibus. Vos itidem gaudete & gratulamini mihi*, id est, " interprete *Quistorpio*, Dum vos tanquam hostiam per " meum ministerium Deo obtulerim, vósque vestra corpo-" ra hostiam vivam, sanctam & Deo placentem offeratis; " ego quoque (prout in veteri testamento fiebat, ubi victi-" mis vini vel olei libamentum infundebatur) cum gaudio " & animi prolubio sanguinem meum profundam, ut eo " seu libamine vos hostiæ humectemini. Quin & vos gau-" dium indè concipere, & mihi gratulari debetis, si hanc " ob causam macter & interficiar. Quæ sequuntur verba sic se habent, Καὶ ὁ καιρὸς τῆς ἐμῆς ἀναλύσεως ἐφέστηκε. Sunt qui legunt, *Tempus quo dissolvar instat*; & *Tempus quo resolvar appropinquat*. Sed austeriora paulò sunt ista vocabula, quàm pro more sacrorum scriptorum, quibus solenne admodum est lenire mortis acerbitatem phraseologiâ molliore. Appellatur siquidem mors Christi *Exodus*, & *Exaltatio*; Christianorum *Dormitio & seminatio*. Petri mors *Depositio tabernaculi*; Pauli ἀνάλυσις, hîc & alibi. Quam vocem alii per *Recessum, migrationem*, aut *reditum*, saltem per *Dimissionem* reddere malunt, ut non tam dissolutio corporis & animæ, quàm dimissio è mundo significetur, quâ viro Christiano permittatur reditus in cœlestem patriam. Certè vox ἀναλύειν apud *Lucam* ponitur pro reverti, & domum redire; utì etiam apud scriptores quà sacros, quà profanos, in locis quæ citârunt viri doctissimi *Camerarius* & *Scultetus*.

Phil. 2. 17. 18.

Luc. 9. 31. Joan. 3. 14. Joan. 11. 11. 1 Cor. 15. 42, 43. 2 Pet. 1. 14. Phil. 1. 23. Vid. *Ludov. de Dieu* & *Grotium* in locum hunc ad Tim. *Camerar.* in Luc. 12. 36. & *Scultet.* Exerc. Evang. lib. 1. c. 62.

§ XVI. Deinde *retrorsum spectat* Apostolus, & anteactam

actam optimè vitam lætus contemplatur. Enimvero utì præclarè dictum est ab epigrammatographo Latino,

Ampliat ætatis spatium sibi vir bonus; hoc est
Vivere bis, vitâ posse priore frui.

Priori autem vitâ frui is verè dicitur, apud quem obversatur memoriæ

Nulla dies, cujus non meminisse velit.

Hanc Paulo nostro conditionem obtigisse ex quo cœperat fidem Christianam profiteri, valde quidem probabile est ex commate septimo, ubi summâ, prout mihi videtur, lætitiâ perfusus ità progreditur. *Certamen illud præclarum decertavi, cursum peregi, fidem servavi*; quarum duæ priores metaphoræ ab athletis in gymnicis certaminibus, tertia verò à depositariis fortè sumitur.

A *Lacedæmoniis*, prout nos ex *Æliano* docet *Petrus Faber*, καλῶς ἀγωνίσασθαι dicebantur, qui in ipsa pugna occubuerant, quamobrem olivâ & aliis ramis redimiti, laudibus evehebantur ad superos. Nondum occubuerat *Paulus*; ausus est tamen, morti jam proximus, ità profiteri, τὸν ἀγῶνα τὸν καλὸν ἠγώνισμαι· de eo scilicet agone verba faciens, quem alibi vocat τὸν καλὸν ἀγῶνα τῆς πίστεως, *præclarum illud certamen fidei*, dum fidem Christianam adversùs opinionum monstra, morésque Christianæ fidei congruos adversùs hostiles vitiorum incursus tuebatur: ídq; sic, ut pugilem agens, aerem nunquam, antagonistam semper cæderet, prout ipse testatur primæ ad Corinthios nono, οὕτω πυκτεύω, ὡς οὐκ ἀέρα δέρων. Multi inter pugnandum frustraneis ictibus aerem verberant, intacto interim adversario. Majoris multò efficaciæ fuerunt ictus Paulini. Quoties illi res erat cum hæreticis, quod Tito in mandatis dedit, Ἔλεγχε αὐτοὺς ἀποτόμως. ipse præstitit, ad præcisionem usq; feriebat. Quoties cum propriâ carne, non levidensi castigatione usus est, sed (ut ipsius usurpem verba) *Contundebat corpus suum, & in servitutem redigebat.*

Agonist. l.3.c. 10. pag. 268.

1. Tim 6.12.

Vers. 26.

Tit. 1. 13.

1.Cor.9.27.

Quæ sequitur clausula B. Apostolum Cursorem eximi-

 um,

um, veréq; *Olympicum* (si sumatur Olympus pro Cœlo) fuisse demonstrat. Alibi dixerat currere se ὡς οὐκ ἀδήλως, i. e. cum profectu ac progressu, *non inconspicuè* (hoc est enim

1 Cor. 9.26. ἀδήλως) verùm ità, ut illum in Religionis stadio non movere tantùm, sed & promovere constaret spectatoribus universis, præsertim sibi, qui se quotidie meliorem sensit, & metæ cœlesti viciniorem. Hîc, instante vitæ termino, τὸν δρόμον, inquit, τετέλεκα, *Cursum peregi*, ad exemplum Domini sui

Joan. 17. 4, 5. Jesu Christi, qui sic olim allocutus est Patrem, *Ego te glorificavi in terra; Opus consummavi, quod dedisti mihi ut facerem: Nunc igitur glorifica me Tu Pater apud temetipsum.*

§ XVII. Impleverat jam tandem Paulus præceptum illud suum (si modò suum) ad Hebræos undecimo, commate primo, Ὄγκον ἀποθέμενοι πάντα, καὶ τὴν εὐπερίστατον ἁμαρτίαν, δι' ὑπομονῆς τρέχωμεν τὸν προκείμενον ἡμῖν ἀγῶνα. Ὄγκος vulgo Pondus vel Onus redditur, & exponitur de hujusce seculi sive deliciis, sive curis, quæ currentibus impedimento sunt. Sed recentiores quidam Critici de arrogantia & fastu vocem intelligunt, *Hesychium* secuti, Ὄγκος ait ille φύσημα, ὑπερηφανία· *Stephanum* in glossa, ubi Ὄγκος tumor, Ὀγκόω turgeo: & *Plutarchum*, qui alicubi ὄγκου καὶ φρονήματος γέμοντας, tumore & opinione de se plenos percipiendis disciplinis inutiles esse docet. Cl. " vir *Daniel Heinsius* hanc ipsissimam arrogantiam perstrin- " gi vult, quando scilicet quis eò se existimat pervenisse, quò " nondum pervenit: quâ quidem opinione nihil magìs ob- " stat currentibus. Eam Paulus à se amolitur sedulò, cùm

Phil. 3. 13, 14. ità scribit ad Philippenses, *Fratres, ego meipsum non reor metam apprehendisse. Unum autem ago; Ea quidem quæ à tergo sunt obliviscens, ad ea verò quæ à fronte sunt contendens, scopum versùs feror, ad præmium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. Ludovicus de Dieu* fastum etiam intelligit, sed " alterius planè generis. Fateor, inquit, Ὄγκον potiùs tumo- " rem significare, atque hîc pro fastu animi, ut & passim " apud bonos authores, rectè accipi: quo non persuasionem

" illam

" illam intelligo, quâ quis se ad metam jam pervenisse te-
" mere credit; sed quâ quis, nimium sibi tribuens indignas
" se afflictiones autumat. Nihil enim adeò τῇ ὑπομονῇ adver-
" sum, quàm iste fastus -- Si quis se tanti faciat, ut cum illis
" & ad eorum exemplum, quos capite undecimo memora-
" verat, pati nolit, & δι' ὑπομονῆς τρέχειν τὸν προκείμενον ἀγῶνα· cum
" colligit Apostolus verè ὄγκον, i. e. fastum suum patefacere,
" qui deponendus sit, ut cursus rectè absolvatur. Sic ille.
Sin autem hic sensus loci sit, negari non potest, depositum etiam à Paulo fuisse fastum hunc, quoniam ipsi cum perpessionibus optimè quidem conveniebat, adeò ut dixerit, *Acquiesco in infirmitatibus, in injuriis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo.* At enimvero praeter ὄγκον, de quo dictum est satis, deponere jubentur ibidem Hebraei τὴν εὐπερίστατον ἁμαρτίαν. Quid illud sit nondum convenit inter interpretes. Nuper è nostratibus prodiit Paraphrastes idem & Scholiastes eruditissimus, qui novam cudit expositionem. Eam ego in gratiam exterorum, quibus ignota est lingua Anglicana, propositurus illico sum, & illustraturus; videtur enim utcunq; recens, minimè tamen contemnenda. Vox περίστασις propriè circumstantiam notat. Apud Rhetores θέσις ἀπερίστατος dicitur quae nudè proponitur, nullis vestita circumstantiis: proinde per εὐπερίστατον ἁμαρτίαν illud designari peccatum existimat, quod animo sub pulchro quidem sed fallaci praetextu, pérq; varia circumstantiarum lenocinia usq; adeò commendatur, ut eum ad se fortiter alliciat, & prae aliis omnibus vitiis apud eum in pretio sit. Multa certè commentantur Theologi, praesertim practici, de *peccato in deliciis*, vel ut nos Angli vocamus, *Gremiali*, A bosome sin; quo non deposito fieri nequit, ut quis à carceribus ad metam in genuinae pietatis stadio feliciter decurrat. Quanquam aboleri nequaquam poterit, donec in vivis homo fuerit, Naturae pravitas (de qua tamen venerabilis Beza locum exponit fidentissimè; Ἁμαρτίαν, inquit, non est dubium quin naturae nostrae pravitatem vocet, & quidem addito perelegant

2 Cor. 12.10.

D. H. H.

epitheto εὐπερίστατον) deponi utiq; potest & solet in verè renatis peccatum quodvis gremiale. Davidem testor, qui ex indole renatorum communi, *Fui,* (inquit) *integer & servavi me ab iniquitate mea.* Jam verò quod illius ævi Christianis adblanditum est vitium, séq; præ aliis insinuavit, utpote multis eísq; plurimùm lenocinantibus circumstantiis commendatum, syncretismus erat cum Judæis, aut Judaizantibus Christi asseclis. Quicquid autem ab aliis factum sit, se ab illo Paulus alienissimum præstitit, atq; adeò curriculum suum minimè interruptus absolvit. Huc spectat illud ad Galatas de irreptitiis falsis fratribus, *qui fuerant*, inquit, *clam ingressi ad explorandam libertatem nostram, quam habemus in Domino, ut nos in servitutem adigerent; Quibus nè ad momentum quidem subjiciendo cessimus; ut veritas evangelii permaneret apud vos.* Superest hujusce commatis novissima clausula, τὴν πίστιν τετήρηκα. Sciendum est Christum & Christianos sibi mutuò creditores esse. Christo suam ipsius animam Christianus, Ille Christiano suam concredit veritatem. Uno quasi Spiritu utriusq; depositi meminit Apostolus in altera ad Timotheum; *Novi cui crediderim, & mihi persuasum est eum posse depositum meum in illum diem custodire.* Mox autem sic, *Præclarum illud depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis.* Pauli animam Christus in mille periculis custodierat; Christi veritatem Paulus hactenus sartam tectam servaverat: ideóq; brevi expiraturus fidenter ait & lætanter, *Fidem servavi.* Thebanorum dux *Epaminondas*, hastâ trajectus, quærebat primùm an clypeus suus salvus esset, deinde an hostes penitus fusi: utrumque cùm affirmâssent milites, *Non finis*, inquiit, *Commilitones, vitæ meæ, sed melius & auctius initium advenit: Nunc enim vester Epaminondas nascitur, quia sic moritur.* Verba profectò non indigna quæ vel ab homine Christiano, sub ipsa morte usurpentur, profligato Satanâ, defensâ veritate, salvâque fidei certitudine, quam clypeo in supradictis assimilavimus.

Psal. 18. 23.
Galat. 2. 4, 5.
2 Tim. 1. 12, 14.
Valer. maxim. lib. 3. cap. 2.

§ XVIII.

§ XVIII. Denique, *Sursum attollit* oculos, & cœlum aspiciens, Quod reliquum est, inquit, *Reposita est mihi justitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, justus ille judex.* Cùm athleticæ finis sit rei militari subservire (unde illud *Dionysii Halicarnassei* ὁ τρόπος τῆς ἀγωνίας χρήσιμος πρὸς τὴν ἀνδρείαν τὴν ἐν τοῖς πολέμοις, *genus illud exercitationis ad virtutem bellicam magnopere conducit*) & imaginem pugnæ bellicæ præ se ferat Agonistica, adeò ut *Plato* bellatores appellaverit *militares athletas*; Nil equidem miri si Apostolus agens de militia & victoria Christiana sæpius ad Græcorum agones alludat: Id quod hîc facit clarissimè, semetipsum victori, Christum agonothetæ comparans, & vitam æternam coronæ in brabeum traditæ. Apud Fabrum Agonistic. pag. 2. Ibid. p. 234.

E Græcorum certaminibus celebratissima fuerunt *Olympia, Pythia, Isthmia*, & *Nemea*; in quibus omnibus moris erat ut Brabeutæ vincentibus coronas in præmium assignarent, quanquam diversi generis: nam in Olympiis ex oleastro, in Pythiis ex lauro, in Isthmiis ex pinu, in Nemeis ex apio conficiebantur. Hinc factum ut æternæ vitæ præmium à summo brabeuta veris hieronicis, id est, piis & vincentibus Christianis assignatum *corona* audiat. Paulus alibi, *Decerta præclarum illud certamen fidei: Apprehende vitam æternam.* Jacobus, *Beatus est vir qui sustinet tentationem*, ὅτι δόκιμος γενόμενος λήψεται τὸν στέφανον τῆς ζωῆς, *quoniam probus compertus accipiet coronam vitæ.* Cui consonum est carmen illud quod invenitur inter oracula Sibyllina, 1 Tim. 6. 12. Jacob. 1. 12.

Ἁγνὸς γὰρ Χριστὸς τούτοις τὰ δίκαια βραβεύσει
Καὶ δοκίμοις στέψει.

Porrò vocabulum hoc *Corona* vitæ æternæ applicatum duo designat, Gloriam scilicet illius præmii, (coronâ siquidem seu diademate nihil est inter sublunaria gloriosius, unde passim in Apocalypsi coronis Optimates insigniuntur) & amplitudinem illius gloriæ; quia sicut coronâ caput undiq; cingitur, ità totus homo cœlesti gloriâ. *Annum* bonitate suâ *coronare* dicitur Dominus, quia singulæ tempestates an- Psal. 65. 11.

 ni

ni suis quæq; frugibus & Dei erga nos beneficiis cumulantur: sic cùm utramque stolam induerit cœli incola, singulæ facultates, singuláque corporis membra cœlestem penitissime gloriam imbibent; atque adeò totus homo coronabitur.

§ XIX. Justitiæ verò Corona dicitur duplici nomine, tum quia nobis parta est & *acquisita per justitiam Christi*, tum quia *donata est ex justitia Dei*. Quod ad prius attinet; Triplex est justitia Christi, si latissimè sumatur; Personalis scilicet, Officialis, & Fidejussoria. *Personalis* est illa justitia essentialis & infinita, quæ secundæ Trinitatis personæ, quà tali, competit; quæq; sic est Justitia Dei, ut Deus sit. *Officialem* appello illam, quam præstitit Christus suscipiendo in se officium illud Mediatoris augustissimum simul & difficillimum, ex mandato & lege quam ea de re tulerat Pater.
Psal. 90. 8, 9. Hujusce legis meminit Dominus apud Psalten, *Ecce venio. Facere voluntatem tuam, Deus mi, delector; Lex tua est in visceribus meis.* Hujusce mandati apud Joannem Evangeli-
Joan. 10. 18. 14. ult. stam semel atque iterum, *Hoc præceptum accepi à Patre meo, & prout præcepit mihi Pater, ità faciam; surgite*, &c. cùm se ad pasionem accinxit. Justitiam Fidejussoriam voco eam, quam Christus post susceptum in se officium Mediatoris in ejusdem executione complevit. Officialem Deo Patri exhibuit, ut filius morigerus. Fidejussoriam Deo judici ut vas & sponsor. Per illam implevit legem specialem, quæ præter ipsum neminem obligabat (cui enim Angelorum dictum est à Deo, esto tu Mediator inter me & homines?) per hanc, moralem, cujus vinculo tenentur omnes Adami posteri, æquè ac olim Adamus ipse, quà creaturæ rationales. Illam deniq; Christus pro se præstitit, hanc pro nobis; utpote qui virtute hypostaticæ unionis supra legem moralem positus erat, & totius Decalogi, æquè ac *Sabbati Dominus*: se tamen toti Legi subjecit, ut noster fidejussor, postquam ultro munus illud subiverat.

Etsi verò sufficiat nobis ad justificationem sola fidejusso-
ria,

ria, quippe resultans ex tota Christi obedientia; quæ dicenda est potiùs uno vocabulo *Activo-Passiva*, quàm in Activam & Passivam dividenda, ut in partes integrantes: quia Christus Dominus activè se habuit in omnibus suis perpessionibus (volens enim & ex summa dilectione pœnas subiit, ac vitam posuit) passivè in omnibus actionibus Mediatoriis. Siquidem etiamsi non erant omnes dolorificæ; singulæ tamen exinanitionem spirabant & humiliationem multo majorem, quàm præstaret supremus in orbe Monarcha, si ad sublevandos pauperes è solio descenderet, & in vilissimo sterquilinio resideret. Etsi, inquam, sola hæc fidejussoria nobis imputata sufficiat ad justificationem: reliqua tamen, quanta quanta sit, Christi justitia, ad salutem plenariam, vitæque æternæ coronam nobis acquirendam tota requiritur. Quin & absque tota si fuisset, fieri nequaquam potuisset, ut *Gratia regnaret per justitiam ad vitam æternam per Jesum Christum Dominum nostrum.* Rom. 5. ult.

§ XX. Quod ad posterius, Coronam hanc donari diximus ex justitia Dei. Quæri solet à Scholasticis, Utrùm inter Deum & homines dari possit justitia stricta! Respondetur negativè. Quoniam illam duo constituunt (docente *Lessio*) Debitum scilicet & Æqualitas. Et ratio justitiæ (asserente Thomâ) consistit in hoc, quòd alteri reddatur quod ei debetur, idq; secundùm æqualitatem. Neque enim datur ex parte Dei debitum obligationis per modum stricti juris, nec ex parte hominum æqualitas dati & accepti. Scitum est illud Jurisconsultorum, *Debet, inciviliter de Deo dicitur.* Illud etiam Bernardi, *Non sunt talia hominum merita, ut propter ea vita æterna debeatur illis ex jure, aut Deus aliquam injuriam faceret, nisi donaret: nam merita omnia Dei Dona sunt, & homo magis propter ipsa Deo debitor, quàm homini Deus.* Quicquid ingrati sophistæ garriant, credendum est firmiter, dari nihil ab hominibus per modum indebiti, vel accipi à Deo per modum lucri: quin & nullam æqualitatem intercedere inter illud quod nos concedimus per

De perfect. divin. l. 13. c. 1.
Aquin. 2a 2æ. qu. 80. artic. 1. in corpore.
Bern. Serm 1. de Annuntiat.

per modum obsequii, & illud quod à Deo recipimus per modum præmii. Servator noster liquidissimè, *Cùm vos*, inquit, *feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus. Quid prodest Deo si justus fueris?* (ait Eliphaz in libro Job) *aut quid ei confers, si immaculata fuerit via tua?* Atque etiam Elihu, *Justè si egeris quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?*

Luc. 17. 10.

Job 22. 3.

35. 7.

Macar. homil. 15. p. m. 206.

" Addo dictum *Macarii* nobile. De munere quod Christi-
" ani hæreditario jure possessuri sunt rectè hoc quis dicere
" possit, Εἰ ἕκαστος ἀφ' οὗ ἐκτίσθη ὁ Ἀδὰμ ἕως τῆς συντελείας τοῦ κόσμου ἐπο-
" λέμει πρὸς τὸν Σατανᾶν καὶ ὑπέμενε τὰς θλίψεις, οὐδὲν μέγα ἐποίει πρὸς τὴν
" δόξαν ἣν μέλλει κληρονομεῖν, id est, si quispiam ex quo creatus
" est Adamus usq; ad consummationem mundi dimicaret
" contra Satanam, & sustineret afflictiones, nihil magni
" peragerет respectu gloriæ quam consecuturus est.

Hisce tamen non obstantibus ipsi etiam Deo competit duplex *debitum. Condecentiæ* unum, *Fidelitatis* alterum; quorum respectu justus dicitur in hujusce coronæ largitione: non quidem justitiâ strictâ, de cujus formali ratione est, ut sit ad alterum, prout docet *Aquinas*; sed quoniam *hæc est illa promissio*, secundùm Joannem, *quam ipse pollicitus est nobis nempe vita æterna.*; & secundùm Jacobum, *Coronam vitæ promisit Dominus:* Omne verò promissum transit in debitum. Augustinus *Debitorem*, inquit, *Dominus ipse fecit se, non accipiendo sed promittendo.* Atq; iterum, *Reddis debita, nulli debens: donas debita, nihil perdens.* (Alibi verò, *Justum est ut Deus reddat, quia debet: debet autem quia promisit ex gratia, licèt non ex debito.* Et quoniam Deus sibi debitor est ut agat condecenter, & prout congruit bonitati suæ; utì seipsum negare non potest, ità non debet aliquid se indignum facere. Præclarè & perspicuè, prout solet, *Davenantius*.

2a 2æ qu. 58. artic. 2.
1 Joan. 2. 25.
Jacob. 1. 12.

In Psal. 83.
Confess. l. 1. c. 4.

De Justit. habit. & actual. p. 640.

" Justitia in Deo est divina voluntas sub ratione primæ re-
" gulæ seipsam determinans, ad agendum secundùm con-
" decentiam bonitatis suæ. Justitia igitur Dei non tam ad al-
" terum est, sicuti justitia humana, quàm ad seipsum quasi

" ad

"ad alterum: & cùm Deus dat vitam æternam Petro aut "Paulo, divina voluntas non ſolvit debitum creaturæ, ſed "ſibi ipſi. Et paulò pòſt, Agnoſcere debemus totum illud "jus, quod nos habere dicimur ad vitam æternam, in eo po-"ſitum, quòd Deus quaſi ſibi ipſi debitor eſt, ut agat "conformiter tum condecentiæ bonitatis ſuæ, tum fideli-"tati promiſsionis ſuæ.

§ XXI. Deniq; gloriatur Apoſtolus de repoſita hac corona, etſi nondum erat impoſita; quoniam in cœlo reponebatur, juxta illud Petri, *Regenuit nos Deus ad hæreditatem quæ nec corrumpi poteſt, nec marceſcere, nobis in cælis reſervatam*; atq; adeò in tuto conſtituta. Enimvero, teſte Servatore, qui in cœlo reconditur theſaurus perdi nequit, aut intercipi, cùm *illîc neque tinea, neque eroſio corrumpat, & fures non perfodiant neque furentur.* 1 Pet. 1. 3. 4. Matth. 6. 20.

Quia tamen ſunt qui coronam hanc amiſſibilem eſſe ſtatuunt, eò quòd dicitur in Apocalypſi, *Retine quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam*; opus erit antidotum adhibere; ſed paucis. Dato enim, at non conceſſo, intelligi illîc coronam vitæ, quam electis in cœlo repoſuit Dominus, non indè ſequetur deperdi eam poſſe; ſed indulgentiſſimum Patrem noſtrum hujuſmodi monitionum ſtimulos adhibere, & eoſdem efficaces reddere ad creandam in nobis perſeverantiam, nè perdatur. Sin autem de alia longè corona ſermo ſit, nihil omnino facit ad rem quæ controvertitur. Et certè aliam videtur Dominus indigitare; ſive eam quis *miniſterii coronam* eſſe dixerit, in hunc ferè ſenſum, Cave ſis "tibi Angele Philadelphienſis (nam ad Angelum ſcripta eſt "epiſtola) & muneri tuo, nè ſi te deſidioſum præſtiteris, "aut OEconomum malæ fidei, rejecto te alius in locum "tuum ſufficiatur; ſive potiùs *coronam veritatis & doctrinæ* evangelicæ, quâ Angelum ſimul & Eccleſiam pſeudapoſtoli ſpoliare ſatagebant. Ac ſi dixiſſet, Tene quam habes "ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων· eſt enim illa tibi tuiſq; inſtar co-"ronæ ſplendidiſſimæ. Faxis ut ſarta tecta ſit, & ut præ- Apoc. 3. 11.

V v "donum

" donum manus effugiat. Huic quidem interpretationi favere videtur (præter illud Apocalypseos duodecimo, commate primo de muliere amicta Sole, sub cujus pedibus erat Luna, & in capite corona stellarum duodecim: ubi coronæ caput cingenti assimulatur evangelium à duodecim Apostolis per orbem terrarum prædicatum) Hebræorum consuetudo, apud quos in more positum erat Legem Dei coronam nuncupare. Insigne est inter alia Rabbini cujusdam Simeonis effatum, *Tria coronarum genera sunt, Corona legis, corona sacerdotis, corona regni; sed corona bonæ famæ omnes superat.* Plura qui desiderat testimonia, adeat si velit, *Aloysii Novarini* Schediasmata sacro-profana in ipso vestibulo libri primi. Nobis alia texenda est tela.

Cap. IV.

Continens cœlestis triumphi qualemcunque σκιαγραφίαν.

Triumphus in Patria celebrandus describitur Apoc. 7. *à multitudine triumphantium, & eorundem varietate; quæ tamen non inferunt universalem redemptionem* Sect. 1, 2. *A situ etiam & ab habitu. Requiri ad formalem beatitudinem utriusque facultatis actum. Per vestium candorem designari dignitatem, puritatem & lætitiam, quas omnes Christo debent cœlites; per palmas victoriam* Sect. 4, 5. *Sanctorum acclamatio Dei bonitatem deprædicans, & tres salutis fontes aperiens. Illustratur locus ad* Roman. 9. 21, 22. *Asseritur contra*

contra Fr. Stancarum *mediatio Christi secundùm utramque ipsius naturam* Sect. 6, 7. *Angelici chori duplex gestus, unus ministrantium, alter adorantium. Quid* ἀνακεφαλαίωσις, Ephes. 1. 10. *Adoratio quid propriè sit* Sect. 8. *Ingentis controversiæ de gratia & libero arbitrio Determinatio Catholica* Sect. 9. *Pleiades sacræ in Angelorum doxologia*; εὐλογία *scilicet*, Δόξα, Σοφία, Ἐυχαριστία, Τιμὴ, Δύναμις, Ἰσχὺς *ordine suo pertractantur* Sect. 10, 11, 12, 13. *Epilogus cantici Angelici, & totius Dissertationis* Sect. 14, 15.

§ I. IN alto rerum & verborum oceano jactatus sum hactenus. Jam terram video, vel potiùs Cœlum, in quo terminanda est dissertatio. Cœlum, ubi Triumphus agitur: neque enim solent victores in hostico triumphare, sed post reditum suum in patriam. Versantur in hostico Christiani, quamdiu in mundo militiam exercent: sed ut *Horatium Coclitem* Romani στεφανώσαντες ἀπήφερον εἰς τὴν πόλιν ὑμνοῦντες ὡς τῶν ἡρώων ἕνα, *coronârunt & cum virtutum præconio velut unum ex Heroibus in urbem intulerunt*; Ità illi, postquam mundo per mortem valedixerunt, coronis redimiti, & encomiis ornati, introducuntur triumphantes *in civitatem Dei vivi; cœlestem Hierosolymam, ad myriadas Angelorum* (ut huc trahantur Apostoli verba haud equidem invita) *conventum universalem, & concionem primogenitorum, qui conscripti sunt in cœlis, & Judicem universorum Deum, & spiritus justorum consummatorum, & ad novi pacti Mediatorem Jesum, & sanguinem aspersionis potiora loquentem, quàm loquatur Abel.* Percellit profectò mihi animum tanta magniloquentia, & facit vel horum verborum majestas, ut clarè sentiam, quàm non sit nostrarum virium cœlestem

Dionys. Halicarn. Antiq. lib. 5.

Hebr. 12. 22. 23.

triumphum graphicè depingere; cujus excellentia & splendor humanum exuperant, & Angelicum poscunt eloquium. Conabor utcunque tamen illius qualem qualem σκιαγραφίαν exhibere; sequens ductum loci cujusdam Apocalyptici, quem etsi existiment nonnulli ad ecclesiam militantem spectare, fatentur tamen omnes in Triumphante complementum suum ultimum obtinere. Extat locus in umbilico capitis septimi, atq; ità se habet. *Vidi, & ecce aderat turba multa, quam numerare nemo posset, ex omnibus gentibus & tribubus, & populis & linguis: stabántque ante thronum & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum. Et clamabant voce magnâ, dicentes, salus à Deo nostro est, insidenti throno, & Agno. Omnes autem Angeli stabant in circuitu throni, & Seniorum, & quatuor animalium, & procubuerunt ante thronum in facies suas, & adorârunt Deum, dicentes, Amen. Benedictio, & gloria, & sapientia, & gratiarum actio, & honor & potestas, & vires Deo nostro in secula seculorum, Amen.*

Postquam mihi in mentem venerat, ad eum, quem jam dixi, finem periocham hanc elucidare; sese inter legendum obtulit magni cujusdam viri sententia, quam hîc celare nefas esset. Is est *Joannes Cluverus*, à me suprà laudatus aliquoties; qui in diluculi sui Apocalyptici tomo secundo, simulac ad hunc locum pervenisset, ità scripsit. Stat sententia de beatis spiritibus Sanctorum hanc visionem agere, adeóq; tam copiosam omnibus cœlestis patriæ candidatis lætitiam & consolationem suppeditare, ut haud sciam an ullus Scripturæ textus in hoc genere clarior extet. Quamobrem cùm ipse eum amo impensè, tum fratribus meis, ut eundem sibi quàm pretiosissimum æstiment suadeo. Sic ille.

Pag. 280.

§ II. Nobis hæc verba, etsi non admodum multa, videntur tamen totam quasi faciem ecclesiæ Triumphantis in synopsi coram sistere: Deum scilicet unà cum Agno beatificâ visione conspiciendum, beatósq; homines unà cum

electis Angelis Numen hoc ineffabile suis acclamationibus & doxologiis concelebrantes. De rebus interim arduis & abditis balbutienti dabit, uti spero, tum Christus veniam, tum etiam lector Christianus; quandoquidem ipse Paulus istam pro se apologiam texuerit, *Quum essem infans, ut infans loquebar, ut infans sapiebam, ut infans ratiocinabar.* 1 Cor. 13.11.

Sumi verò debet exordium dicendi ab ea, quæ se primùm offert, panegyri beatorum hominum; cujus hîc formatur descriptio multiformis.

Primò scilicet à multitudine. *Ecce aderat turba multa, quam numerare nemo possit.* Abrahamo Patri fidelium Deus olim dixerat, *Intuere nunc cœlum versùs, & numera ipsas stellas, si poteris numerare eas: sic futurum est semen tuum.* Genes. 15.5. Jacobo item, à quo inditum est ecclesiæ nomen Israelis Dei, *Reddam semen tuum numerosum ut arenam maris, quæ numerari non potest præ multitudine.* Genes. 32.12. Joanni patefactum est hîc in visione, quod utrique in promissis datum: & quod revera cedit tum in honorem Dei, apud quem ab omni retro æternitate sedit sententia *multos filios in gloriam adducere*; Heb. 2. 10. quoniam teste Solomone, *In multitudine populi est gloria Regis:* Prov. 14.28. tum in solatium beatorum qui eò sanè lætiores quò plures sunt. Unde Christus abituriens, discipulos suos mentione *multarum* in cœlo *mansionum* refocillavit. Joan. 14. 2. Dictat natura, & illius amanuensis Seneca, *Nullius boni sine socio jucundam esse possessionem.* Epist. 6. In cœlesti profectò beatitudine, ubi multiplicantur socii, nec deest aliquod boni genus, deesse non potest (quid dico deesse? non potest utique non adesse) omne genus jucunditatis.

Secundò, ab eorundem varietate, *Ex omnibus gentibus & tribubus, & populis & linguis.* Ex eo quod dicitur, *Sapientiam* (quem sibi titulum æternus Dei Filius assumit) *lusisse in orbe terrarum habitabili, & illius delicias esse ut sit cum filiis hominum*, Prov. 8. 31. colligi posse videatur, nullam extare, vel extitisse partem orbis habitabilem, quin in ea Christus aut habuerit, aut habeat, aut habiturus sit aliquos è filiis ho-

minum qui ipsi in deliciis sint. Quaquà latè patet mundus, patet etiam è mundo nonnullorum electio. Nasci proinde voluit Dominus, non in ædibus privatis, sed in Pandochio, publico scilicet diversorio, quod advenas ex omni gente re-
Heb. 13. 12. cipiebat; & non intra muros *Hierosolymæ, sed extra portam passus est:* forsan ut innueret se non pro Judæis solis, sed pro electis ex omni gente & populo mortem subiisse. Certè dum novæ Hierosolymæ portæ duodecim assignantur, illæque sic dispositæ ut tres ab oriente sint, & totidem ab
Apoc. 21. 12, 13. aquilone, ab austro item tres, totidémq; ab occasu, satis apertè declaratur in cœlum undequaq; conflui; & in ecclesiam Triumphantem Electis aditum patere, undecunque terrarum venerint. Hinc autem Christo Domino multùm laudis accrescere constat, vel ex illo novo cantico, cujus
Apoc. 5. 9. paulò antè meminerat author Apocalypseos, *Dignus es* (ad Agnum dirigitur alloquium) *qui accipias librum & aperias ejus sigilla: quoniam mactatus es, & redemisti nos Deo per sanguinem tuum ex omni tribu, & lingua, & populo & natione.*

Ab ista tamen Redemptorum varietate minimè sequitur ea, quam tantopere crepant Remonstrantes & alii, redemptionis universalitas; ac si Christus ex æquo pro omnibus & singulis animam suam posuisset, cùm eadem sit, secundùm alios, Electionis personalis, & redemptionis efficacis peripheria; & commensurentur opera SS. Trinitatis, Patris scilicet in eligendo, Filii in redimendo, & Spiritûs sancti in convertendo; adeò ut absolutè redimantur à Filio ii soli quos Pater elegit, & absolutè convertantur à Spiritu sancto ii soli quos Filius redemit. Ego quidem ità sentio, *Per mortem Christi ad omnes homines aliqua bona, ad aliquos homines (Electos scilicet eósque solos) omnia bona pervenire.* Verùm hîc ea de re prolixè differere, esset extra oleas vagari. Duo tantùm dicta nobilia, ut ut nonnullis parado-
De adulterin. conjug. lib. 1. c. 15. xa libet attexere. Unum est Augustini. *Omnis qui Christi sanguine redemptus est, homo est: non tamen omnis qui homo est,*

est, Christi sanguine redemptus est. Alterum Scoti, *sicut verbum prævidit passionem suam Patri offerendam pro Electis, sic eam efficaciter obtulit in effectu, & tota Trinitas pro eis passionem efficaciter acceptavit, & pro nullis aliis fuit efficaciter oblata, nec ab æterno acceptata.* In tertiam Sententiar. Distinct. 19. qu. unica.

§ III. Tertiò, Describuntur à situ; stabant ante thronum, & in conspectu Agni. Stare ministrantium est, quod eis in officio positum esse docet versus decimus quintus. *Ideo sunt ante thronum Dei, & colunt eum die ac nocte in templo ejus: Et qui insidet throno, proteget eos umbraculo.* Ante thronum Dei & in conspectu Agni stare summam felicitatem indicat. Dictum est olim Solomoni à Regina Shebæ, *Beati viri tui, & beati servi tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam.* Quantò magìs beati sint oportet, quotquot Dei in Christo faciem præsentes & perpetuò contemplantur! Quid eis ad culmen beatitudinis deesse poterit? Enimvero de beatitudine objectiva satìs convenit, *neq; facit beatum hominem nisi qui fecit hominem Deus*, utì post *Augustinum* omnes Theologi. De formali, quis nimirum sit actus ille principalis, quo beata mens fertur in objectum beatificans, inter scholasticos dimicatur. *Thomas* pro visione Dei, *Scotus* pro amore Dei, *Bonaventura* pro utroque fortiter pugnat. Mihi posse videtur tanta res tribus effatis definiri. 1 Reg. 10. 8.

Primò, Bene statuunt illi qui felicitatem aiunt in Dei visione consistere; modò solam visionem non intelligant. Sic enim Scriptura, *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc facie ad faciem. Cùm apparuerit, similes illi erimus; quia videbimus eum sicuti est. Beati sunt mundi corde, quoniam* "*ipsi Deum videbunt.* Sic Patres: *Augustinus*, Contem-"platio merces est fidei, cui mercedi per fidem corda mun-"dantur. *Irenæus*, Vita æterna unicuiq; evenit ex eo quòd "videat Deum. Imò sic ipsi saniores philosophi, *Aristote-*"*les*, Ἐστιν ἡ εὐδαιμονία θεωρία τις, id est, interprete *Eugubino*, Contemplatio Dei. *Seneca*, in calce epistolæ suæ centesimæ secundæ, 1 Cor. 13. 12. 1 Joan. 3, 2. Matth. 5. 8. De Trin. l. 1. c. 8. Contra hæres. l. 4. c. 37. De peren. philosoph. lib. 4. c. 11.

" ſecundæ, ubi inter alia lectu digniſſima, Per has, inquit,
" mortalis ævi moras, illi meliori vitæ longioríq; præludi-
" tur. Nondum cœlum niſi ex intervallo pati poſſumus.
" Aliquando Naturæ (Naturantem opinor vult, id eſt, De-
" um) tibi arcana retegentur; diſcutietur iſta caligo, & lux
" undique clara percutiet. Nulla ſerenum umbra turba-
" bit, &c.

Secundò, Meliùs fortè ſentiunt illi, qui ſitam exiſtimant beatitudinem in amore Dei; modò non excludant viſionem. Sita profectò eſt in perfectione ultimâ optimâque. Amorem Dei optimam eſſe perfectionem ex eo patet, quòd odiſſe Deum pejus eſt quàm non cognoſcere; imò omnium quæ in creaturas cadere poſſunt longè peſſimum. Ergò ex lege contrariorum, Amare Deum meliùs eſt quàm eum videre, atq; actus longè optimus. Ultimam eſſe ex eo colligitur, quòd Amor viſionem ſequitur: neq; enim diligunt beati ut Deum videant, ſed vident ut diligant: quippe hîc etiam valet illud, Ἐκ τοῦ ὁρᾶν τὸ ἐρᾶν, *Oculi ſunt in amore duces.* Porrò poſitam eſſe felicitatem in Dei fruitione nemo ſanus
De Doctrin. Chriſtian. cap. 4. negabit: *frui* verò ſecundùm Auguſtinum, *eſt alicui rei propter ſeipſam per amorem inhærere.* Id pleniſſimè fit in patria,
De Trinit. l. ult. ubi quieſcit affectus in Deo, &, ut idem Pater loquitur, *Appetitus inhiantis fit amor fruentis.*

Tertiò, Optimè philoſophantur illi, & acu rem tangunt, qui in utroque, viſione ſcilicet & amore Dei ſimul conſiſtere volunt beatitudinem. Hoc eliciunt nonnulli ex effatis qui-
Pſal. 34. 8. buſdam Davidicis; illo nimirum, *Guſtate & videte bonum*
In cap. 7. *Dionyſ.* de cœleſt. hierar. *eſſe Jehovam*; ubi ſic Hugo Victorinus, *In Guſtate dilectio, in videte cognitio eſt:* atq; illo, *Torrente deliciarum tuarum*
Pſal. 36. 9, 10. *potabis eos*, ecce fomitem amoris: *Quandoquidem apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*; ecce privilegium viſionis. Eſſentialis beatitudo in Dei poſſeſſione conſtituenda eſt. Utriuſq; verò facultatis actu, voluntatis ſcilicet & intellectûs æquè principaliter ac immediatè beati Deum poſſidebunt: Ità *Jacobus Baynus.* Beatitudo ſecundùm Boëthium

"thium est status omnium bonorum aggregatione perfe- Instit. Relig. Christian. l. 1. c. 371. p. 291.
"ctus; ergò consistere debet in operationibus utriusque
"facultatis rationalis; quia si deesset vel visio Dei ut primi
"veri, vel illius fruitio per amorem ut summi boni, mane-
"ret in mente inquietudo. sunt autem inquietudo & beati-
"tudo incompatibiles. Ità *Gregorius de Valentia*, qui hoc argumentum habet pro firmissimo. In 1am 2æ Disp. 1. qu. 3. punct. 4.

Sin autem quæratur quare, rebus sic stantibus prout à nobis dictum est, tum sacræ literæ, tum Theologi toties inculcant visionem, quando de statu Beatorum verba faciunt, & parciùs loquuntur de amore: Responderi fortè potest haud incommodè, hoc ideo fieri, non quòd clara Dei visio sit ipsa per se vel integra beatitudo, vel illius potior pars; sed quia per solam visionem viatores à comprehensoribus distinguuntur. Siquidem quoad charitatem minimè differunt, cùm Deus utrobiq; diligatur eodem amore, de quo Paulus, *Charitas nunquam excidit*; sed quoad visionem maximé. *Illi* enim *per fidem ambulant*, hi *per speciem*. Sin ulteriùs dubitetur, quî fiat ut beatitudo, quæ una res est, in pluribus sita sit; dici solet plura illa in unum formale coalescere. Attende sis, Lector, ad *Livium Galantem* in sua
"Christianæ theologiæ cum Platonica comparatione. Cha- Lib. 17. p. 423
"ritas, inquit, in patria est finis ipsius visionis, sicut in via
"finis præcepti est ipsamet charitas. Visio est intellectûs,
"& est principium beatitudinis; fruitio & charitas sunt vo-
"luntatis, & sunt finis ejusdem. Igitur sunt duæ causæ par-
"tiales Beatitudinis, unam formalem totalem facientes.
"Beatitudo est operatio intellectûs quoad originem, sive
"initiativè, & est etiam voluntatis quoad finem, hoc est
"completivé. Hæc ille. Ego sic breviter statuo, *Felicitas hominis consistit quidem in visione, sed charitativâ; & in amore, sed oculatissimo.*

§ IV. Quartò, ab habitu, eóq; duplici; *Amicti stolis albis, & gestantes in manibus palmas.* Candor vestium tria designat. Primo, Dignitatem; quod ubique ferè gentium

obtinuit. Inter alia ornamenta Senatori Romano tribuitur
Lib. 2. Epigram. 19. à Martiale,

Et toga non tactas vincere jussa nives.

1 Reg. 24. 8. Optimates apud Judæos dicebantur חוֹרִים, unde Græca
Nehem. 4. 14. 19. vox ἥρωες, id est ad literam, *Albi*, respectu candidarum vesti-
Genes. 41. 42. um. *Josephus* inter Ægyptios ad summum dignitatis apicem
evectus, ex mandato Pharaonis vestes Xylinas induebat, &
Esther. 8. 15. apud Persas *Mardochæus* egressus è conspectu regis cum in-
dumento Regio, hyacinthino & *albo*. Secundò, Puritatem.
In more positum erat eos qui Romæ magistratum aliquem
petebant, albis indui, unde *Candidati* audiebant; hoc scili-
cet ritu eam præ se ferentes morum probitatem, quam à tali
magistratu Reipublicæ leges exigebant. Quin & Christiani
veteres recens baptizatos induebant stolis albis, ut animi
munditiem indicarent, quod isto versiculo notavit *Lactan-
tius*,

Fulgentes animas vestis quoque candida signat.

Apoc. 19. 8. Uxorem Agni cernere est in Apocalypsi, *amictam bysso mun-*
Psal. 51. 7. *dâ & splendidâ*; τὸ γὰρ βύσσινον τὰ δικαιώματά ἐστι τῶν ἁγίων. David
ità precatus est, *Expiato me hyssopo, ut mundus sim; abluito
me, ut præ nive albescam.* Et alicubi memorat Prudentius,
niveum pietatis amictum. Tertiò, Lætitiam. Pullis lugen-
tes, lætantes albis solebant indui, ut in festis celebrandis;
unde illud Horatii, *Festos albatus celebret:*
Eccles. 9. 7, 8. Imò illud Solomonis, *Comede in lætitia panem tuum, & bibe
cum gaudio vinum tuum. Omni tempore sint vestimenta tua
candida.*

Hæc autem omnia Sanctis triumphantibus apprime con-
veniunt. Quippe dignitatem adepti sunt Sacerdotalem simul
& Regiam, quarum utramq; designabant apud Judæos ve-
Animadvers. in Apoc. 3. 4. stes albæ. Illam, uti patet ex *Maimonide*, quem citat *Ludo-*
" *vicus de Dieu* ità loquentem, Quicunq; Sacerdos rejecti-
" tius est quoad genealogiam suam, induitur velatúrq; ni-
" gris vestibus, & exit ex atrio. Quicunq; autem invenitur
" integer & rectus, induitur albis, ac ministrat cum fratri-
" bus

" bus suis sacerdotibus. Hanc, utì constat ex collatione *Lucæ* in Actis, ubi *Herodes Agrippa* sedisse dicitur pro tribunali indutus veste regiâ, cum *Josepho* in suis Antiquitatibus, " qui hæc habet, Amictus veste totâ ex argento mirabili " opere contextâ, quæ radiis exorientis solis percussa, " & divinum quendam fulgorem emittens, venerationem " cum honore excutiebat spectantibus. Puritatem etiam nacti sunt quàm fieri potest purissimam. Tunc enim verè Deiformes, vel *similes Deo fiunt*, utpote qui Illum *vident sicuti est*. Item lætitiam quàm fieri potest jucundissimam: unde illud Augustini, *O gaudium super gaudium, gaudium vincens omne gaudium, extra quod non est gaudium! Quando intrabo in te, ut videam Deum meum qui habitat in te?*

Act. 12. 21. Lib. 19. c. 7.

§ V. Isthæc interim universa debere se agnoscunt Sancti, & in æternum debituros beatissimo nostro Mediatori Jesu Christo. Dicuntur enim paulò pòst hoc ipso in capite *lavâsse stolas suas, ac dealbâsse in sanguine Agni.* Hinc ille nexus dignitatis sacerdotalis & regiæ cum lotione per sanguinem capite primo; *Qui dilexit nos & lavit à peccatis nostris per sanguinem suum, & fecit nos reges & sacerdotes Deo & Patri suo.* Ab eodem fonte puritatem arcessit Author ad Hebræos, *Si sanguis taurorum & hircorum, & cinis juvencæ aspergens inquinatos, sanctificat ad carnis puritatem: quantò magis sanguis Christi qui per Spiritum æternum seipsum obtulit inculpatum Deo, emundabit conscientiam vestram à mortuis operibus ad colendum Deum vivum?* Quid quòd ipsa vox *Sanctus* dicitur, Isidoro teste, quasi *sanguine tinctus*: quoniam antiquitus qui purificari volebant, sanguine hostiæ tingebantur? In politicis equidem, prout monet Poeta, *virtute decet non sanguine niti.* Sed in Theologicis nequaquam propriâ virtute nitendum est, verùm solius Christi sanguine. Martyres erant horum nonnulli, & pro Christo sanguinem suum effuderant, vestes tamen dealbârunt, non in proprio, sed in Ipsius sanguine. Lætitiam quod attinet, eam, quanta quanta sit, totam acceptam ferunt Christo

Apoc. 7. 14. Apoc. 1. 5, 6. Heb. 9. 13. 14.

Domino, eíq; crucifixo. In cujus fortè rei memoriam instituta fuisse videatur apud Italos, præsertim *Mantuæ*, ille militum ordo, quorum titulus est, *Milites sanguinis Domini nostri Jesu Christi*, à summo Pontifice *Paulo* quinto approbatus. Siquidem eis à collo pendent duo Angeli, tres sanguinis guttas subvehentes, hoc adscripto symbolo, *Nihil isto triste recepto.*

Quod reliquum est, describitur turba hæc ut palmifera, ídq; proculdubio in signum victoriæ, quæ apud Claudianum poeticè depingitur.

Ut palmâ viridi gaudens, & amicta trophæis.

Æneid. l. 5. carm. 110, 111. Apud Virgilium certaturis proponuntur inter alia

--- sacri tripodes viridésq; coronæ,
Et palmæ pretium victoribus. --

Plutarch. Sympos. l. 6. qu 4. A. Gell. Noctium Attic. l. 3. c. 6. Cujus rei causam hanc assignat *Plutarchus*, & ex illo *A. Gellius*, quòd lignum Palmæ urgentibus, opprimentibúsq; "non cedat; imponantur licèt illi magna pondera, non deorsum palma cedit, nec intrà flectitur, sed adversùs pondus resurgit, & sursum nititur recurvatúrque. *Grynæus* in

Lib. 2. Epist. 15. p. 475. epistolis suis à *Sculteto* in lucem editis rem totam brevi disticho comprehendit.

Pressa sub ingenti ceu pondere palma virescit,
Sub cruce sic florent debita corda Deo.

Apoc. 7. 14. Illis idcirco de quibus hîc agitur meritò tribuuntur palmæ: *Venerant* enim prout in textu sequitur, *ex afflictione magna*, & adepti tandem sunt finem fidei suæ, salutem scilicet animarum. In Sancto Sanctorum sculptas olim fuisse, palmas legimus in sacro codice. Sanctum Sanctorum cœlo cœlorum, id est supremo pulchrè respondet (uti atrium interius, in quo sita erant candelabra, cœlo stellato; & atrium gen-

1 Reg. 6. 29. tium sive exterius cœlo infimo). Illi adaptantur palmæ, quoniam in cœlum tertium, cujus imaginem præ se ferebat, soli intrant victores mundi, carnis & Satanæ.

§ VI. Sequitur eorundem acclamatio, & attentionem sibi vendicat singularem; *Clamabant voce magnâ, dicentes*

ἡ σωτηρία τῷ Θεῷ ἡμῶν τῷ καθημένῳ ἐπὶ τῷ θρόνῳ καὶ τῷ ἀρνίῳ. *Salus à Deo nostro est insidenti throno, & ab Agno.* Quæ verba sunt non optantium, sed laudantium; nec votum in se continent, sed confessionem; neq; enim dicunt illi salutem plurimam, qui ipsi salus est, sed omnem ascribunt. Nósq; docent apertissimè quòd Deus in Christo is est, cui soli & in solidum debemus salutem omnimodam. De temporali si sermo sit, *Jehova est salus* ait Davides. Moses etiam ad populum Is- Psal. 3. ult.
raeliticum tunc temporis ad incitas redactum, *Nè timeatis,* Exod. 14. 13.
consistite & spectate salutem Jehovæ. Purum putum atheismum spirat illud *Mezentii* apud Virgilium, Æneid. l. 10.

Dextra mihi Deus, & telum quod missile libro.

A Pharaone veri Dei notitiâ nequaquam imbuto vocatus est Josephus novo nomine *Zaphnath-Paaneah*, id est, interprete Hieronymo, *salvator mundi.* Sic enim vulgatus in ipso textu, *Vertítque nomen ejus, & vocavit eum linguâ Ægy-* Gen. 41. 45.
ptiacâ salvatorem mundi. Ipse verò Josephus ad fratres suos de eadem salute verba faciens, non se, sed Deum illius authorem planè constituit. *Pro salute*, inquit, *vestra misit me* Gen. 45. vers. 5. 7, 8.
Deus ante vos in Ægyptum. Præmisit me Deus ut reservemini super terram, & escas ad vivendum habere possitis. Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum, &c.

Sin autem agatur de salute spirituali in æternam desinente, in singulis illius gradibus elucent dona Dei gratuita. Siquidem in Electione gratis nos Christo dedit. *Tui erant,* ait Joan. 17. 6.
apud Joannem Dominus ad Patrem, *& tu mihi eos dedisti.* In redemptione Christum nobis, ut est apud Isaiam, *Nobis* Isai. 9. 6.
natus est puer, filius nobis datus est. Fides quâ Christum ad salutem apprehendimus, ex illius dono est; sic enim Paulus, *Gratiâ servati estis per fidem; & hoc non ex vobis, sed* Ephes. 2. 8.
Dei donum est. Pariter & obedientia, quâ fidem testamur, prout idem Paulus asserit, *Quæ in me collata est gratia non* 1 Cor. 15. 10.
fuit inanis; sed ampliùs quàm illi omnes laboravi: non ego tamen, sed gratia Dei, quæ mecum est. Quin & perseverantia, quæ consummat obedientiam; sic enim Dominus per pro-

Jer. 32. 39. 40. phetam, *Indam illis cor ad reverendum me omnibus diebus, & Reverentiam mei indam animo ipsorum, ut non recedant à me.* Ipsa denique vita æterna, quæ coronat perseverantiam. Ità Christus, *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Apoc. 2. 10.

§ VII. Sed & hinc præterea nostræ salutis fontes primarii semetipsos indagantibus patefaciunt. Eorum primus est fœdus illud gratiæ, quod nobiscum inire dignatus est Dominus, & cujus ratione peculiariter Deus hîc illorum dicitur, qui salvantur. Τῷ Θεῷ ἡμῶν. *Tuus sum ego, salvum me fac*, ait Davides: & ecclesia apud Jeremiam, *Ecce nos venimus ad te: Tu enim es Dominus Deus noster. Verè in Domino Deo nostro salus Israel.* Hoc autem non ad omnes extendi, sed pro solorum Electorum privilegio habendum esse suadet ille locus *Danielis* ubi de Messia dicitur, *Corroboravit fœdus multis.* LXX δυναμώσει διαθήκην πολλοῖς. Quò respexisse videtur Christus in cœnæ Dominicæ institutione, quando sic affatur discipulos, verba faciens de poculo. *Hoc est sanguis meus novi fœderis, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Et post eum Paulus, *Per unius obedientiam justi constituentur multi*, οἱ πολλοί. Illi scilicet multi de quibus Daniel in prophetia. Quinam autem illi fuerint si quæratur, re-"spondet *Piscator* Electos intelligi. Vox apud Prophetam "est לָרַבִּים, vertit ille præstantibus illis, id est, inquit, Ele-"ctis, & confert cum Esaiæ dicto, Cognitione sui justifi-"cabit justus servus meus *Larabbim*, præstantes illos. Ista si valeat interpretatio, næ dicendum est fœdus gratiæ, initum esse non cum omnibus, sed cum multis illis præstantibus, sive Electis; & sanguinem fœderis pro eis effusum, si non solis; modo saltem & intentione speciali.

Psal. 119. 94. Jer. 3. 22, 23. Dan. 9. 27. Matth. 26. 28. Roman. 5. 19.

Salutis nostræ fons secundus est supremum Dei dominium, quod hisce verbis indicatur, *Salus à Deo est insidenti throno.* Hoc enim summarum potestatum est, teste Davide; *Sedet Dominus Rex in æternum.* Atq; iterum, *Dominus in cœlo paravit sedem suam, & regnum ipsius omnibus dominatur.*

Psal. 29. 10. Psal. 103. 19.

Indè

Indè penes Deum est quos voluerit eligere, & quos elegit ad salutem infallibiliter perducere. Gratiam utiq; discriminantem arcessit Christus à supremo Dei dominio, quando Patrem sic alloquitur, *Gloriam tibi tribuo, Pater Domine cœli & terræ, quòd hæc occultaveris à sapientibus, & intelligentibus; et ea retexeris infantibus. Etiam Pater, quoniam ità placuit tibi.* Nec non Paulus, qui ut garrulæ rationi os obstrueret, de cœlo sic intonat in epistola ad Romanos, *O homo tu quis es qui ex adverso responsas Deo? Num dicet figmentum fictori Cur me tale fecisti? Annon habet potestatem figulus in lutum, ut ex eadem massa faciat aliud quidem vas ad decus, aliud verò ad dedecus?* Nolo jam *Calvini* vel *Bezæ*, nedum *Amesii* vel *Twissii* glossemate textum hunc Apostolicum amentare. Solus audiatur impræsentiarum *Leonardus Lessius* Jesuita. Pendet, inquit ille, creatura à solo Deo quoad omnia, & quamvìs in multis utatur causis secundis, has ipsemet instituit, & opus iis non habet. Fictile verò non à solo figulo pendet, sed ab argilla ex qua constat, ab aqua per quam maceratur, & tractabilis redditur, à rota quâ formatur, ab igne quo excoquitur; quibus omnibus non minùs quàm figulo debet, qui solum per motum localem illa applicat, per se autem nihil tribuit. Quòd si ipse habet tantum juris in fictile propter applicationem causarum quas ipse non fecit, & quæ ab ipso vim non habent; quantum juris erit Deo in creaturas, qui solus materiam, formam, potentias, qualitates & ornamenta omnia suâ vi contulit?

Math. 11. 25. 26.

Rom. 9. 21, 22.

Lessius de perfect. divinis, l. 10. cap. 3. § 19.

Tertius Fons est Christi Domini mediatio; siquidem hîc etiam Agno salus adscribitur; utì & alibi apud Petrum, qui nos redemptos fuisse asserit *non argento vel auro, sed pretioso sanguine, utpote Agni inculpati et incontaminati, nempe Christi.* Quæri solet in scholis, utrùm Mediator fuerit Christus quà Deus, an quà homo, an quà Θεάνθρωπος. *Petrus Lombardus*, & post eum *Franciscus Stancarus* illi Mediatoris officium competere non nisi secundùm humanam naturam docuerunt.

1 Pet. 1. 18. 19.

runt. *Andreas Osiander*, *Lucæ* pater, non nisi secundùm divinam. Communis Patrum & Protestantium sententia est Mediatorem fuisse Dominum secundùm utramque. *Chamiero* quidem visus est hac de re flos Patrum *Augustinus* paulò duriùs, quin & ἀκύρως loqui. Verùm de illius mente non adeò trepidè scripsisset vir doctissimus, si ei venisset in memoriam, quod habet ille malleus hæreticorum in Homilia sive Libro de ovibus (qui extat in operum tomo nono) capite duodecimo; *Divinitas*, inquit, *sine humanitate non est mediatrix: sed inter divinitatem solam, et humanitatem solam mediatrix est humana-divinitas, et divina humanitas Christi.* Quo nescio an quid dici potuisset accommodatius: atq; huic sententiæ Apocalypsis (nè longiùs abeam) plurimùm favere videatur. Hîc enim salus Agno tribuitur, mactato scilicet, quæ vox naturam passibilem indicat: sed & insidenti throno, quem honorem verè divinum sibimetipsi Christus vendicat, capitis tertii versu penultimo. *Ego vici et sedeo cum Patre meo in throno ejus.*

Panstrat. tom. 2. lib. 7. cap. 6. § 16.

§ VIII. Succedit chorus Angelorum, qui sub eodem capite Christo (cui στάσιν debent, sed non ἀνάστασιν, utpote qui minimè unquam ceciderunt) Ecclesiæ partem alteram constituunt. Ità locus ad Hebræos, quem suprà laudavimus, præter spiritus justorum consummatorum myriadas Angelorum memorat: & in epistola ad Ephesios *Deus* dicitur *in Christo omnia, tum quæ in cælis sunt, tum quæ in terra summatim recolligere* ἀνακεφαλαιώσασθαι· ubi per τὰ ἐπὶ τῆς γῆς Electos homines, terræ priùs incolas quàm ad superos transferantur, per τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς electos angelos cœli indigenas innuisse creditur Paulus; & ἀνακεφαλαίωσιν non in sensu Rhetorico pro brevi multorum recapitulatione, sed in arithmetico pro summa plurium numerorum usurpâsse: beatis enim Angelis beati homines annumerati unius ecclesiæ triumphantis *summam* quasi *totalem* conficiunt. Libet interim exclamare, O concentum præ aliis omnibus jucundissimum! Quando Pater spirituum Deus humanos Angelicósq; spiritus in suo ipsius

Ephes. 1. 10.

ipsius sinu complectitur, & creati spiritus ab Increato refocillantur; quando Angeli cum hominibus & vicissim cum Angelis homines, mutuis excitati suasionibus, summóque inter se animorum consensu ad æterni Patris laudes concelebrandas harmonicè conspirant!

Spiritibus hisce gloriosis duplex gestus attribuitur. Unus ministrantium, *Omnes Angeli stabant in circuitu throni, et Seniorum, et quatuor animalium.* Cui consonat illud Danielis, ubi *Antiquus dierum sedisse, millies autem mille, nimirum Angeli, illi ministrâsse, et coram eo myrias myriadum stetisse dicitur.* Alter adorantium; *Procubuerunt ante thronum in facies suas, et adorârunt Deum*, καὶ προσεκύνησαν τῷ Θεῷ, id est, cultu illum religioso prosequebantur, ad quem designandum visum est Spiritui sancto vocem adhibere ab Ethnicorum superstitione derivatam, qui inter colendum soliti sunt manum suam ad os movere. Illud propriè est προσκυνεῖν à κύω, & indè "κυνέω quod est osculor. Nec aliud significat Latinum *Ado*"*rare*, non ab orare, id est, precari factum (ut imperiti ho-" mines existimant) sed ab eo quòd manus admoveatur ori, ità *Grotius*. Quàm antiqua fuerit ista venerandi consuetudo, patet ex effato quodam Jobi, *Si vidi Solem cùm fulgeret, et Lunam incedentem clarè; et lætatum est in abscondito cor meum, et osculatus sum manum meam ore meo*, &c. Allata jamdudum sunt à doctissimis viris *Drusio* & *Lipsio*, ad hujusce rei probationem perquam multa testimonia. Consulant quibus vacat & lubet. Unicum mihi superaddere visum est, quod miror à *Lipsio*, viro in utriusq; *Senecæ* scriptis versatissimo, non animadversum, vel, si animadvertit, non prolatum eò loci quo ritum hunc de industria pertractat: utrùm alibi protulerit nescio. Extat in excerptis libro octavo contro-"versiâ secundâ, atq; ità se habet. Elii ab Atheniensibus " Phidiam acceperunt mutuò, ut is Jovem Olympium fa-" ceret; pacto interposito ut aut Phidiam, aut centum talen-" ta redderent. Jove perfecto, Elii Phidiam aurum rapu-" isse dixerunt, & manus tanquam sacrilego præciderunt,

Dan. 7. 9, 10.

In explicat. Decalog. ad 2um præcept.

Job 31. 26, 27.

Drus. Observat. l. 1 c. 20.

Lips. Elector. l. 2. cap. 6.

" truncatum Atheniensibus reddunt. Petunt Athenienses " centum talenta, & adversùs Elios ità disputant; Paci- " scendum Phidiam manus fecerunt, sine eo Phidiam nos " recepturos speratis, sine quo vos accepturi non fuistis? " *Commodavimus qui posset facere Deos; recepimus, qui nè* " *adorare quidem potest.*

§ IX. Introducuntur porrò dicentes, *Amen. Benedictio & gloria, et sapientia, et gratiarum actio, et honor, et potestas, et vires Deo nostro in secula seculorum. Amen.* Prius *Amen* referendum est ad præcedentem sanctorum hominum acclamationem, quam hoc suo quasi calculo comprobare videntur Angeli. Unde *Grotius* in locum, *Confessoribus accinunt hîc Angeli ut populares unius regni.* En tibi, Lector Christiane, determinatam ab ecclesia triumphante nobilem illam controversiam, quæ ecclesiam militantem (in qua maleferiatis magna pars studiorum est studium partium) nunquam non dilaceravit. Dixit haud ità pridem *Spanhemius, Pelagiani omnes nascimur, imò cum supercilio Pharisaico. Hic character vix delebilis est.* Hinc illa quam experimur proclivitas, nosmetipsos cum Deo, & arbitrium nostrum cum ipsius gratia in toto salutis humanæ negotio sociandi; quanquam hîc tota cœlitum Ecclesia disertè statuerit, Deum nostrum in Christo eum esse, cui soli & in solidum salutem omnimodam debeamus. *Salus à Deo nostro est insidenti throno, et ab Agno*, clamant beati homines, succinunt electi Angeli, *Amen.*

Præfation. ad Lectorem præfix. Exercit. de gratia Universali.

Quantum ego capere possum in hisce mysteriis (quæ summa semper ingenia summopere quidem exercuerunt) quanquam in reditu peccatoris ad Deum, inque salute obtinenda, detur utriusque, gratiæ scilicet divinæ & humanæ voluntatis concursus causalis; minimè tamen coordinantur ut concausæ, vel æqualiter ad effectum concurrentes, sicut duo equi trahentes currum pari conatu; vel inæqualiter, sicut gigas & puer in eodem onere subvehendo occupati, verùm ità, ut puero longè minor incumbat oneris pars, giganti major

major; sed omnino subordinantur, ídq; hunc in modum; In primo conversionis momento, quando Spiritus sanctus animam occupat, & vitale principium infundit, habet se Dei Gratia ut agens principale; voluntas humana ut subjectum recipiens, in quod operatur pro libitu Spiritus. In secundo autem momento & in sequentibus, quando voluntas liberata liberè fertur in summum bonum, manet adhuc Deus ut agens principale; cui voluntas subordinatur ut instrumentum, non quidem brutum sed rationale, quod actum agit, & vitales credendi atq; amandi operationes producit, ad quas à gratia determinatur. Movet interim atque determinat hominem Deus, & seipsum homo. Nec tamen duplex motus est, unus ab homine, alter à Deo, sed ab utroq; idem: à Deo ut causâ primâ, ab homine ut secundâ, ab illa verò naturâ priùs, dum per causalitatem in secundam hunc motum ciet. Ità ut Deus & Homo ut totales causæ immediatè concurrant ad eosdem actus; Deus in suo genere subordinando sibi secundam causam; homo in suo genere instar instrumenti movendo sub prima.

§ X. Angelorum verba reliqua continent ipsorum doxologiam, & exhibent nobis, ut ità dicam, *Pleiades sacras*, dum septem Deo sive perfectiones, sive prærogativas attribuunt; omnes in negotio salutis humanæ (nam eò respicere suadet contextus) apertissimè prælucentes.

Prima est ἡ Ἐυλογία *Benedictio.* Deo benedicendum esse ipsius *naturæ vox* est: unde & ab Ethnicis instituti sunt hymni ad Deorum suorum aras canendi, quales scripserunt *Orpheus* & alii. *Vox Scripturæ*, præsertim in Psalmis, quorum centesimus quadragesimus quintus hoc gaudet titulo *Laudatio Davidica*, & totus est elogium Dei ab ipsius attributis. Eum Rabbini tanti æstimârunt, ut dixerint Quicunq; hunc Psalmum ter quotidie recitaret, securum esse debere de futura vita. Quod, quia duriusculum erat, Kimchi sic emollire conatus est; Non intelligendum esse de eo qui ore duntaxat recitaret, sed de eo qui ore & corde. Quinque reliqui

Muis in locum.

usq; ad finem Psalterii incipiunt, atq; etiam desinunt in voce *Hallelujah*, quæ significat Laudare Dominum; & apud veteres Christianos cujuscunq; conditionis aut ætatis in usu fuisse videatur. *Hieronymus* enim in epistola ad *Latam* valde " probat, quòd parvulæ adhuc balbutiens lingua Hallelu- " jah resonaret: & in epistola ad *Marcellam*, Arator, inquit, " stivam tenens Hallelujah decantat. Nec est cur aliquis miretur, si naturâ & Scripturâ præeuntibus, *vox ecclesiæ* catholicæ sit modo quodam peculiari. *Te præstolatur, vel Te decet hymnus, ô Deus in Sione,* ait Psaltes. Signanter in Sione. Sic etiam Apostolus, *Ei qui summa cum exuperantiâ potest omnia facere supra ea quæ petimus aut cogitamus, pro illa vi agente in nobis ei sit gloria in ecclesia, per Christum Jesum.* Iterum signanter in ecclesia dictum est, & per Christum Jesum, qui soli ecclesiæ innotescit.

Psal. 65. 1.

Ephes. 3. 20, 21.

Secunda, ἡ Δόξα *gloria*. Quæ illis sive personis, sive rebus quarum excellentia prælucet aliis in eodem genere propriè tribuitur. Inter res inanimatas præcellunt stellæ, inter stellas Sol & Luna. Proinde dicitur, *Alia Solis gloria est*, Ἄλλη δόξα, *alia Lunæ, alia stellarum. Stella enim stellæ præstat in gloria*, διαφέρει ἐν δόξῃ. Reges plurimùm antecellunt plebeios homines, Angeli Reges, unà cum reliquis quotquot sint creaturis intellectu præditis: idcirco utrisq; gloriam attribuunt sacræ literæ. De liliis verba faciens Dominus, negat *Solomonem Regem in omni sua gloria* amictum fuisse ut unum illorum; & testatur Joannes *Reges terræ ad novam Hierusalem gloriam suam et honorem allaturas*. Pariter & Angeli *Cherubini gloriæ* nuncupantur. Nil itaq; miri, si qui Stellas, Reges, Angelos, & alia quæcunq; utpote summum Ens & increatum, ultra quàm dici potest, exuperat, *Deus gloriæ* dicatur; si quælibet Persona Deitatis eodem attributo insigniatur (Pater siquidem audit *Pater ille gloriæ*, Filius *Dominus gloriæ*, Spiritus sanctus *Spiritus gloriæ*). Si cecinerint olim Angeli in suo genethliaco, *Gloria in cœlis altissimis Deo:* si ecclesiæ in suis liturgiis, *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.*

1 Cor. 15. 41.

Lucæ 12. 27.
Apoc. 21. 24.

Act. 7. 2.

Ephes. 1. 17.
1 Cor. 2. 8.
1 Pet. 4. 14.
Luc. 2. 14.

§ XI.

§ XI. Tertia, ἡ Σοφία, *Sapientia.* Cui Paulus uno in loco conjungit φρόνησιν. In quo, inquit, habemus redemptionem per sanguinem ipsius, ex divite ipsius gratia, quâ exundavit in nos *omni sapientiâ et prudentiâ*; ἐπερίσσευσεν εἰς ἡμᾶς ἐν πά- Ephes. 1. 7, 8.
"σῃ σοφίᾳ καὶ φρονήσει. Sapientiæ fuit invenire rationes sanandi "generis humani; prudentiæ eas disponere. Itâ *Grotius.* In alio γνῶσιν. Is ille locus est celeberrimus ad Romanos undecimo, *O profundas divitias tum sapientiæ, tum* Rom. 11. 33.
cognitionis Dei! καὶ σοφίας καὶ γνώσεως τοῦ Θεοῦ *quàm inscrutabilia sunt ejus judicia, et ejus viæ impervestigabiles?* Ubi σοφία respicere videtur Dei decreta κρίματα, quibus scrutandis nulla sufficit nisi divina sapientia; γνῶσις vias providentiæ universæ secundùm hæc decreta administrantis, Deo quidem notissimas, sed impervias humanæ rationi. Stupet ipse Paulus & exclamat ὦ βάθος! Pari etiam admiratione captus est ante Paulum Davides, adeò ut dixerit, *Mirabilis est scientia tua* Psal. 139. 6.
præ me; excelsa est, non potero ad eam. pertingere scilicet, id "est, interprete Simeone de Muis, Scientia illa tua, quâ "cuncta cognoscis, itâ admirabilis est, ut illam nequeam "prorsus capere; itâ sublimis, ut illam nullo pacto possim "consequi. Etsi enim scio te scire omnia, nescio tamen quo- "modo tam diversa ac varia simul eodémq; tempore, non "per vices potes cognoscere. Præclarè scriptor Neotericus, *Incomprehensibilis Dei sapientia inter angustias humanæ rationis coarctari non potest. In hoc autem sacramento humana ratio sub pietate fidei humilianda est. Itâ enim oportuit, & ordo nostræ reparationis hoc exigebat, et imago Dei, quæ per superbiam rationis deformata est, in ipso sacramento redemptionis nostræ per humilitatem rationis debebat reformari.* *Jo. Euseb. Neieremberg. Theopoliticus,* p. 9.

Quarta, ἡ Εὐχαριστία *Gratiarum actio.* De Sione verba faciens propheta, *Gaudium*, inquit, *et lætitia invenietur in ea,* Isai. 51. 3.
gratiarum actio, et vox laudis. Ab illius quidem incolis universis, sive peregrinentur in via, sive in patria requiescant, præstanda est gratiarum actio, idq; *ex debito* primùm *hone-* "*statis.* Dici solet ab Hebræis Laudandum esse Deum in

 "minimo

" minimo culice, magnificandum in Elephante, in Sole, Lu-
" na, & reliquis astris admirandum. Dicamus & nos honestum & decorum esse, ut pro mensura receptæ gratiæ mensura gratiarum amplietur: atq; adeò pro æterna salute gratias à nobis in æternum deberi. Secundò *Justitiæ*: est enim hæc gratitudinis pars quasi quidam census, & servitium speciale (utì loquuntur Jurisconsulti) quod in recognitionem summi sui dominii Deus exigit ab omnibus suis beneficiariis: qui pendere recusant quasi fundo beneficiario jure exturbantur. Piè Bernardus, *Quid retribuam*, inquit, *Domino pro eis omnibus quæ tribuit mihi? Nam si Deo totum me debeo pro facto, quid addam jam pro refecto? In primo siquidem opere me mihi dedit; in secundo se; & ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergò & redatus, me pro me debeo, & bis debeo: Quid Deo retribuam pro se? Nam etsi me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum?* Ad tanti debiti persolutionem, Deus bone, quantilla res est gratiarum actio! quam tamen non nemo *clavem* appellat *Viscerum Dei*, eò quòd hæc recludi soleant ad bona quælibet illis affatim elargienda qui hoc officio ritè funguntur.

Tractat. de diligendo Deum.

§ XII. Quinta, ἡ Τιμὴ, *Honor*. Observat *Heinsius* vocem hanc in plerisq; locis Paulinis non tam honorem denotare qui exhibetur, quàm existimationem de altero, aut æstimationem, cujus mensura sit humilitas; quæ ità se demittit, ut alium præponat sibi. Cui sententiæ lucem & fidem conciliare conatus est ex collatione dicti Apostolici in capite ad Romanos duodecimo, commate decimo, τῇ τιμῇ ἀλλήλους προηγούμενοι, cùm versu tertio secundi capitis ad Philippenses, Ἀλλὰ τῇ ταπεινοφροσύνῃ ἀλλήλους ἡγούμενοι ὑπερέχοντας ἑαυτῶν. Quòd si ità se res habeat, nemo Deum honore debito prosequi dicendus est, nisi qui illum æstimat super omnia, & colit (utì loquuntur in scholis) *appretiativé*; eodem scilicet Spiritu ductus per quem clamavit olim Psaltes, *Quis esset mihi in cœlis præter te? & præter Te nullo delector in terra.* Atq; Hanna, *Nullus est sanctus ut Jehova, nam nullus est præter te, & nulla est rupes*

Exercit. sac. lib. 6. cap. 7.

Psal. 73. 25.

1 Sam. 2. 2.

pes ut Deus noster. Hunc etiam piæ mentis affectum multæ devotionis scriptor haud ità pridem pulchrè equidem mihi “ visus est in isthoc alloquio delineâsse? Domine Deus ma-“ gne, quàm admirabilis es Tu, qui non modò nullum ha-“ bes, aut habere potes, qui similis sit Tui; sed qui ità co-“ gnoscat Te, tuásq; perfectiones ut sunt! Vincis enim sci-“ entiam nostram. Et quanquam rectè Te sapientem, bo-“ num, potentem, pulchrum dicimus; rectè tamen dicimus “ Te non esse sapientem, non bonum, non potentem, non “ pulchrum, eo scilicet modo quo à nobis conciperis. Es igi-“ tur super-sapiens, super-bonus, super-potens, super-pul-“ cher, super-ens. Succumbat omnis creati intellectûs infir-“ mitas gloriæ tuæ; séq; ei cognoscendæ imparem semper “ inveniat. Laboremus sensu, hæreamus ingenio. Bonum “ est nobis ut parùm sit, quod etiam rectè de Te sentimus.

Caspar Tauchi-us in lib. cui titulus Fontes Salvatoris, pag. 372.

Sexta, ἡ Δύναμις, *Potentia.* Distinguunt Theologi triplex in Deo principium agendi, unum *dirigens*, quod est intellectus; alterum *imperans*, quod est voluntas; tertium *exequens*, quod est potentia. Quicquid agendum intellectus divinus concipit, & voluntas divina præcipit, id potentia divina præstando est. Huc spectant illa Jobi, *Novi te omnia posse, neq; averti te posse à cogitatione perficienda.* Psaltis, *Omnia quæcunq; voluit, Dominus fecit in cœlo, in terra, in mari & in omnibus abyssis.* Pauli, *Summa cum exuperantia potest omnia facere supra ea quæ petimus aut cogitamus.* Quibus animus est adjicere testimonium è *Plutarcho*, eò quidem memorabilius quò propiùs accedit ad genium & stylum Christianum. “ ὑπ' εὐνοίας καὶ φιλίας πρὸς τὸν θεὸν ἄγαν ἐμπαθῶς ἔχουσι μέγα πρὸς πίστιν ἐστὶ τὸ “ θαυμάσιον, &c. Qui perquam flagranti benevolentiâ & amo-“ re prosequuntur Deum, his divinæ potentiæ humanam “ sortem excedens multùm fidei facit majestas. -- Neque si “ quid faciat Deus quod efficere nos nequimus, & molitur “ quod non valemus moliri, id absurdum est. Imò verò “ qui in omnibus est absimilis nobis, multò maximè alius “ operibus & diversus est. Verùm res divinæ magna ex parte “ (ut

Job. 42. 2.

Psal. 135. 6.

Ephes. 3. 20.

Plutarch. in Coriolano non procul à fine.

" (ut *Heraclitus* ait) prætereunt ex diffidentiâ noſtram co-
" gnitionem. Hæc ille ſatìs theologicé. Cæterùm in loco, quì præ manibus eſt, non tam Dei potentiam in tota ipſius latitudine, quàm illam in ſpecie intellectam velim, quæ in converſione peccatorum, & in regenitorum cuſtodia cernitur; de qua legere eſt in Pſalmo centeſimo decimo, *Sceptrum fortitudinis mittet Jehova è Sione. Atque populus erit ſpontaneus in die potentiæ ejus:* & apud Petrum in primo primæ, *Virtutis ſive potentiæ Dei præſidio cuſtodimini per fidem ad ſalutem.*

§ XIII. Septima, ἡ Ἰσχὺς, *Robur.* Ἰσχύειν eſt apud alium valere. Dicitur illa, quæ apud Deum valet precatio, πολὺ
Jacob. 5. 16. ἰσχύει. *Jacobus* preces fundens & lachrymas, teſte prophetâ,
Hoſeæ 12. 3. ἐνίσχυσε πρὸς Θεόν. Per Ἰσχὺν hîc libenter intelligerem illam gratiæ convertentis efficaciam, quâ valet apud hominem Deus,
Enchirid. cap. 32. dum utì loquitur *Auguſtinus, Nolentem prævenit ut velit, & volentem ſubſequitur nè fruſtrà velit:* ſive vires illas, quas exerit Deus in trahendo ad Chriſtum peccatore, de quibus Ser-
Joan. 6. 44. vator, *Nemo,* inquit, *poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum.* Malleus ille Pelagianorum, quem mo-
Vid. Nugno in 3am Thomæ qu. 62. p. 64. " dò laudavi, obſervat non dixiſſe Dominum niſi Pater me-
" us duxerit eum; nam ducere eſt volentis priùs: ſed niſi tra-
" xerit, quod eſt non volentis priús; ut oſtenderet volun-
" tatem noſtram non antecedere motionem Dei, ſed è converſo. Quòd ſi motio Dei efficax fieret à noſtra voluntate, ſicut nonnulli philoſophantur, jam ipſa antecederet, & non traheretur homo à Deo, ſed potiùs ipſe traheret Deum.
" Addit ille ſtrenuus aſſertor gratiæ, Trahitur homo miris
" modis ut velit ab illo, qui novit intus in ipſis hominum cor-
" dibus operari, non ut nolentes credant, ſed ut volentes è
" nolentibus fiant. Me iſtius ſententiæ paulò tenaciorem reddit locus Apoſtoli ad Epheſios, ubi mirâ verborum ſub-
Epheſ. 1. 19, 20. limitate gratiæ convertentis vim deprædicans, ἰσχὺν inter alia commemorat. Ut ſciatis, inquit, τί τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως αὐτοῦ εἰς ἡμᾶς τοὺς πιστεύοντας κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ,

αὐτοῦ, ἣν ἐνήργησεν ἐν τῷ Χριστῷ, ἐγείρας αὐτὸν ἐκ τῶν νεκρῶν. En operantem in eis omnibus qui ad fidem adducuntur δύναμιν, ἰσχὺν, ἐνέργειαν· Δύναμιν non qualemcunque, sed supereminentem, ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως· Ἰσχὺν non mediocrem sed τὸ κράτος τῆς ἰσχύος· Ἐνέργειαν non vulgarem, sed eam ipsam omnipotentiam, quam exercuit Deus in suscitando Christum à mortuis. Suavissimè *Prosper* & luculentissimé. Lib. de Ingratis c. 15.

--- Omnipotens hominem cùm gratia salvat,
Ipsa suum consummat opus; cui tempus agendi
Semper adest quæ gesta velit. Non moribus illi
Fit mora, non causis anceps suspenditur ullis.

Absit tamen ut indè quis suspicetur vim inferri arbitrio, quod liberum est à coactione in omni statu. Nil enim certius quàm per gratiam *fortiter & suaviter*, utì Bernardus, vel ut Augustinus, *omnipotenti facilitate* operantem, impelli quidem voluntatem motu adeò efficaci ut, non dico *irresistibiliter* quoad omnia, *irresistenter* tamen pro hîc & nunc agatur; sed ità ut interim agat liberè, gratiæ ductum sponte sequatur, & eò volens inclinetur, quò eum gratia flectit indeclinabiliter. *Impelli*, inquam, voluntatem, sed *non compelli:* siquidem, ut præclarè Fulgentius, *Gratiâ Dei humanum non aufertur, sed sanatur arbitrium; non adimitur, sed corrigitur; non removetur, sed illuminatur; non evacuatur, sed adjuvatur.* De Verit. prædestinat. lib. 2.

§ XIV. Denique, ut ad vela statim contrahenda nos comparemus, isthæc omnia Deo suo ascribunt Angeli, εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Illud in fine capitis tertii ad Ephesios εἰς πάσας τὰς γενεὰς τοῦ αἰῶνος τῶν αἰώνων, sic interpretatur *Hemmingius*; Hîc in mundo, usq; ad judicium, & deinde post resurrectionem in omni æternitate. Et *Daniel Fesselus*, Seculi, inquit, hujus & futuri conjunctio denotatur, quando in S. Scripturis nominantur αἰῶνες τῶν αἰώνων secula seculorum. Hujusce profectò doxologiæ materia per utriusq; seculi curriculum in terris simul & in cœlis obtinet. Bene *Chrysostomus* laudem & gratiarum actionē vocat μελλούσης ζωῆς τὰ προοίμια, *futuræ vitæ proœmia*, Adversar. Sacror. lib. 3. c. 2. p. 232. In Psal. 144.

ſive præludia æternitatis. Nec aliquid magìs ſanctos decet in orbe terrarum militantes, quàm ut ſedulò & maturè incipiant id agere, quod in ſempiternum facturi ſunt.

Obſignant tandem beati ſpiritus canticum ſuum altero *Amen*. Quæ vox diverſimodè ſumitur in ſacro Codice: Interdum *nominaliter*, & ſignificat veritatem, ut quando dicitur, *Hæc dicit Amen, teſtis ille fidelis & verus:* Interdum, *adverbialiter*, & per Verè vel Certè reddendum eſt, utì ſæpius apud Joannem, *Amen Amen dico tibi:* Interdum *verbaliter*, idque vel *aſſertivè* pro *ſic eſt*, ut in fine ſingulorum Evangeliorum; vel *optativè*, pro *ſic eſto*, ut in fine precationis Dominicæ. Verſiculus ille, cui hactenus incubuimus, inchoatur in Amen aſſertivo, terminatur in optativo. Hoc enim ſibi volunt Angeli, Ità ſit; Iſta quæ memoravimus univerſa Deo noſtro in perpetuum adſcribantur.

Apoc. 3. 14.

Joan. 3. 3. 5.

§ XV. Quod ſupereſt, Commilitones, accingamus illico nos oportet qui mortales adhuc ſumus ad ſtudium Attributorum Dei, quæ in ſtatu immortalitatis abſq; omni vel minimâ laſſitudine in æternum celebrabimus. Artem nunc aliquam laudandi Dominum addiſcamus, quam oporteat infinitis aliquando ſeculis exercere. Ut *Miltiadis* olim trophæa *Themiſtoclem*, ità nos expergefaciant triumphi cœlitum. Memores ſimus *Davidis Parei*, qui velut ſcitum "quoddam ſuum ſtudioſis commendare ſolebat illud Hie"ronymi ad Paulinum, diſcamus in terra quorum ſcientia "nobis perſeveret in Cœlo: quod etiam auditorio Theolo"gico, in quo quotidie ſacras literas docebat, inſcripſit, utì teſtatur ipſius filius. Memores *Leonardi Leſſii*, qui mundo ſtatim valedicturus opuſculum de quinquaginta nominibus Dei confecit, eique quatuor aut quinque diebus ante mortem finem impoſuit, ſæpius aſſerens ſe in eo libello tantùm lucis & ſpiritualium deliciarum in acerbiſſimis calculorum doloribus reperiiſſe, ut illud opuſculum omnibus ſuis commentariis, quos in Thomæ ſummam tantùm non paratos habuit, longè prætulerit. Nec immemores *Monicæ*, quæ diu collo-

In Vita patris ſui.

De vita & moribus *Leon. Leſſii*, § 25. pag. 43. & in Epiſtola præfixa ipſius tractatui de 50 Nominibus Dei.

collocuta cum filio suo *Augustino* de cœlesti regno, qualis nimirum futura esset ea vita, cujus ideam nec oculis nec auribus sentire, imò nec ipsis cogitationibus effingere possumus, demum subjunxit, *Quantum ad me attinet, Fili, nullâ re ampliùs delector in hac vita. Quid hîc facio?* Claudo jam omnia prophetæ Davidis cœlum anhelantis, & Deum alloquentis aspiratione longè suavissimâ, prout vertitur à *Georgio Buchanano* in sua Psalmorum paraphrasi. Psal. 36. 8, 9, 10.

-- Dum mens corporeo carcere vincta latet,
Fœtus sub alis volucris ut tegit suis,
Præsidii fugimus spe mala cuncta tui.
At exul animus morte liber patrium
Quum repetet limen sidereámque domum,
Illinc egestas & dolores exulant:
Nemo feret votis non potiora suis.
Paßim voluptas, pura paßim gaudia;
Delicias largo flumine rivus agit.
Illic perenni vita fonte profluit,
Vita gravis fati non resecanda manu.
Illic fatiscent mentium caligines,
Quæ modò sub tenebris pectora nostra premunt:
Vultúque radius purus effusus tuo
Lumine nos puræ cognitionis alet.

FINIS.

Index locorum S. Scripturæ, quibus in Præcedenti Dissertatione vel interpretatio plenior assignatur, vel aliqua saltem lux infertur.

G*Enes.*iii.15.lib.1.cap.1. § 2 ad finem capitis. Item cap. 2. per totum; & per integrum cap. 3. ibid. vers. 20. l.1.c.2. § 13. iv. 1. l. 1.c.2. § 12.
*Exod.*xxxii.v.32,33.l.3.c.2.§ 10,& 11.
Levit. xxvi. 23. 34. l. 1. c. 4. § 1.
Numer. xxiii. v. 23. l. 3. c. 2. § 1.
Deuter. vi. 6, 7. l. 2. c. 2. § 7.
*Judic.*xvii.1.xviii.2.xix.1.l.2.c.2.§ 12.
I. Samuel. ii. 2. l. 3. c. 4. § 12.
I. Reg. vi. 29 l. 3. c. 4. § 5. f.
I Chron. xxi. 1. l. 3. c. 3. § 8.
Job. xvii. 13, 14. l. 3. c. 3. § 12. p.
xviii. 14. l. 1. c. 4. § 7. m.
xxii. 25. l. i. c. 5. § 9.
xxvii. 6. l. 2. c, 4. § 7.
xxxi. 26, 27. l. 3. c. 4. § 8.
Psal. v. 13. l. 2. c. 7. § 10.
xxxii. 5, 6. l. 3. c. 1. § 5.
xxxiv. 8. l. 3 c. 4. § 3. m.
xxxvi. 9, 10. ibidem.
li. 7. l. 3. c. 4. § 4. m.
lxix. 29. l. 3. c. 2. § 10.
lxxi. 17, 18. l. 2. c. 5. § 5.
lxxiii. 25. l. 3. c. 4. § 12.
cvi. 35. l. 1. c. 6. § 11.
cxxxix. 21, 22. l. 1. c. 3. § 15.
Proverb. iii. 18. l. 3. c. 2. § 7.
xxviii. 1. l. 1. c. 5. § 6.
Eccles. vii. 20. l. 2. c. 4. § 2.
ibid. vers. 29. l. 2. c. 4. § 2.
ix. 7, 8. l. 3. c. 4. § 4.
Cantic. vi. 7. l. 1. c. 5. § 5.
viii. 5. l. 1. c. 2. § 13.
Isai. x. 16. l. 2. c. 3 § 6. m.
xlii. 3. l. 2. c. 3. § 3. f.
xlv. 7. l. 2. c. 6. § 9.
li. 3. l 3. c. 4. § 11.
liii. 5, 6. l. 1. c. 3. § 8.
lix. 17. l. 1. c. 6. § 1.
lxiii. 8 10. 15, 16. l. 1. c. 4. § 2.
Jerem. iii. 22, 23. l. 3. c. 4. § 7.
viii. 4. l. 2. c. 8. § 1.
xxiii. 21. & 32. l. 2. c. 2. § 5.
Thren. ii. 4, 5. l. 1. c. 4. § 2.
Ezech. xiii. 9. l. 3. c. 2. § 10.
xvi. 2. l. 1. c. 2. § 4.
Daniel. ix. 27. l. 3. c. 4. § 7.
Hose. iv. 11. l. 3. c. 2. § 4.
vi. 1, 2. l. 3. c. 3. § 5.
ix. 15. l. 1. c. 6. § 6.
Jonæ loca varia collata. l.1.c.4. § 54. f.
Zechar. iii. 1, 2. l. 3. c. 3. § 3.
Matthæi v. 20. lib.2. c.4. § 1.
v. 37. l. 1. c. 2. § 6. f.
v. 44. l. 3. c. 1. § 15. m.
vi. 6. l. 3. c. 1. § 3. f.
vi. 11. l. 3. c. 1. § 7.
vi. 12. l. 3. c. 1. § 6. f.
xi. 25, 26. l. 3. c. 4. § 7. m.
xix. 28. l. 3. c. 2. § 13.
xxv. 21. l. 3. c. 2. § 14.
xxvi. 41. l. 3. c. 1. § 13.
xxvii. 46. l. 1. c. 3. § 8.
Lucæ i. à vers. 47. ad 55. l. 3. c.1. § 1.
xii. 20. l. 1. c. 4. § 7. m.
xvi. 23. l. 3. c. 3. § 12.
xviii. 1. l, 3. c. 1. § 14.
xix. 27. l. 3. c. 2. § 2.
xxii. 28, 29, 30. l. 3. c. 2. § 13.
xxiv. 45. l. 1. c. 5. § 10.
Joannis iii. 20, 21. l. 2. c. 3. § 2.
vi. 44. l. 3. c. 4. § 13.
viii. 44. l. 1. c. 2. § 5, & 6.
xiv. 20. l. 2. c. 9. § 7.
xv. 18. 23. 25. l. 1. c. 3. § 4.
xvi 23. l. 3. c. 1. § 8.
Act. Apost. v. 31. l. 1. c 5. § 7.
viii. 10. l. 3. c. 3. § 8. pr. f.
viii. 21, 22, 23. l. 3. c. 1. § 9. m.
xv. 28. l. 2. c. 2 § 8. m.
xvi. 13. 16, 17. l. 1. c. 6. § 8.
xviii. 24. l. 2. c. 10. § 10. p.
xxi. 16. l. 1. c. 5. § 1. f.
Ad Roman. iii. 25, 26. l. 1. c. 3. § 8.
v. 12. l. 1. c. 4. § 8. f.
vi. 17. l. 2. c. 3. § 1.
vii. 18, &c. l. 1. c. 4. § 4. m.
viii. 26. l.1.c.5 § 10.f.& l.3.c.1.§ 12.

ibid 33, 34. l. 3. c. 3. § 3 & 5.
ibid. 35 & 37. l. 3. c. 3. § 1, 2. 6.
ibid. 38, 39. l. 2. c. 9. § 6. & l. 3. c. 3. § 7, 8.
ix. 3. l. 3. c. 2. § 11.
ix. 21, 22. l. 3. c. 4. § 7. m.
x. 14. l. 3. c. 1. § 9.
x. 15. l. 2. c. 2. § 6.
xi. 33. l. 3. c. 4. § 11.
xii. 1. l. 1. c. 6. § 2.
xiii. 4. 6. l. 2. c. 6. § 9. m.
xv. 4. l. 2. c. 10. § 8.
I ad Corinth. i. 9. l. 3. c. 3. § 11.
ix. 7 & 14. l. 1. c. 5. § 9.
ix. 25. l. 3. c. 2. § 4.
xiii. 2. l. 2. c. 7. § 1.
xiii. 13. l. 2. c. 7. § 12. f.
xv. 10. l. 1. c. 5. § 5. m. & l. 1. c. 5. § 6. m.
ibid. 26. l. 1. c. 4. § 7.
ibid. vers. 55, 56. l. 3. c. 3. § 9, 10.
ibid. 57. l. 3. c. 3. § 11, 12, 13, 14.
II ad Corinth. v. 5, 6. l. 2. c. 9. § 10.
vi. 7. l. 1. c. 5. § 8.
x. 3, 4, 5. l. 1. c. 5. § 2.
xi 3. l. 1. c. 6. § 9.
xii. 7. l. 2. c. 8. § 3.
Ad Galat. iv. 4. l. 1. c. 2. § 9. f.
iv. 6. l. 2. c. 9. § 11. & l. 3. c. 1. § 8. f.
v. 17. l. 1. c. 4. § 3. f. & 4. m.
Ad Ephes. i. 8. l. 3. c. 4. § 11.
i. 19, 20. l. 3. c. 4. § 13.
ii. 12. l. 1. c. 5. § 11.
iv. 24. l. 2. c. 3. § 5.
iv. 26, 27. l. 1. c. 2. § 6. m.
v. 4. l. 2. c. 6. § 2. f.
v. 27. l. 1. c. 3. § 13.
vi. 11. l. 1. c. 6. per totum.
vi. 14. l. 2. c. 1. § 2 & 6. & l. 2. c. 5. per totum.
vi. 15. l. 2. c. 6. per totum.
vi. 16. l. 2. c. 7. & cap. 8. per totum.
vi. 17. l. 2. c. 9. & 10. per totum.
Ad Philip. i. 23. l. 1. c. 4. § 7. f.
i. 27. l. 2. c. 4. § 6.
ii. 1. l. 3. c. 2. § 8.
iv. 13. l. 1. c. 5. § 10. m.
Ad Coloss. ii. 5. l. 1. c. 5. § 5. p.
ii. 8. l. 2. c. 2. § 1, 2, 3.
ii. 13, 14 l. 3. c. 3. § 14.
ii. 18. l. 1. c. 4. § 4. p.
iii. 14. l. 2. c. 7. § 12.
iv. 1, 2 l. 3. c. 1. § 3. m.
I ad Thessal. i. 5. l 2 c 10. § 5.
v. 8. l. 2. c. 9. § 1.
v. 11. l. 2. c. 2. § 7. post med.
v. 17. l. 3. c. 1. § 10.
II. ad Thessal. iii. 6. l. 1. c. 3. § 15. f. & l. 1. c. 5. § 5. m.
I. ad Tim. i. 9. l. 2. c. 4 § 5.
iii. 6. l. 1. c. 2. § 6.
iii. 16. l. 3. c. 3. § 4. m.
vi. 9, 10, l. 1. c. 4. § 6. m.
vi. 12. l. 1. c. 5. § 5. f.
II. ad Tim. ii. 4. l. 1. c. 5. § 4.
ii. 19. l. 2. c. 9. § 15.
iv. 5. l. 2, c. 6. § 5.
iv. 6, 7, 8. l. 3. c. 3. § 15 & reliquis usque ad finem capitis.
Ad Titum ii. 12. l. 3. c. 3. § 13. m.
Ad Heb. ii. 11. 14. l. 1. c. 2. § 10.
ii. 14, 15. l. 1. c. 3. § 10.
xi. 24, 25, 26. l. 3. c. 2. § 6.
xii. 1. l. 3. c. 3. § 17.
xii. 5, 6. l. 2. c. 6 § 4.
xii. 10, 11. l. 3. c. 3. § 2. f.
Jacobi i. 13. l. 1. c. 6. § 4.
i. 17. l. 1. c. 6. § 1. f.
iv. 4. l. 1. c. 4. § 5. p.
iv. 6. l. 1. c. 4. § 2. f.
v. 3. l. 1. c. 4. § 6. m.
v. 16. l. 3. c. 1. § 12. f.
v. 17. l. 3. c. 1. § 11. m.
I Petri v. 5. l. 1, c. 4. § 2. f.
v. 8. l. 1. c. 3. § 3.
v. 8, 9. l. 3. c. 2. § 4, 5, 6.
II Petri i. 5, 6, 7. l. 1. c. 6. § 2. & l. 2. c. 7. § 11. f.
i. 10, 11. l. 2. c. 7. § 13. f. & l. 2. c. 9. § 7. f.
i. 20, 21. l. 2. c. 10. § 9.
I Joannis ii. 3. l. 2. c. 9 § 18.
ii. 15, 16. l. 1. c. 4. § 5, & 6.
iii. 3. l. 2. c. 9. § 1. f.
iii. 11. l. 3. c. 3. § 21.
v. 4. l. 3. c. 2. § 6.
v. 7. l. 2. c. 9 § 13. f.
Apocalyp. ii. 7. l. 3. c. 2. § 7.
ii. 12. l. 3. c. 2. § 8.
iii. 5. l. 3. c. 2. § 9, 10, 11, 12. 14.
iii. 21. l. 3. c. 3. § 5. f.

iv. 6. 8. l. 3. c. 2. § 5.	vii. 14. l. 3. c. 4. § 5.
v. 9. l. 3. c. 4. § 2.	xii. 3, 4. l. 3. c. 3. § 8. m.
vi. 2. l. 3. c. 2. § 2.	xii. 9. l. 1. c. 2. § 1, 2, 3.
vii. 9, 10, 11, 12. l. 3. c. 4. per totum.	xii. 10. l. 1. c. 2. § 6. & l. 1. c. 6. § 3. m.

Ad B. L. *de quibusdam addendis & emendandis monitiuncula.*

ADdi possunt nonnulla majoris perspicuitatis ergô. V. g. pag. 78. lin. 19. post *Laurentius*, pastor scil. Amsteldamensis, qui in epistolam *Jacobi* justum edidit commentarium A. D. 1635. p. 120 f. citetur in marg. *Wendelinus* in fine præfationis ad Exercitationes oppositas *Jo. Gerhardi* Collegio Antiwendeliniano. p. 139 ad lin. 24 citetur D. *Davenantius* in prælectionibus de Justitia c. 3. p. 212. p. 110 circa med. deletis syllabis numerisq; marginalibus substituantur ista, vide *Jo. Gerhardi* Disputationes *Jenenses* part. 1. p. 734. p. 144. ad lin. 20. citetur *Cotterii* pag. 278. 145. pr. ponatur in margine Job. 27. 6. p. 260. post lin. 5. adde § X.

Emendari debent plurima, ne vel offendiculo sint Lectoribus, vel Authori dehonestamento operarum typographicarum σφάλματα graviora. Scias itaque legendum esse pag. 9. l. 18. à metaphorico: ibid. l. 20. Vel solam. p. 13. l. 32. gnaviter. p. 18. l. 23. הָאִשָּׁה p. 26. l. 6. contigerit. ibid. l. 15. ulli. p. 34. l. 9. decumbentem. p. 35. l. 3. à fine attinet. 37. l. 24. ἀντίψυχοι p. 41. l. 22. est missa facere p. 42. l. 18. ἐν χείρω p. 45. l. penult. curiosis. p. 46. l. à fin. 10. tacita. p. 50. l. 28. carnis suæ. ibid. in marg. Coloss. 2. 18. p. 57. l. 26 peragendis. p. 58. l. 25. pro Junone nubem. p. 60. l. 3. ὅστι. p. 74. l. penult. deleatur apud. p. 87. 28 lege nimium. p. 90. l. 11. Christiani p. 91 l. 28 facibus. p 92. l. 2. reserâsse p. 100. l. 25. pro 52 lege 258. p. 103. l. 28. penitiùs p. 107 l. 8. *Valentiani*. p. 116. l. 16. certæ. ibid. l. 30. obsecundate. p. 18. l. 17. Se præpositos. p. 124 l. 10. patentiorem p. 138. l. 5 & 6. utrobique pro tam lege tum. ibid. l. 6. deleantur accentus. p. 139. l. 14. Augustana. p. 140. in marg. lege verâ ratione. p. 144. l. 23. Græcis. p. 147. marg. dele 100. p. 168. l. 2. indigitat. p. 169. l. 12 & 16 deleantur accentus. p. 172. l. à fine 4[a]. paulò p. 176. l. 16. Χειςῶ. p. 183. 9. pro interim lege interdum. p. 198. l. 11. Accedet. p. 201. l. 20 dele comma. p. 202. l. 22. separare. p. 229. l. 14. Ipse sibi. 338. l. 5 assimilatur p. 348. l. 22. dedita.

Quod superest, Benigne Lector, ut te fruamur benigniore in erratis minoris momenti, quæ in literis, punctis, numeris, spiritibus & accentibus passim occurrunt condonandis; liceat nobis in apologiam ea suggerere, quæ jamdudum scripta sunt à *Joanne de Carthagena* in præfatione ad Homilias Catholicas. *Meminisse oportebit*, inquit, *Macrobium lib. 5. cap. 3. tria commemorâsse olim apud antiquos celebrata fuisse impossibilia, Subtrahere Herculi clavam, Jovi fulmen, Homero versum: ex quo non obscurè patet, illo tempore typographicam artem nondum adinventam. Si enim tunc jam vigere cœpisset, quartum proculdubio addidissent, scilicet typographiam absque erratis. Ausim dicere, ut experientiâ ipsâ satis exploratum est, quòd rara avis sit in terris nigróque simillima cygno, mandatus typis absq; errore Liber, & si quisquam sit, Phœnix est: quod tametsi Typographi & Correctores lumina plura haberent quàm animalia Joannis, quæ antè & retro plena erant oculis; vel ut pastor Argus, cujus meminit Ovidius, centum oculis scaterent, opus nihilominus ab erratis immune minime prodiret.* Hæc ille.

Sequitur Orationum Appendix.